

HALLER
COMMENT
IN ROEBE

TOM

V

UNIVERSIDAT

DE

A
47
14



227 m. l. l.

2-22-5074

Biblioteca	77
Sala	D
Estante	144
Tomo	
Número	38

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL	
Sala:	A
Estante:	047
Número:	014



0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25

7 400 40
Galpa
MADE IN SPAIN

227 on 1.1.

2-22-5072

Biblioteca	Real
Sala	D
Estante	XIV
Tomo	
Número	38

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL	
Sala:	A
Estante:	047
Número:	014



124314432

HERMANNI BOERHAAVE

PHIL. ET MED. D. INST. COLLEGII PRACT. BOT.
ET CHEM. PROF. IN ACAD. LUGD. BAT. PRAES.
COLL. CHIR. SOC. REG. SCIENT. LOND.
ET ACAD. REG. SCIENT. PARIS. SOD.

PRAELECTIONES ACADEMICAE

IN PROPRIAS

INSTITUTIONES REI MEDICAE

EDIDIT

ALBERTUS HALLER.

IN HAC EDITIONE

Adjectus est integer Institutionum Medicarum
Cl. Boerhaave Textus.

V O L. V.

PATHOLOGIA. SEMEIOTICE. HYGHIENE. THERAPEUTICE.

ACCEDIT INDEX TOTIUS OPERIS.



TAURINI, EX TYPOGRAPHIA REGIA. MDCCXLV.

HERMANN BOERHAAVE

ET M.D. VIT. GORLAG. DE CT. ROT.
ET GEMERON VIT. D. LUD. B. P. P. P. P. P.
GOLF. ENT. SOL. RES. SEV. T. O. D. D.
ET ACAD. REG. SCIENT. PARS. 309.

PARALLELES
ACADEMICAE

IN PROXIAS

INSTITUTIONES REI MEDICAE

EDIT

ALBERTUS HALLER.

IN HAE EDITIO NE


Adocus of Inger Institutionum Medicarum
Of Boerhaave Textus.

VOL. V.

Pathologia. Semiotice. Hygiene. Therapeutice.
ACCEDIT INDEX TOTIUS OPERIS.



TAURINI EX TYPOGRAPHIA REGIA. MDCCCLV.



ΠΑΘΟΛΟΓΙΑ.

MORBINATURA.

695.



ACTENUS enarratae, atque indicatu suarum caussarum explicatae, actiones principes, quae in corpore humano exercentur per motum humorum in vasis suis, perque horum renixum in illos: vocantur vocabulo recepto Functiones: hae vero solent distingui in

vitales, naturales, animales sexus, privatas, publicas: Vitales, quae vitam faciunt ita, ut haec iis carere nequeat; sunt actio musculosa cordis, actio secretoria cerebelli, actio pulmonis, sanguinisque, & spirituum per organa illa, horum arterias, vanas, nervos, circuitus; unde patet has in sua perfectione multum equidem augeri, minui, posse, vita tamen adhuc superstiti; ut, ipso corde exsecto, brevis tamen, & aliqua species vitae non modo, sed & motus superest^a, imo & cursus: Naturales, quae assumta sic mutant, ut in naturae nostrae partem abeant; sunt actiones viscerum, vasorumque, & humorum, recipientes, retinentes, moventes, mutantes, miscentes, fecercentes, appli-

A 2

can-

^a Vesal. VIII. 19. p. 570.

cantes, excernentes, confumentes; quae etiam admodum differre possunt: Animales, quae ita in homine contingunt, ut vel intellectus humanus ejusmodi ideas inde concipiat, quae illi actioni corporeae unitae sunt, vel voluntas aut his actionibus excitandis operetur, aut iis natis moveatur; sunt Tactus, Gustus, Olfactus, Visus, Auditus, perceptio, Imaginatio, Memoria, Judicium, Ratiocinium, Animi affectus, Motus voluntarii; in quibus omnibus est quoque ingens graduum diversitas. Proinde jam physice intelligitur, quid sit propria Vita, quamdiu illa duret, in quibus accurate consistat, quibus carere possit tamen utcumque perdurans: item inde scitur, Sanitatem esse facultatem corporis aptam omnibus actionibus perfecte exercendis. Constat denique omnes effectus actionum illarum revocari posse ad motus determinatos, & ad immutationem assumtorum.

696. Status corporis viventis tollens facultatem exercendae actionis cujuscunque (695) vocatur Morbus. Cujus ergo idea est absentiae requisiti ad exercitium possibile actionis, vel praesentiae repugnantis exercitio eidem. Nec mentio animae facta in hac definitione: quia corporis statum determinatum idem animae status individue comitatur, & quia Medicina, in solum corpus agens, consuetas animae condiciones restituit; tum etiam quoniam mentis mutata conditio ignoratur, nec bona, vel mala noscitur sanitati, nisi effectum corporeo jam nato, edito, cognito.

697. Proinde omnes morborum quorumcunque naturae cognoscendae, & inveniendae sunt in variis conditionibus diversimode affecti corporis bene observatis, enarratis, explicatisque. Nec juvant, quae de principio animato his intermiscuerunt egregii in arte nostra Viri, ut quilibet sincero indagatori, & aestimatori rerum apparebit.

698. Qui itaque haberet perfecte intellectas omnes conditiones requisitas ad Actiones, ille perspiceret clare defectum conditionis ex cognito morbo, & rursus bene caperet ex cognito defectu naturam morbi inde necessario sequentis. Quae scientia Παιδολογία appellatur, inque suas partes dividitur (34).

ΠΑΘΟΛΟΓΙΑ.

HAec nunc ea pars est institutionum medicarum, in cujus gratiam physiologiam haecenus pertractavimus: neque enim in eo labore is princeps nobis finis fuit, ut corporis humani cognitionem philosophicam acquireremus: is autem ubique scopus est, ut id ipsum corpus conservemus integrum. Sed ad eum finem perveniri non potest, nisi corporis fabrica prius physiologice cognita sit.

§. DCXCV.

Explicatae) Omnis actio corporis humani est motus, vel productio, vel mutatio. Eam explicamus, quando sensibus demonstramus conditionem physicam existere, quae in corpore aliquo posita id faciat existere, quod actionem ejus corporis vocamus, & qua sublata etiam actio tollitur. Causas vero scimus actionis, quando cognoscimus corpus aliquod in rerum natura existere, quod corpus existere non possit, quin id fiat, quod actionem dicimus. Hae causae non debent explicari ex idea mente concepta, & unice ex idea rerum explicandae sunt, quales existunt.

Motum] Quo profundius in cognitionem naturae rerum descendimus, eo eam naturam reperimus simpliciore. Actiones, quae in corpore humano fiunt, pendent omnes vel ex fluidis partibus corpus humanum constituentibus, vel ex firmis, vel ex utrisque conjunctis. Humores in corpore humano operantur unice per motum suum, quando coerciti canalibus impetum faciunt, ut eos canales latiores efficiant, nihilque aliud in iis canalibus mutant. Canales vero in liquores suos nihil aliud agunt, nisi quod nixum exerceant omnibus corporibus communem, ut se quam minima reddant, & resistent, ne majora fiant. Hanc vim elaterem vocant, aut adtractricem vim. Eadem vis, sive nixus omnium partium ejusdem corporis, quo conantur propius ad mutuos contactus accedere, haec eadem est principium unionis partium, quod ad CREATOREM universi unice referri debet. Materia enim ex propria, & insita vi non cohaeret, ejusque particulae juxta se invicem separatae existunt: ut necesse sit, aliam vim esse, a qua cohaesio pendeat, qua dissolutioni suae resistent. Alia porro vis est in omni corpore sublunari, quae facit, ut conetur se terrae propinquius efficere, & tunc gravitas vocatur. His positis, & ad corpus humanum applicatis, facile intelligitur, arterias corporis humani in liquores suos nihil aliud agere, nisi conari ut fiant, quam minimae, adeoque premere liquida, quae intus vehunt. Medici vix possunt sibi temperare, quin in partibus firmis corporis aliam aliquam vim statuunt, qua humores mutant, diversam ab illa nimis simplici contractione: neque enim concipiunt animo, qua ratione ab una adeo simplici

plici causa adeo & multae, & diversae actiones sequantur. Verum qui sollicite animum intenderit, nihil certe ultra inveniet.

Renixus] Mortuo homine omnes actiones pereunt, quae a circulatione sanguinis pendent, sed vis contractilis partium solidarum post ipsa fata superest. Arteriae a morte etiam magis, quam in vita contrahuntur, & obrigescentia nihil aliud est, quae cadaveribus contingit. Nam vis elastica, quae omnibus etiam minimis inest canalibus, augetur per frigus, & minuitur in calore. Ita & humores: nam sanguis quo calidior, eo levior est, quo frigidior, eo gravior, & solidior, adtrahitque magis elementa sua. Ergo totum cadaver undique elementa sua propius adtrahit.

Functiones, vel Facultates) Has ab actionibus distinguimus, manet enim facultas, licet aliquo temporis momento effectum suum non producat. Ita hoc ipso tempore possum respirationem subprimere, aufero ergo actionem, facultas vero superest integra. Ergo facultas in corpore humano id omne est, quod ad actionem efficiendam requiritur. Actio vero est motus, vel in toto corpore, vel in parte aliqua, facta mutatio. Adparet etiam, omnes functiones corporis humani pendere a temperatione propria partium & solidarum, & firmarum. Caeterum hae voces novae sunt. Latinissimus enim CELSUS, quas nos functiones vocamus, eas actiones dixit.

Publicas] Quae reliquis facultatibus omnibus inserviunt. Hujusmodi est cordis functio, & pulmonum, & arteriarum.

Privatas] Quae peculiari aliquo liquido generando unice destinantur, ut vesicula fellis.

Sexus] Aliae functiones unice maris sunt, aliae feminae, & perinde morbi sunt, qui feminis accidere possunt, maribus vero minime.

Vitales] Hae sunt, quas absoluta necessitate adesse opus est, ut vita sit, & quibus ablatis vita auferitur. Non omnes facultates hujusmodi sunt, nam vita superesse potest, etiam pluribus facultatibus destructis. Harum functionum vitalium unice consideratarum effectum necessarium vocamus vitam minimam. Homo sanus possidet omnes eas functiones, quae ex fabrica corporis possibiles sunt, non autem omnes actiones exercet, id enim, si fieret eodem tempore, morbum faceret. Verum si perierint ipsi pleraeque harum facultatum, remanentibus paucissimis, poterit tamen vitam trahere superstitem. Haec res in hac ipsa academia olim elegantissime pertractata fuit a viro, qui nunc in Britannia magna laude floret: enumeratae sunt partes, quas ablatas esse viderunt medici, vita relicta. Ita totum femur, brachium utrumque, aliquando de corpore ablata fuerunt, neque reliquas functiones minus integras esse adparuit. Post has jacturas truncus superest, de hoc ipso vero trunco possunt grangraena aliqua, aut subpuratione musculi corrupti auferri, neque ideo necesse est, ut homo moriatur. Iterum poterit pars pulmonum ma-

xima

xima consumi. Ipse ego puerum novi, qui post pleuritidem non loqui poterat, quin citissime anhelaret: in cadavere aperto propriis manibus, & oculis vidi, & tetigi pulmonis minimam particulam relictam, juglande nuce non majorem, pectus, pure plenum, diaphragma enormiter deorsum pressum, hinc viscera abdominis pene deleta: vivebat autem cum hac pulmonis particula pulvillorum ope erectus, vitamque solo fere capite trahebat, quod inviolatum remanserat.

Cordis) Vita supereffe dicitur, quamdiu cor sanguinem accipit, & exprimit, & ex his fere phaenomenis responderetur ad quaestionem, num vita supersit? Ut cor sanguinem recipiat, omnino necesse est, aufer hanc conditionem, relinque reliquas omnes, non solum morbus, sed mors continuo integerrimae sanitati succedet. Ergo via est cordis quaedam adfectio, systole nempe, & diastole. Ut has duas actiones cor perficiat, oportet, ut suo loco remaneat, & cum venis magnis sinibus venosis, auribusque dextri, & sinistri lateris, pergat cohaerere. Ex his enim fontibus sanguis unice ad cor venire potest in antra cordis: fac non veniat, cor inane quiescet, eritque mors. Verum perinde necesse est, ut cor sanguinem exprimat in arterias, pulmonalem illam, & aortam: tolle cordis cum his arteriis continuationem, effluet sanguis in pericardium, mors aderit absque mora. Sed porro, ut cor sanguinem in arterias expellat, oportet has dilatabiles esse, ut sanguinem vi cordis expulsum recipiant: vis cordis tres causas habet. 1. Arteriarum coronariarum in totum cor influxum, & earundem diastolen, atque systolen. 2. Actionem nervorum cordis. 3. Influxum sanguinis venosi in cavitates cordis. Hae ergo tres causae absolute ad vitam necessariae sunt. Nam cor agit vi musculosa: sed musculorum nullus agit sublato influxu arterioso: ergo ex communi musculorum lege, cor agere non poterit, nisi sanguis ex aorta arteria per coronarias in cordis substantiam venerit. Deinde nullus musculus agere potest, si commercium cum nervis interrumpatur. Ergo etiam cordis motus requirit, ut a cerebello per nervos liquor spirituosus libere ad cor adveniat. Id autem cerebellum nihil liquidi nervis dare potest, nisi quod ab arteriis habet: id demonstrat arteriarum capitis in experimento DRELINCOURTII ligatio. Quando enim ex quatuor arteriis, quae sanguinem cerebello adferunt, una ligatur, labefactatur animal; quando secunda, jam stertit; si tertia, apoplecticum fit; si quarta etiam, continuo moritur. Ergo ad vitam requiritur sanguinis arteriosi ad cerebellum sufficiens adfluxus, ut ab eo adfluxu spiritus generari queant, qui in nervos a cerebello ortos distribuantur, ut in primis ad cor ipsum ferantur. Sed cerebellum nullum sanguinem habet, ex quo spiritus conficiat, nullum habet, nisi quem a sinistro corde, quod cerebello sanguinem mittit, nisi ex sinistro corde. Verum cor sinistrum, quod cerebello sanguinem mittit, nullum habet, nisi quem a pulmone accipit; & pulmo nullum sanguinem sinistro cordi dare potest, nisi quem a dextro corde habet. Ergo ad vitam omnino requiritur liberum iter sanguinis a dextro corde in sinistrum per pulmones,

nes. Atqui hoc iter non potest liberum esse, nisi pectore moto, & vi respirationis. Ergo etiam respiratio ad vitam necessaria est. Cernitis nunc, quae sint actiones vitales. Ergo vita quidem maxima, sive perfectissima est, in qua & hae vitales, & aliae omnes functiones, aptissime exerceri possunt, quales ad praesentem corporis statum requiruntur. Hanc sanitatem alia voce dicimus. E contrario vita nulla, mors est; vita vero minima, status morti proximus. Neque objici debet, aliquantulam quiescente corde superesse vitam: sive in animali, corde exsecto, sive in homine, uti in Britannia accidit viro perfidiae accusato, cui ex patriis legibus cor spiranti ex thorace ereptum est, qui os exciso corde aperuisse dicitur. Haec enim a vi frigoris fiunt aliquos in musculos spiritus pellentis.

Naturales) Ita eas facultates dicimus, quarum ope corpus humanum sanum conservatur idem, quale semel fuit. Verum vita nostra se ipsam conservare nequit, & longe minus id potest sanitas, quae aggregatum sit omnium actionum humanarum: omnes vero eae actiones fabricam solidam, & humores destruunt, adeoque & ipsa sanitas destrueret sanitatem, nisi facultas inesset corpori, quae restituat adsiduo, quod sanitas de corpore perdidit. Homo sanus non potest viginti quatuor horis absque cibo, & potu esse, quin aegrotet, & quo quisque homo robustiori sanitate est, eo minus vim famis, sitisque tolerare potest: uti HIPPOCRATES, qui corpora athletica ad morbos pronissima pronuntiavit, quando ad summum gradum roboris pervenerunt. Ergo necesse est alias facultates esse, quae homini amissa restituant: id vitales enim non possunt: homo sanus intra viginti quatuor horas adsumit tres libras ciborum: id facit quotidie, & tamen revoluto anno neque auctum pondere corpus invenit, neque diminutum pondere percipit. Id fieri non posset, nisi quotidie tantum in corpore destructum fuisset, quantum adstructum est, & tantum reparatum, quantum de corpore decesserat. Constatum iis, quibus nutrimur: Graecum proverbium est; id enim, quod nunc sum, non ero post annum revolutum. Ungues nobis renascuntur, & pili, & os fractum coalescit ex debito alimento, cibo nempe, potu, & aere, quibus constamus. Haec causa restaurans id, quod amittitur de corpore, quae eadem ex tribus libris cibi, quae non erant parte corporis humani, ejus corporis partes efficit, ea est facultas naturalis. HIPPOCRATES *μοναδὰ σώματος ἀνθρώπου* dixit *τινὲς τοῦ ἀνθρώπου οὐσίον*, cum aliquod nomen facultati imponendum esset. (1732. Natura HIPPOCRATIS est corpus humanum instructum omnibus proprietatibus physicis, quae ad perfectam vitam requiruntur.) Hujus naturae functiones absolvuntur acceptione, mutatione, distributione cibi adsumti, in talem naturam, qualis requiritur ad functiones omnes humanas perficiendas. Ergo facultates naturales supponunt vitales functiones: si enim famelico homini, sed sub aquis suffocato, os cibo repleveris, non deglutiet quidquam. His demum praesentibus contingere potest, ut vasa repleantur, adsumpta mutantur, & aedificentur in corpore.

ris nostri naturam, ut tale id maneat, quale fuerat prius. Huc accetiones, coctiones, distributiones, secretiones, adplicationes, nutritivae omnes referuntur. Si nunc ventriculo, & lateri, & pulmone, & jecori, & cordi bene est, & aliis partibus, tamdiu sanitas permanet. Quamprimum vel unica harum partium deficit a munere, jam morbus natus est, & tales morbi naturales totidem sunt, quod actiones naturales a manducatione ad perspirationem usque recensitae.

Animales] *Ψυχική* vocamus eam hominis partem, quae intra hominem cogitat in cogitando mutatur, & per cogitationes corpus mutat. Vita animalis *ζωή ψυχική*, vita spiritus humani, complectitur omnes eas corporis nostri facultates, quae dum actiones suas mutant, cogitationes mentis nostrae mutant, per mutatum corpus: tum eas, quae a mente in cogitationibus suis mutata, in corpore mutantur. Ergo facultas animalis erit potentia exercendi actionem quamcumque, quae exercita mentem mutet, aut a mente mutata mutetur. Anatomicus in arte sua perfectissimus, aut Philosophus novit, quid vita sit, id omne unice ignorat rusticus. Sed & rusticus, & anatomicus perinde non sentiunt vitam suam, non cerebelli actionem, non sanguinis receptionem in cor, non expulsionem ex corde. Ergo actiones vitales non mutant cogitationes mentis; neque vicissim pendent, aut determinantur a mente. Cor enim, sive vigilaverim, sive somno fuerim sopitus, perinde pergit operari. Iterum, dum facultates naturales exercentur, dum in chylum cibi mutantur, cogitationes mentis minime mutantur, neque enim quidquam unquam novimus eorum, quae tunc intra nos ipsos geruntur. Quando in profundis tenebris versor, & oculum vel aperio, vel claudio, nihil tunc video, sive clausuram, sive aperuerim. Aperiat tunc unico momentulo temporis fenestra, maneat idem oculus, qui prius, sed irradiet lux vivida, subito video omnia objecta, nempe mutatur cogitatio mea. Ergo visus est actio animalis. Vicissim homo quietus actionem musculorum cordis, respirationis, arteriarum, intestinorum, minime percipit. Velit nunc, ut manus ab eo loco, ubi fuit, haecenus recedat, & existat in alio loco: illico eo transferetur manus, agentibus omnibus musculis; qui hanc transpositionem efficere possunt. Ergo & iste motus est actio animalis, nunquam enim contingeret, nisi a mente determinaretur. Morbi vero animales sunt, qui ex defectu animalium actionum oriuntur. Sit bonum cerebrum, bonus oculus, sed nascatur in orbita tumor, qui nervum opticum comprimat: poterit caecitatem facere, & haec morbus animalis est.

Perceptio] Hi sensus interni oriuntur ab externis. Nam etiam quando absentem aliquam rem cogito, eam tamen pono aliquando praesentem fuisse. Quando in memoriam mihi aliquam rem revoco, etiam tunc pono eam rem alias mihi praesentem, & a me cogitam fuisse. Quando judico, pono duas ideas rerum, quae olim mihi praesentes fuerunt, easque ideas comparo. Ergo haec

omnes sensuum interiorum actiones pertinent ad actiones animales.

Voluntarii] Horologium praefens est, quod temporis particulas accurate definiat. Nunc ego, sanus homo, cogito, volo, ut post decem minuta horae manus mea pedis distantia ab eo loco sit, ubi nunc est: haec certae est perfecta praevisionis rei nondum existentis. Accedit voluntas, volo, & definitio temporis. Denuo ad horologium respicio, & quamprimum inde circulum ambuendo venit ad definiti temporis notam, jam factus est motus, quem determinaveram, ut fieret. Ergo motus iste pendet a mente definiente, & ad actiones adeo pertinet animales. His autem actionibus homo carere potest vita superstiti. Nam in perfecta apoplexia, suppresso sensu, & motu voluntario, vita utique superest. Sed etiam naturales actiones possunt vitali salva aliquo tempore abesse, uti v. g. in phthisicis una alterave ante mortem hora abesse solent.

Sanitas) Ea corporis humani conditio, in qua praesto sunt omnia, quae ad omnium functionum humanarum exercitium requiruntur. Haec est vita perfectissima, maxime actuosa, & quae plurimas actiones vel exercet, vel certe potest exercere. Omnium vero actionum in sanitate communis finis duplex est; vel enim pertinent ad perficiendos definitos motus, vel ad humores crudos subigendos.

§. DCXCVI.

Morbus) Eum recte definimus, functionem laesam, quidcunque contra scholas hic dicat HELMONTIUS.

Absentiae) Ad unamquamque actionem physicam requiruntur aliquae conditiones, ut praesens sit. Auferantur hae conditiones, ipsa impeditur functio. Vel maneat omnia integra, oriatur autem novum aliquod impedimentum, functio perinde nulla erit. Ita, si arteria vulnerata fuerit, peribit homo ex defectu sanguinis, qui de toto corpore amittitur per vulnus. Iterum cornea oculi tunica homini compuncta est, effluxit aqueus humor, nihil videbit, sed altero die renascetur idem humor, & cum eo videndi redibit facultas. Sola haec aquula, si reliqua omnia manerent integra, ablata, caecum redderet mortalem. Contra ratione, sanus homo sub aqua teneatur per semiquadrantem horae: perfecte mortuus erit, etsi nihil ipsi desit earum conditionum, quae ad vitam conservandam requiruntur: unice ergo ideo exstinguitur, quod respiratio impediatur. Iterum, si homo ex alto lapsus sanguinem in cranio effusum habuerit, qui opticum nervum comprimat, caecus erit cum optimo oculo. Habetis duas morborum classes, ab impedita functione, & a demta conditione necessaria, ad quas certe classes morbi omnes reduci possunt.

Corpus) Medicus, quatenus medicus est, non agit nisi in corpus, & dum solum corpus mutat, ipsam etiam mentem mutat, non, quod arte

sua in mentem aliquid possit, sed ex CREATORIS instituto, qui voluit ut hanc definitam corporis actionem certa etiam, & determinata mentis cogitatio sequeretur. Chirurgus, qui cataractam deponit, nescit, quid sit videre, sed aufert de oculo corpus opacum, quod radios interceptit, & efficit, ut oculus pelluceat: continuo videbit homo, qui antea nihil videbat; neque ideo aliud quidquam fecit Chirurgus, nisi quod fit, dum tabulatum removemus solis radiis obpositum. Ergo in mente nova oritur mutatio, cogitatio nempe de objectis visibilibus, quae certe orta non fuisset, nisi medicus corpus mutasset: quia ad definitum statum corporis etiam cogitationes definitae perpetuo vinculo conjunguntur.

Restituit] Offeritur medico sanandus homo melancholicus; frustra certe curationem molietur argumentis rethoricis, dialecticis, mathematicis, aliisque artibus, quas mentis purgationes EPICHARMUS vocabat. Sed utatur jure suo medicus, expurget atram bilem, unico certe die mentis usus restituetur misero, ex solius corporis mutatione.

Mentis ignoratur] Medicus non tenetur scire, quid mens sit? quomodo a cogitatione ad aliam cogitationem transeat? quid memoria sit? [Memorem autem esse, est unice pergere cogitare: hac vi sublata, mens fit punctum cogitans, quod hoc momento quidem est, sed continuo esse desinet altero momento, nisi nova accesserit creatio. Verum CREATOR fecit rem aequae admirabilem ac ipsa aeternitas, nempe ut in puncto fluxili cogitationis praesentis simul existat cogitatio praeterit.] Fieri potest, ut haec omnia, quae ad mentem pertinent, vera sint: non ideo profunt medico. Deinde etiamsi haec omnia sciret, & archimedeae demonstratione, vel revelationis ope maxime authenticae oppugnaret insani hominis absconditas cogitationes, nihil ideo cum tanta sapientia sua efficiet. Si vero feceris tales esse humores, quales sanitas requirit, & actionum integritas, mens continuo recte cogitabit. Si anima posset oblivisci artem videndi, quis ipsam doceret amissam scientiam? Apoplexiae sedes non est in anima sensitiva, licet hujus animae functiones impediat. Caecitas non est aliqua mentis impotentia. Nullum exemplum est, bonum oculum non vidisse. Melius haec PARACELsus, quam ullus dogmaticorum, qui ita loquitur, Corpus est domus, anima hospes est, ergo si quid vitii est, domum repurgare oportet. Fac clarum esse eam domum, videbit hospes: ita fac bonum oculum esse, necessario videbit aeger. Noli ergo quaerere, an aliquando corpus horologii simile absque anima fuerit. Id ignoro: quamdiu enim corpus nobis cognitum fuit, animam utique habuit comitem. Haec ex lege naturae sunt.

§. DCXCVII.

Perfectio sapientiae medicae in eo ponitur, ut habeatur accuratissima descriptio corporis humani plena haecenus quantum sensus docent, & corpus humanum ita cognitum sit medico, uti DEUS ipse hoc ipsum corpus jussit existere: non ideo cogitando, quomodo ita factum sit. Ergo haec perfectio artis erit, si minutissime teneatur natura partium solidarum, & fluidarum, tuncque sciatur de omni corporis humani actione, a quibus partibus fiat, & a qua conditione physica singulae harum partium pendeant, sicque per omnia organa cognitum fuerit, quae causae sint actionum horum organorum: uti in corde certo novimus, arterias, venosum sanguinem, & nervos causas esse actionis cordis, neque enim ulla alia parte cor cum reliquo corpore conjungitur. Si ergo patienter, & bona fide, notaverimus cujusque partis creatae actiones, & in partibus quibusvis conditiones requisitas ad agendum, tunc quidem omnia scimus, quae scire licet, & decet, & firmam posuimus medicinae basim. Iterum nemo novit, quid sit videre; sed explicavimus visionem, quando oculi descriptionem talem proposuimus, qualem CREATOR fecit, & deinde ex physicis historice docuimus, quid sit reflecti, quid refringi, quid irradiari. Ultra nihil licet. Nam etsi colorem rubrum absque ulla obscuritate cognoscere facile sit, causam tamen, cur ruber adpareat, nemo potest definire. Sed perdita restaurare nunquam discemus. Pedem amputatum nemo faciet renasci, licet vasa, ex quibus pes iste nutritur & formatur, in trunco omnia adsint. Neque capillum delapsum regenerare possumus, neque unguem restituere, si quando absque radice residua excisus fuerit.

Animato] Qui in archæum, vel principium cogitans, agere volunt persuadendo, debent prius cognitos habere hujus entis sensus, quorum ope cum ipso communicare liceat.

§. DCXCVIII.

Cognoscere Morbum] Est, scire defectum functionis, sive a presentia impimenti, sive ab absentia conditionis requisitae functio laesa fuerit. Ut cognoscantur defectus functionis, debent cognitae esse functiones omnes, quae in parte quacunque exercentur. Id non fit, nisi cognitis partibus, quae functiones producant, & conditionibus physicis, quibus possitis actiones suas exercent. Quando hae causae actionum nobis cognitae sunt, tunc ipsam pariter actionem perspectam habemus. Qui enim cognitam habet causam physicam, is etiam effectum novit: nam causa physica, & effectus non differunt nisi tempore cogitationis. Cognitas habeto mille conditiones physicas, quas conjunctas, & omnes inte-

gras esse oportet, ut oculus bonus sit: tunc quidem demum intelliges totam functionem videndi. Si ex his mille cognitionibus physicis unam deesse sciveris, jam intelliges, functionem exerceri non posse, & defectum esse in ea parte millelima, dum reliquae 999. conditiones physicae, cum suis operationibus cognitae, pergunt operari. Ergo cognitio morbi pendet a perfecta cognitione actionum, quarum defectus morbus est. Non sufficit morbi nomen tenere, cognoscenda est morbi causa proxima. Facile est cognitu, aegrum praesentem caecum esse: verum haec cognitio nihil juvat ad sanationem: id scire oportet, unde caecus sit, an in humoribus sit vitium, an in nervis, an in partibus externis. In aure dextra hominis perfecta surditas est, offertur aeger, juberis respondere, quid ista surditas sit, nam surditatem dicimus amissam facultatem audiendi. Hujus facultatis plurimae causae sunt, quarum omnium defectum unica voce surditatis comprehendimus. Morbus idem & unus est, & millicuplus. Omnes species surditatis conjunctae efficiunt simul unam ideam totalem surditatis, quae nihil explicat, quia nulla existit in rerum natura surditas *in genere*. Sit vero species surditatis generalis, in qua meatus auditoribus materie gypsea obfereitur. Nunquam hanc neque cognosces, neque sanabis, nisi sciveris, quid sit audire. Id si ignoraveris, nihil scies de morbo tibi oblato, nisi ablatam esse audiendi facultatem; neque poteris aegrum juvare, nisi uti singulas, ita etiam hanc speciem surditatis perspectas habueris. Si vero perfecte tenes, quid si auditus, si foveris morbosam aurem, fotaeque injeceris aquam sale, & melle mistam, educes utique materiem, quae aurem obstruxit, & aegrum restitues sanitatis. Iterum, homo ictum in caput accipit, sanguis effusus premet cerebrum, & homo perfecte surdus erit. Nihil hic aut fomenta juvabunt, aut impulsu liquores: nam haec surditas est sensorii communis obpressio. Ergo tolle causam efficientem, terebra cranium, aufer effusum & stagnantem sanguinem, sanabis utique hominem. Nunc quotcumque causae surditatis fuerint, coges tenere omnes, non sanaturus obvios aegros, nisi omnes tenueris. Sanabis utique, si felici casu factum fuerit, ut illae in aegro conditiones deficiant, quae tibi notae sunt: omnino in tenebris futurus, si vitium in iis fuerit, quas tu ignoras. Inde tot infelices medicationes: ex hac ignorantia factum est, ut chirurgi spiritum salis ammoniaci ad amaurosin alienissima ratione medicandi adhibuerint. Si vero omnes causas accurate tenueris, quae auditum faciunt, tunc utique habes ideam morbi, qui tibi curandus incumbit. Alius homo surdus est, qui antea acute audivit: supervenit autem validus catharrus, deinde alvi fluxus, & morbi solutio. Hoc fit, quando materies catharrhalis occupavit aperturam tubae Eustachianae, qua in supremas fauces patet, & ibi membranae aliquae intumuerunt, uti in naribus fit, quae gravedine tentantur. Hujusmodi tumor poterit surditatem fecisse. Quando nunc materies soluta inferiora petit, tunc

homo

homo perfecte liberatur. Haec inculcanda sunt, quia non defunt nostris temporibus viri clari, qui putent, artem nostram plura requirere, quam corporis humani cognitionem. Ego vero non ultra puto medicinae limites proferendos. Ut curem surdum, non debeo mentem ejus docere, quid auditus sit, sed ita disponere organum, ut DEUS dispositum esse voluit, ut ex definito statu corporis definita idea sequatur.

Pathologia est idea generalis morborum, sive eorum, quae contra naturam sunt. Hujus pathologiae quatuor partes sunt. Prima est morbi definitio *in genere*. Haec Pathologia stricte sic dicta dat ideam simplicem entis, quod morbum vocamus: mutatam nempe, vel laesam actionem vitae. Vitam tollas, non morbus erit, si gladio cadaver percusseris, vita enim deficit. Recte adeo, & olim PARACELSUS, & nuper HELMONTIUS, omnes morbos in vita esse. 2. differentias morborum tradit, non subtiliter distinguendo, sed ita, ut totidem classes diversae morborum constituentur, quod diversae medendi methodi ex differentibus morbis oriuntur. Hoc ideo necesse est, quia idem morbus in diversis partibus diversos morbos efficit. Ita debilitas nimia partium solidarum in pulmone tabem, in rene mictum sanguineum, in carotide apoplexiam faciet. Verum, qui morbi eandem causam habent, ii eandem etiam requirunt curationem. Si singulos oporteret recensere, finis nullus esset, cum innumerabiles sint. 3. causae morbi. 4. Effectus ex morbo sequentes, uti ex causa physica effectus profluit.

MORBORUM DIFFERENTIAE.

699. **U**T itaque actiones, sic morbi, distingui possunt; ut conditiones ad actiones, ita & harum defectus; hinc 1. morbi partis solidae simplicis, organicae, 2. humorum morbi, horum naturam, copiam, accidentia spectantes; 3. morbi ex his binis compositi, qui humani, masculini; foemini. Ad quas classes summas omnes compendio duci queunt.

§. DCXCIX.

Solidae] Quae ita cohaeret, ut non possit divelli absque vi, & totum, quando liberum est, potius sequatur, quam ulla a parte partiala separetur.

Simplicis] In parte nempe firma, quatenus communis est omnibus partibus. Similares dixerunt barbari.

Organicæ) Quæ ex diversis simplicibus ita coalescunt, ut dum singula partium suam singularem actionem producit, inde nascatur actio toti communis. Morbi organici omnes compositi sunt, nam in debilitate pulmonum, & simplicis solidæ partis morbus adest, & organi totius.

Naturam) Si solida optima ponas, sed fluida mutata, jam morbus erit, a quo ipsa solida patientur. Si boni sint humores, sed in loca aliena excefferint, etiam inde morbus nascitur.

Copiam) Quando hæc corrumpitur, est *κατοχυμία*, quando copia excedit, *πληθώρα*, quando deficit, *κεναιγγεια*.

Humani) Qui spectant ad usum sensuum externorum, internorum, adfectum animi, motusque musculares.

MORBI SIMILARES.

700. **M**Orbus partis solidæ simplicissimæ, Similaris dictus, proprie 1^o obtinet in fibra ultima; quæ quum sit corpus mere terrestre, tenue, simplex, nervosum, vel ex nervis oriundum, conflatum ex partibus terrestribus subtilissimis, certa vi, medioque pingui glutine, connexis, patietur in primis morbos nimii roboris, nimiae debilitatis, rigiditatis, laxitatis, unitatis solutæ: quatuor quidem priores semper habent rationem certam ad *συμμετρίαν* sui corporis: hinc diversitas uni salubris, morbosa saepenumero alteri est.

701. Idem morbus, una cum suis differentiis (700.) obtinet 2^o in membrana minima ex fibris hujusmodi junctis, vel intertectis, facta; & 3^o in canalibus minimis nerveis cylindrica concretione cava talis membranae constitutis; 4^o in membrana contexta ex talibus canaliculis, usu fibrarum fungentibus; 5^o in canalibus ex tali membrana composita factis, quæ sunt omnia vasa majora corporis, vario gradu compositionis admodum differentia; 6^o in iis partibus solidis, quæ ex canalibus humore distendente orbis, compressis, concretis,

ris, constant; vel quae ex humore crassescente, atque una cum proprio vase coercente concreto, in unam quasi singularem partem crassio rem abeunt: si enim examinantur morbi omnibus his seorsum spectatis accidentes, deprehenduntur modo esse mox descripti.

702. Quin etiam in his partibus semel sanis morbi oriri quaeunt male structurae, si solida minima nutrientia mala, vel male apponuntur; & quidem particula apponenda mole, figura, soliditate, mala evadere potest; appositio autem mala iterum videtur tantum habere morbos eosdem, ac sunt jam descripti (700.)

703. Qui enim ulterius inquirat in originem horum morborum, jam sane tractabit vitia humorum, aut incidit in subtilitatem sensibus abditam, nec utilem Medico: quare etiam morbi Similares Temperiei, Elementarii, aut totius substantiae, in scholis vocati, hic profecto locum habere non possunt, nec intelligi; sed ad compositos, si queunt, legendi.

§. D C C.

Simplicissimae). Ita vocamus ea corpora, quorum omnes partes & fibi, & toti similes sunt. Cum vero partes organicae constent simplicibus particulis, necesse est, ut morbi partium simplicium organici perinde conveniant.

Ultima) Corpus nostrum, quam magnum in adulto homine est, crevit ex minutie omni grano sabuli minori. In hoc tamen tantillo corpusculo & vasa erant, & humores, qui suas mutationes paterentur: incrementum autem non ab externa adpositione advenit, sed per humores corporis nostri interne natum est. Quae partes nunc durissimae sunt, eae olim liquidae fuerunt, prius nempe, quam elementa in unam massam cogerentur. Elementum autem neque solidum est, neque fluidum, tunc autem quando cum aliis elementis conjungitur, ex ipso nexu fit in solidum, & si absque nexu fuerit mistum aliis elementis tunc fluidum dicitur. Hoc adeo solidum simplicissimum est, quod ex duobus elementis, quae ad fluiditatem, & soliditatem adiaphora fuerant, nunc per longitudinem connexis componitur: hic enim nexus reliquis minor est, & simplicior. Elementum ipsum in respectu ad patientiam divisionis nullum habet neque longum, neque latum, sed respectu appositionis

nis admittit utramque dimensionem, & abit in lineam per longitudinem divisibilem, five fibram minimam, quae nullam, si ad divisibilitatem respexeris, aut crassitiam habet, aut latitudinem, sed unice longitudinem; & fit ex elementis per eam longitudinem sibi adpositis. Hanc fibram cognitam habemus, elementa vero, ex quibus componitur, penitus ignota sunt. Hujusmodi fibra recta esse potest, nihil tamen impedit, qui etiam circularis sit.

Terrestre) Quod nec aqua, nec aere, nec igne resolvitur. Hoc de vera terra dici potest, neque salibus convenit.

Simplex) Quod ex nullis aliis vasis componitur.

Nervosum) Liquidum, quod facit, ut minima fibra crescat, debet ingredi vas minimum, sed vas minimum nervus est. Fibra vero non nascitur, nisi ab elementis ab initus adpositis, Ergo ipsa minima fibra non nutritur, nisi per nervos.

Connexis) Partes pure terreae non cohaerent: nam cineres dilabuntur, & vento diffantur. Ergo elementa ultima gluten requirunt, quo cohaereant, Hoc gluten duplex est, nempe aliud aquosum, aliud pingue, five oleosum. Glutine deleta fibrae in cineres abeunt, neque ultra cohaerent. Exemplo res notior fiet. Habeo cineres ab omni sale lavando purgatos, destinatos, ut testa docimastica inde fabricetur: ergo cineres istos cum aqua subigo, in pastam fingo, cohaerebunt, & in filtrum fient. Quando eosdem cineres cum oleo subigo, & in furno exsicco, ut oleum excoquatur, tunc fortissime cohaerent, & firmissimum vas mihi praestant. Si vero ignis tortura aquam istam, vel oleum omne expuleris, denuo in pollinem tua aqua redibit. Ita diuturna caeli siccitas facit, ut terra dissoluta in pulverem abeat, volatilem, albae nubi similem. Quamprimum pluit, eadem terra in tenacem pastam cohaeret, quae rhedarum rotas moratur.

Morbos) Elementum unicum, seorsim consideratum, nullum morbum patitur, aut ignotos certe, si sunt aliqui; nam elementa sensus fugiunt. Sed neque in duobus elementis alius morbus erit, nisi quatenus connectuntur. Nexus enim elementorum potest nimis firmus esse, aut debilius justo, aut denique nullus. A prima conditione firmitas, elasticitas, robur nimium oriuntur. Ab altera, debilitas, laxitas, defectus elateris in fibris. Ab ultima, solutio continuitatis, s. vulnus, quando fibra discedit in elementa nunc dissoluta, quae prius conjuncta fuerant.

Συμμετρίαν] Non possum generalem aliquam hic regulam tradere, quantum oporteat esse gradum cohaesionis, ut optimus sit, & sanitati optime conveniat: quantum enim hominum corpora, tantum etiam cohaesiones differunt. Dum grano sabuli minores eramus, guttula fuimus liquidi. Prius quam MALPIGHIUS artem didicerat ova secunda in aqua tepida contemplandi, pullus plumulae impositus, totus liquidus, diffuebat. Verum ex hujusmodi pullo gallus gallinaceus nascitur, cujus ossa, & rostrum

tanta duritie sunt, ut a dentibus diffringi renuant. Ergo medici non possunt eam sibi sumere auctoritatem, ut sciant, quae sit rei alicujus mensura. Catuli milesii, adeo adamati virginibus, qui ex Hipsania, & Lusitania advehuntur, solent tunc pulcherrimi haberi, quando minutissimi sunt. Ergo lavantur quotidie alcohole vini, cujus efficacia partes solidae ita indurantur, ut crescere nequeant, & canis tota vita catulus maneat. Si arte aliqua fibris solidis pueri annui posset id conciliari robur, quod in fibris adulti est, tunc quidem cor tantas resistentias arteriarum superare non posset, & maneret embryoni simillimus homuncio, nihilo major, quam cum primum in luce edebatur. Adparet, quantum nimia rigiditas fibrarum nocere possit. Sed nihilo innocentior est laxitas nimia, Hydrocephalos laxitatis genus est, quae commissurae ossium cranium componentium accidit, tanta, ut membranae, quae ossa connectunt, ab arteriis se dilatari patiantur: ex hoc morbo capita in immensam molem intumescunt: posset autem superari, aut evitari, si ossibus tanta firmitas praestari posset, quae hanc extensionem superaret. Ergo haec omnia non fiunt in morbos, nisi in incongrua loca transponantur.

§. D C C I.

Membrana) In Geometricis superficiem decimus spatium non crassum, επιφανες του σωματος quod longitudinem habet, & latitudinem, profunditate vero destituitur. In corpore humano eadem ratione membranam vocamus, quae longitudinem habet, & latitudinem, crassitiam vero non habet. Quando nempe fibra ad fibram adplicatur, ut longitudines se contingant, membrana est divisibilis secundum longitudinem fibrarum sibi adcumbentium, & parallelarum, quae aliquando tamen se invicem superaequant, ex MALPIGHII [in plantis] & GLISSONII observationibus. In corpore humano nulla ullibi fibra simplex reperitur, neque simplex aliqua membrana, quae in vas convoluta non sit. In hanc membranam simplicem non alii morbi cadunt, quam fibrarum juxta longitudinem sibi adcumbentium cohaesio nimia, aut nimis parva, aut denique nulla: eosdem ergo morbos patitur, quos fibra minima.

Canalibus) Hoc nomen damus membranae in se ipsam ita revolutae, ut cavitatem intercipiat. Hujus canalibus morbi, quantum ad firmas partes pertinet, sunt denuo iidem, rigiditas, laxitas, dissolutio. Verum hic accedunt alii morbi compositi, ad quorum definitionem liquidi consideratio conjungenda est, nempe aperturae laxitas, aut angustia; alio porro loco dicendae.

Contexta) Canales simplices, tamquam fibrae considerati, possunt in tegmen, & subtegmen uniri, & alias membranas formare. Et haec denuo eos morbos patientur, quos fibrae simplices.

Composita) Quando ex vasculosis membranis modo nominatis in se ipsas

ipsa revolutis, & concretescentibus alii canales nascuntur, propriis praeter fibrarum morbos malis obnoxii. Non alii canales nobis cogniti sunt: & ne quidem secundi generis canales oculis obnoxii redduntur, sed quinti demum, aut sexti ordinis; Aorta arteriae forte ex milionibus integris vasorum, & membranarum componitur, & haec tamen arteria non alios, nisi fibrae simplicis morbos patitur.

Compressis) Canales olim impleti, nunc exinaniti, ut fibrae componentes ad contactum mutuam perveniant, concretescent in novas fibras. Haec corporis humani communis natura est, ut nullus canalus in toto corpore aliquo tempore vacuus esse possit, quin continuo concretescat cum partibus vicinis. Homini perforatur cultro peritoneum; in ea certe sede, per quam causa vulnerans transiit, nascetur cicatrix; sed cicatrix non perspirat quidquam, ergo intestinum, vel omentum cum ea ipsa sede peritoneaei connascetur. Eadem ratione si vulnus in pectore acceperit, cicatrix in pleura nascetur, quae neque ipsa perspirabit, & ad eum locum pleura cum peritoneaeo connascetur. (Quando similis causa in omni puncto canalus alicujus minimi obtinet, tunc utique longe facilius concretescet, & ex pluribus minimis vasculis unus canalus solidus fiet) nempe fibra; & hac ratione nova nascuntur solida, quae post nativitatem corpori adduntur, morbis fibrae simplicis pariter obnoxia. Visum est cor cum pericardio coaluisse, & in loco concretionis locus ficcus inventus est, sedes inflammationis, quae coalitum praecesserat. Visa pleura cum pulmone connata.

Humore) Omnes humores, qui diutius in corpore humano in eodem loco stagnerunt, concretescent in polypum. Hoc malum, postquam semel natum est, perpetuo crescit firmitate, pulla materiae liquidiori, ut sola massa insolubilis superfit, novumque genus canalium solidorum nascatur. Hi polypi nascuntur in mediis liquidis, & tamen non raro confervent cum vasis, quibus continentur. Visus est in corde dextro durus polypus, qui sanguinis transfluxum impediret, & cum cavis parietibus cordis ita coalitus esset, ut ne lacerando quidem avelli posset, sed cultro opus esset, ut separaretur.

Unam quasi singularem] Olim totum corpus nostrum ex solis canalibus compositum fuit, nunc multi coaluerunt, exque imutis unus canalus major factus est. Cavitas communis vasis compositi habet motum validiorem, quam vasa componentia. Nam omnis motus in corpore humano venit ex corde, & per arteriam magnam advenit, hinc in cavum commune hujus arteriae maximum impetus nititur. In systole arteria expellit liquidum cavitate sua, & implentur canales, qui parietes componunt: quando vero vis cordis arteriam extendit, tunc comprimuntur canales minimi. An nunc plures modi supersint, quo solida fiant ex fluidis de eo non definitio. Quoscumque tamen observationum scriptores evolvi, (sed hos solos amo, de commentatoribus parum curio-

fus), iis sollicitè excussis, non aliud exemplum inveni, quo canale vel liquida in solidas partes corporis humani degenerare possint. Caeterum hi ipsi morbi naturales sunt, & ex ipsa vitae diurnitate nascuntur: ex ea enim sola, sibi relicta, abolentur vasa corporis humani, ut totum paulatim ad vivendum ineptum reddatur, & ipsa denique sanitas facit, ut corpus desinat vivum esse.

§. DCCII.

Apposita) Corpus perfecte sanum est, quando & solidae partes, & liquidae in definita symmetria consistunt. Fac nunc in tali corpore perfecte sano, ut ex causa quacunq; particulae nutrientes non sint perfecte tales, quales fuerant particulae detritae; jam corpus mutari incipiet. Rectè HELMONTIUS, quando regenerationes non perfectae identitatis sunt, est introitus ad vitam brevem, & corpus degenerat. Medicus tamen haec mala neque cognoscere poterit, neque sanare: possunt autem hae particulae alibiles aut nimia soliditate, aut malo modo adhaerendi peccare.

§. DCCIII.

Temperiei) Dimidia pars scriptorum medicorum tradit unice morbos elementares, maxime generales. Galenici de calido suo, humidoque laborant, Chemici in sale, & oleo toti sunt, utrique voces nobis exhibent sonos sine sensu, quibus nulla subest significatio. Legite ARGENTERII magnum opus, poteritis per sex menses integros delectari hac pulchritudine ingenii. Sed quaeso, quid legitis? Legite magnum SENNERTUM, in capite de elementis, habebitis, quae cognita non profunt, neque ignorata nocent, telas aranearum, subtiles, sed uffu cassas.

Substantiae) Galenici docent, morbos fieri a quatuor qualitatibus primariis, calido, in quatuor gradus distincto, frigido, totidem diverso gradibus, humido denique, & sicco. Verum non poterant cum ulla veri specie omnes morbos ad has classes revocare. Ergo si quando vipera hominem admorsit, non potest mortem effugere: cum tamen neque calidum peccet, neque humidum, neque siccum denique, aut frigidum. Cum hos morbos viderent veteres, dixerunt morbos esse totius substantiae, quia in nulla suarum qualitatum sedem eorum reperiabant. Verum si aliquid per hanc vocem intellexissent scholastici, dixissent utique ad HIPPOCRATIS exemplum, amarum, est quod peccat, aut salsum; aut non harmonicum denique, PLATONEM secuti. Nunc nihil de tota re videntur intellexisse; hinc, cum ideo nolent filere, vocem dedisse, & nihil praeterea.

704. **U**BI autem pars quaedam corporis composita ex partibus enumeratis (700. 701.) valet actionem motu humorum peragendam munere instrumenti peragere, aut aliud quoddam munus vi suae conformationis effigere, tum spectari potest vel in se, ut pars solida, vel ratione habitata ad suum humorem contentum; si prius fit, tum morbi Organici dicti in ea recensentur commodissime ad quatuor hasce classes.

1. Figurae laesae in externa, vel in interna superficie, tum in accidentibus utriusque, asperitate, laevitate, rectitudine, curvitate, laxitate, densitate, cavitate, soliditate, qui morbi malae confirmationis appellantur.

2. Numeri in excessu, vel in defectu.

3. Magnitudinis auctae, vel imminutae.

4. Situs, nexus, hinc mobilitatis excedentis, deficientis.

705. Ipsa vero superficies prius sana, deinde vero laesa, consistente vel in adunatione partium componentium variata, vel in morbis humorum ibidem peccantibus.

606. Quatenus autem superficies format cava, ut fiant meatus, sinus, receptacula, peccare potest numero, unde raro morbi, vel magnitudine cavitatis factae exsuperante, aut deficiente.

707. Si naturalis cavitatis capacitas augetur nimium; aut si nova quaedam formatur, oritur triplex malum; quod *ὕπασόματος*, *Διαπήδησις*, *Διάρρηξις* appellatur: in primo dilatatae cavitates ora emittunt retinenda: in altero partes membranas constituentes sic divelluntur, ut interstitia hiantia nascantur demittentia continendum: in tertio denique contingit cohaerentium vera separatio: unde merentur retineri hae morborum species, saepe in unam diaeresin exeuntes, quandoque se restituentes, & optime ex mechanicis explivandae.

708. Aucta vi humoris vas nimis auctum, quod capacitatem constituit morbos in materie trajicienda, secernenda, excernenda, peccantes.

709. Cavitatis autem imminutae quintuplex censetur species, 1. Εμφραξις, cavitatis obturatio per viscosum, crassum, grumosum, inflammatorium, calculosum gypseum, purulentum, adiposum; ipsa vasorum cava occludens. 2. Στενοχωρία, angustatio viae, quando enatus tumor in substantia propria membranae, constituentis cavitatem, meatum arctat, & impedit. 3. Ολίψις, causa externa membranas vasis sibi invicem apprimens, cavitatem per gradus minuit, tandem perfecte tollit. 4. Σύμφοσις, quando latera cavum formantia vel θλίψις, vel εμφράξις penitus coalescunt ita, ut tota aboleatur capacita interior, quo & referri solet. 5. Συνίλησις, qua dicuntur vasa inanita, collapsa suas cavitates amittere; intelligi potest in iis, quae ultra totum distenta per morbosam materiem nimia κενεαγγεία evacuantur subito. An & huc referri debet vasis contractio nimia per vim excedentem fibrarum orbicularium?

710. Numero autem excedente pars organica raro peccat, ut morbo; nisi inde fessuatur laesa actio: sed a defectu laborat saepe; ut morbo annumerari debeat.

711. Sed magnitudo ni parte organica morbosa saepe habetur, quae tum etiam excessu, aut defectu peccat. Prior complectitur tumores, υπερσπαρκώσεις, nodos, tophos, exostoses hic plerumque potest referri ad cavitatis angustationem circa fines angustos, dilatationem vero in medio; aut ad παροχυμίαν, ἐκχέμασιν, Διαίρεσιν. Posterior autem adest, ubi requisita magnitudo partis ad agendum minuitur; estque ejus conceptus in κενεαγγεία, ἀτροφία, φθίσει, nimia contractione, in temperie nimis stricta, mutilatione.

712. Denique est morbus organicae partis consistens in compositione mala cum aliis partibus; quae quidem in situ, nexuque, haeret, & in qua mobilitas, vel immobilitas partis, continentur. Ad hunc morbum ergo pertinent, figura necentorum laesa; ligamentorum necentium nimia accurtatio; eorumdem peccans elongatio, horum laxitas; aut rigiditas, tandem disruptio; materiae inter necenda requisitate absentia, aut depravatio; aut peccans presentia; distortio; subluxa-

luxatio ; luxatio ; qui tres morbi postremi sursum , deorsum , antrosum , retro , introrsum , extrorsum , contingentes varia iis nomina, ad intellectum eorum utilia, Imponunt ; Herniae umbilicales , inguinales , scrotales , vesicae , in viris , femorales in foeminis , tum omenti , intestini , pinguitudinis , aeris , aquae , in eas ingressus ; uteri prolapsus , vesicae , & intestini recti ; musculorum , tendinumque in primis eorum ex debitis locis exilitio ; membranaceorum vinculorum eos proprio loco retinentium laxatio , ruptio ; primarii sunt huc pertinentes morbi , intellectu sane perquam necessarii in Medicina.

713. Est & morbus parti solidae , tam simplici , quam organicae , communis , qui dicitur solutio continui simpliciter , si in parte simplicissima sit ; sed in parte organica composita varie denominatur a natura partis , a diversitate causae , a discrimine applicationis ; huc ergo spectant vulnus , scissura , fissura , punctura , contusio , ulcus , corrosio , dilaceratio , ruptura , fractura , fissura , exfoliatio , caries , spina ventosa .

§. DCCIV.

Composita) Haecenus consideravi vas minimum , nempe nervum , nunc transeo ad pulmonem , qui ex nervis componitur . Si in pulmone partem solidam seorsim consideravero , nihil inveniam , quod dudum non dixerim : si vero consideravero eundem ratione habita humorum , qui sua vasa perfluunt , longe alia utique consideratio nascetur .

Partibus) Nempe ex totidem partibus compositam esse oportet , quot ad hoc totum requiruntur . Oculus est pars corporis humani organica , cujus ope visus perficitur . In oculo membranae sunt , & umores , & nervi , & arteriae , & venae : hae partes constituunt oculum , & ipsae ex solidis , & fluidis partibus compositae . Solidorum morbos dixi ad DCC. Sed alii supersunt , quos reperimus minutiori indagine facta . Cornea in oculo est tota pellucida : pone hanc opacam reddi in aliquo puncto , perla erit , vel asteriscus ; si latior macula fuerit , onyx dicetur ; & plures porro gradus mali distingui possunt . Nempe membrana cornea fit innumerabilibus stratis sibi incumbentibus membranarum globosarum : has separavi , adhibui lentem vitream , integras horas impendi , laedebam corneae superficiem acu subtilissima , tunc inspiciebam oculo armato . Si nunc in aliquo horum stratorum vel humor stagnans concreverit cum membrana sua , vel vasa inter se invicem conferbuerint , oculus in iis locis desinet

vide

videre, & morbus erit in partibus solidis. Alios ergo morbos partes organicae patientur ratione partium simularium, & eos jam dixi; alios respectu ad compositionem suam, vel effectum.

Figurae] Id est *συν επιφανείας* superficiei limitatio.

Interna] Multum distat, num vasa in superficie interna laesi fuerint, num in externa. Longe alius morbus oritur a vulnere vesicae, in ea membrana inflicto, quae extrema peritonaeum contingit, & alius a vulnere, quo cava superficies laeditur, quae urinam continet.

Rectitudine] Talem natura dedit vertebrali arteriae, & catotidi: coronarias vero non rectas fecit, sed continuo in circulum conflexas.

Soliditate] Si Pulmo noster, adultus, vasis constaret, ex qualibus in nobis pueris fuit compositus, tunc utique sanguis ex rara textura undique efflueret.

Numeri] Digni sex in manu, vel quatuor, exemplum praestant hujus generis morborum. Ea ratione fieri potest, ut aorta arteria in ipso principio bifida reperiatur. Aliquando duas vesiculas felleas legimus in uno corpore repertas fuisse. Verum haec non solent vitam nostram turbare.

Magnitudinis] Omnes partes corporis humani sani observant symmetriam perfectissimam: si nunc aliqua harum partium mole aucta fuerit, exercebit aliam actionem ratione totius corporis, & laedetur perfectio corporis, quae ponitur in mutuo nexu partium singularium ad commune officium. Exemplum est in musculis, si quando antagonistarum aliquis justo major factus fuerit, hinc adversario praevaluerit, ejusque functionem sustulerit.

Nexus] Hujusmodi morbi plurimi sunt, a quibus mobilitas, & immobilitas partium pender.

§. DCCV.

Peccantibus] Ex hac sola demonstratione innumerabiles species morborum delentur, in quibus veteres nimii fuerunt. Figura fibrae, si per *καταχρησιν* figura dici potest, quae nullum spatium comprehendit, est linea recta. Superficies fit ex fibris conjunctis, vel parallelis, vel intertextis. Ergo superficies non alias adfectiones admittit, praeter eas, quae in fibras cadunt. Quando nunc oportet figuram partis alicujus politam esse, ut actione sua defungatur, uti in palpebrae interna superficie haec autem figura ex levi in asperam mutetur, tunc haec mutata figura efficiet, ut palpebra, quae intus accuratissime sentit, super globum oculi non possit libere moveri: sed hoc morbus est. Si idem in arteria aliqua fiat, ejusque membrana interna a perfecto levore degeneraverit, natum est impedimentum circuitus sanguinis. Haec autem morbosa adfectio superficiei sedem suam habet, vel a partis solidae per appositionem incremento, quod rarum est, vel in vasorum obstructione, & aggestione humo-

humorum. Arteria in corpore humano, semel sana, non potest laedi nisi infarctu, aut detritu. Hujusmodi perlae, vel χαλασαι in oculis nascuntur ex obstructis vasis; ergo morbus iste eo videtur referendus esse.

§. DCCVI.

Cava] Quando membrana in se ipsam revoluta cavitatem intercipit, tunc erit vel simplex meatus, per quem jugiter liquor defluit; vel finus, quando canalis ex angustiori latior fit, & liquida adeo lentius moventur, quo canalis a principio suo longius abest, qualis est venae Portarum sinus ratione venae mesentericae, vel tandem receptaculum erit, in quo liquor aliquo tempore quiescit, quale vesicula fellis est.

Numero] Nihil interest nostra, num arteria aliqua in duos potius, aut tres ramos dividatur; hinc hi morbi raro occurrunt.

§. DCCVII.

Augetur] Omnia vasa, quae ex corde egrediuntur, oriuntur ex unica arteria Aorta; hujus definita est diameter, quando legitime se habet ad capacitatem cordis, & capacitatem reliquarum arteriarum conjunctam. Quando nunc aorta arteria in aneurysmatis speciem dilatatur, & in diametrum duplo majorem extenditur, quam quidem in statu naturali est, tunc oritur cordis palpitatio. Cor enim sanguinem expellet nihilo pauciorum, quam in perfecta valetudine. Verum hunc sanguinem expellere debet in canalem duplo ampliorem, & minor hinc oritur celeritas, quam quae prius in sanguine solebat esse, dum per canalem conicum convergentem angustiore fluebat. Contraria ratione, si arteria angustior facta fuerit, per cartilagineum aliquem tumorem, aut senilem illam οὐδ' προγενεσιαν, orietur perinde palpitatio cordis, quia arteria dilatationi suae nimis valide resistit, neque cor sanguinem suum in arterias nimis duras projicere valet. Ergo in singulis corporis humani vasis requiritur definita diameter ostii, neque quodlibet lumen sanitati convenit.

Ανοσμοσις) Nihil his definitionibus, & nominibus pulchrius est HIPPOCRATES totum corpus humanum consideravit, tanquam ex exterioribus introrsum perspirabile, & ab interioribus perinde extrorsum διατνευστικον. Hae voces significant, ab omni puncto extremo corporis humani libere patere fistulas, quae ex corpore ad superficiem humores avehant, & vicissim ab omnibus punctis extremis corporis humani fistulas aliquas humores ex superficie introrsum ducere. Nunc ανοσμοσις fieri dicimus, quando naturale orificium vasis dilatatur per morbum

aliquem ad eam capacitatem, ut liquor, qui hoc vase fovebat, & debebat contineri, nunc per liberius osculum exeat. Per cutem universam in statu integrae valetudinis non sudor emanat, sed exhalat vapor tepidus, sanissimi enim hominis cutis nunquam madida est; quando vero politissimum nummum aureum cuti opponis, ut straminis fere crassitie distet, tunc levis superficies metalli rota obumbratur a vapore ex cute prodeunte, & per frigus metallici corporis coagulato. Quando nunc hujusmodi exhalantes arteriae dilatantur eo usque, ut per earum ostium sudor, vel serum flavum transeat, tunc erit is morbus, quem anastomosis vocamus, nempe per dilatatum finem arteriae transibit liquor, quem oportuerat intra eum canalem mansisse. Quando ipse ruber sanguis transiit, ut in hiberno illo viro, & muliere Amstelaedamensi, dicta ad DCLXVII. tunc anastomosis major est. Medici plerumque hos morbos non intelligunt, quae damnosa certe ignorantia est. Mulieres reperias, quae omni mense sanguinem exspuunt, neque ideo contabescunt; in iis anastomosis facta est in arteriis, quae ex bronchialibus proveniunt, innitente in aliena vasa abundante sanguine, quem uterus non potest dimittere, & ita dilatante minuta vascula, ut sanguinem transmittant. Hi morbi plerumque a plethora nascuntur, & plethora remota tolluntur. Quamprimum enim tantum sanguinis effluxit, ut nixus in dilatationem minuatur, continuo connivent oscula, & morbus sanatus est. Hujusmodi anastomosis ex naturae lege toties fit, quoties sana mulier menses suos patitur. Exempla etiam prostant, vasa, quae in cavitates internas corporis vaporem secernere solent, ita dilatata fuisse, ut sanguinem transmiserint. Inde horrendi morbi nati sunt: ut v. g. in pericardio effusi grumi sanguinis reperti fuerint.

Διαπνδνσις] Quando per distentionem validam vasis alicujus, membranae hujus vasis ita distenduntur, ut inter fibras intertextas, quae parietes canalıs componunt, oriatur dilatatio, per quam liquida contenta penetrare possint. Hac ratione canalıs non rumpitur, sed ex dilatatione disparatur. Fac decem digitos conjunctos canalem clausum efficere, deinde duos digitos a mutuis contactibus discedere, ut desinant cohaerere; & ita per intervalla liquidum transire: ita habebis ideam *Διαπνδνσιος*. Quamprimum autem urgens liquor effluxit, & pressio remittit, quae vim inferebat fibrıs, accedunt hae propius, & vulnus claudunt.

Διαρρηξις) Quando ab interna distensione vas dirumpitur, est *Διαρρηξις*; quando ab humore acri erodente demorsum aperitur, est *Διαβρωξις*: hae distinctiones non absque utilitate sunt. Ita haemopatae fit aliquando per anastomosis, eaque non periculosa est, etsi perinde metuatur a medicis harum differentiarum ignaris: alias per *Διαπνδνσιν*, & in hac specie pariter vasa coeunt, & restaurantur; alias per *Διαρρηξιν*, quando v. g. validis clamoribus homo latera rumpit, etiam haec species sanari potest.

test. Quando vero sanguis acris, & floridus intus arterias consumit; tunc *diabasis* est, nulla arte medica sanabilis.

Exeunte] Quando anastomosis magna fuit, & diu superfuit incurata, poterit in diarefim mutari.

Explicandi] Non sunt fictae voces, ut multi sibi persuadent, qui medicos veteres artem nostram his vocibus oneravisse magis quam adjuvissse credunt: sed verae morborum differentiae, quales in praxi clinica occurrunt, & maximos usus habent.

§. DCCVIII.

Auctum capacitate] Quando vas aliquod sanum quidem manet, humor autem in canalem suum vi majori nititur. Axioma est, capacitatem vasis nasci in composita ratione ex facultatibus distendentibus directis, & facultatibus contrahentibus inversis. Liquidum distendens conatur, ut canalem amplissimum faciat. Solidum contractum, ut minimum. Ergo magnitudo canalis ab utraque causa dependet, non a sola canalis resistantia, sed ex eadem cum liquidi copia, & impetu comparata. Quando impetus distendens duplo major fit, & vas duplo magis resistit, diameter manebit eadem, & in omni mutatione, quamdiu vires coercentes vasis aequales manent viribus distendentibus, tamdiu nihil in vase mutatur. Quando vero vis distendens sola augetur, neque pariter crescit vis contrahens, tunc proportio mutatur, & plurimi morbi oriuntur. In homine sano definita copia est sanguinis, & certa ad vasa sua ratio: ab hisce proportionibus definitur magnitudo vasorum. Sed idem homo corpus cursu agitatur, ut sanguis acceleratus, duplo celerius moveatur: tunc quidem diameter vasorum augebitur, & dupla fiet: sive enim eodem tempore cogantur duplo plus sanguinis transmittere, sive eandem sanguinis quantitatem in tempore duplo minori, perinde certe vasa distendentur. Nunc, dum loquor, uncia una intra unum temporis stadium per vasa mea transit: paullo post, intra idem tempus per eadem vasa transeunt unciae duae; ergo canales isti duplo plus patientur. Ergo major distentio vasorum mutat celeritatem liquidi perfluentis, sive a vi liquidi aucta orta fuerit, sive a quantitatis incremento. Cum medici haec non considerarent, adeo necessaria cognitu, factum est, ut multos morbos non intellexerint. Homo sedet, pallidus totus, & frigidulus; deinde ambulat, currit denique vi maxima. Dum currit, & facies ipsi, & tota cutis ruborem induit, & si microscopio inspexeris in cutem, videbis, cutem, quae pellucebat prius alba, & decolor, nunc undique vasi rubris percurri. Non ideo vel una guttula sanguis quantitati addita est, neque vasa nova generata, sed per motum muscutorum vasa prius a frigore contracta nunc a sanguinis per motum aucto impetu distenta sunt, cum auctae

vires distendentes effecerint dilatationes vasorum suo incremento proportionales: & ita vasa, quae prius solam aquam transmittabant, dilatata rubrum sanguinem admittere apta facta sunt, quem intra ea vasa fluentem lens vitrea demonstrat. Idem vero homo post hanc decursum ad quietem redeat, contrahentur vasa, & sanguinem, quem recipiebant, nunc repellent, in truncos majores proximos, sicque acquisitus iste rubor rotus evanescet. Ita morbi acutissimi in canalibus corporis humani solam turbant proportionem osculorum: & in corpore sanissimo causae latent omnium morborum, qui expediti in nos incumbunt, quam primum vasorum proportio mutabitur. Hoc paradoxum videtur, sed certissimum est. Pestis inter acutos morbos acutissima est; sed vidi EGO perfectam pestem enata in sanissimo homine, qui supra vires cucurrerat, & intra paucas horas expiravit, unice quia canales ejus minores omnes per dilatata ostia rubrum sanguinem admiserant ut cadaveris universa superficies maculis rubris varia reperta sit.

§. DCCIX.

Εμφορξίς] Haec vox significat, portam ocludere ferruminatis valvis: hinc omnia, quae accurate clausa sunt, ea ferruminata dicuntur. In medicina vero hac voce designamus obstructionem canalium a materia intra canalem haerente, quae per canalium finem transire nequit, absque ulla mutatione canalium ipsius. Subiectum hujus morbi sunt canales conici convergentes; tum alii canales; infinita enim inde mala proveniunt. Visa est ischuria funesta; tribuebatur calculo urethrae impacto adparuit a morte diversissima causa, nempe grumus sanguinis in pelvim effusus, in polypum spissatus, & ureterem obstruens.

Viscosa] Quod lentius est, quam ut transitui vasis se accommodare possit.

Crassa] Ita unus globulus sanguinis seorsim sumtus crassus dicitur respectu vasis serosi, quia ob magnitudinem suam nequit transire.

Grumosa] *Θρομβος*, quando ex pluribus partibus sanguinis seorsim existentibus una massa concrevit, quae porro per vasa transire nequit.

Inflammatorium] Globuli sanguinis per majorem motum destruuntur, & mutantur in figuram polyedram, quae naturam sanguinis inflammatorii constituit. Quamdiu oculus partes distinguere potest, in omnibus humoribus nostris nihil invenimus, nisi globulorum series, & spicula salis marini, qui nunquam in globulos convertitur. Reliqua pars humorum nostrorum, sive rubri fuerint, sive flavi, pellucidi, pingues, omnis fit particulis globosis, ut omnino elementa corporis humani se non aliter, nisi in uno puncto contingant. Verum in corporibus vires cohaesionis sunt, uti facies contiguae. Quando duo corpora in

unico

unico puncto se contingunt, tunc vis cohaesionis nihil potest efficere, nisi in iis ipsis punctis. Quando decuplo major est superficies contactus, tunc cohaesio etiam decuplo major est. Ergo quando globuli sanguinei figuram induuntur polyedra, irregularem, in plana compressam, tunc globuli, qui prius unico puncto vicinos globulos contingebant, & in mille punctis nunc eosdem contingunt, adhaerebunt ad se invicem vi millies majori, neque poterunt per vasa transire. Haec est ratio simplicissimae inflammationis, a qua omnis error loci abest. Haec autem species hoc modo nascitur. Non omnes in corpore humano canales ad eundem humorem rubrum, sive sanguinem vehendum apti nati sunt, & maxima tantum vasa inter vasa humana sanguinem rubrum continent, proxima vero a sero flavo solo permeantur, tertius ordo lympham unice transmittit, reliquae series longo ordine alios ignotos liquores, donec in ultimam parvitatem minimi canales redacti sint. Qui nunc inter canales minimos maximi sunt, ii unum eodem tempore sanguinis globulum transmittunt; & in integro corpore oportet, nullum omnino canalem rubrum minorem esse diametro globuli rubri: vasa vero lymphatica, minora sanguineis, nullum globulum rubrum, vel flavum in integro corpore admittunt. Quamdiu eadem vasis, & globuli proportio est, sanguis legitime in circulum redit. Pone vero vasa ista pellucida a violento motu urgeri, ut globuli rubri, vel flavi in vasa lymphatica impellantur, tunc nata est inflammatio ex errore loci, ubi elementa sanguinis immutata in loca aliena transferunt.

Calculosa) Calculum dicimus materiem duram, friabilem, cum aqua minime miscibilem, quando in aliquam cavitatem corporis humani, vel naturalem, vel praeternaturalem effunditur. Hujusmodi coagula lapidosa in toto corpore humano inventa sunt, nulla parte excepta, etiam in cerebro, etsi vulgo joculari sermone eos tantum lapidem in cerebro circumferre dicimus, quibus mens minus integra est. Verum ego in cerebro amici mei, viri sapientissimi certe, & solertissimi, calculos vidi: praecipua tamen sedes calculorum in vasis biliaris est, & urinariis.

Gypsea) Materies calcarea, qua minimo motu diffari potest instar farinae volatilis, in aqua vero instar salis solvi, ita tamen, ut post pauca momenta temporis denuo in naturam lapideam indurescat, quod optime norunt, qui facies hominum gypso exprimunt; sepefundunt enim faciei gypsum, quod continuo instar lapidis induratur. Hujusmodi *Tartarum* saepe invenias in dentibus hominum, qui munditici non satis student.

Adiposa) Omnis enim adeps viscosi aliquid habet.

Στενωχάρια) Viae angustatio. Quando in membranarum canaliculis, quodcunque liquidum vehentium, & harum membranarum vasis minoribus, causa nascitur, quae communem canalis viam impedit. Anatome

nos docuit, homines laborasse pertinacibus capitis doloribus, & extinctos esse diuturni mali vehementia: in aperto cranio causa morbi reperta est, nempe tumor ingens in processu falciformi durae membranae qua parte sinum longitudinalem efformat: hic adeo tumor, dum contra caveam sinus paullatim crescebat, non potuit non morari sanguinem cerebro per suas venas reducem; inde ab his venis turgidis variae morborum facies. Alia ischuria visa est, in qua nulla urina efflueret, & catheter ex vesica excluderetur: extincto homine, in cadauere reperiebatur tumor collum vesicae obfidens, non in cavitate ipsa, sed ad latus, ut via penitus connata, urinam omnem retinuerit. (1732. Ischuriam hujusmodi repertam fuisse ab ureteris substantia aucta, ut clauderet ureteris cavitatem.)

Θλιψις) Quando causa extranea, in vicinia orta, latera flexilia vasum comprimit, ut coalescat. In his dimidia pars chirurgiae versatur, & egregie de his scripsit FALLOPIUS. HARVEUS exemplum habet hominis, cui causa mortis fuerat atheroma, quod divisioni arteriarum iliacarum adsidens, eas compresserat. In alio homine tumor pedis maximus cum gangraena totius pedis erat: a morte repertum est atheroma, quod venam magnam femoris compresserat. VESALIUS exemplum habet caecitatis a tumore insidente divaricationi nervi optici. Videte, quam sint causae necessariae scitu. Nemo enim mortalium hanc caecitatem sanare potest, nisi qui causam cognoverit, & tumorem salivatione removerit.

Συμφυσις] Quando canalis post θλιψιν vel infartum nascitur cum propriis lateribus, expresso, qui intercesserat, liquore. Haec fiunt a variis omnino causis, quando causa, extus comprimens, liquida excussit, ut paries cavus, ad obpositam partem parietis contiguus accesserit. Vidi puero in labiis vulnus inflictum effecisse, ut intra unam noctem coaluerint, & os cultro chirurgi aperiri necesse fuerit. Quando palpebrae excoriatae fuerunt, unius aliquando noctis quiete conerescunt. Ita pulmo cum pleura, cor cum pericardio connasci visum est.

Συνησις] Concidencia, quando partes ab interfluente liquido sustentatae, nunc eo orbatae, praeter naturam concidunt; maxime, quando prius ultra modum distentae fuerunt. Sunt inter recentiores, qui negant se has voces intelligere: verum hi viri videntur justo velociore in sermonibus, & prius pronunciare, quam res ipsas pensitaverint. Non potest equidem in arteriis hic morbus fieri, & prius periret homo, quam omnes arteriae evacuatae subsiderent, verum in vasis lateralibus intelligimus non difficulter συνησιον fieri posse. Quando homo aliquis anasarca hydropse laborat, morbus est in panniculo adiposo, quem effusa aqua distendit, ut omnes artus decuplo crassiores adpareant, quam in sano homine, & femora, cruraque immaniter tumeant, cum intus

carnes

carnes fere omnes evanuerint. Fac nunc amburi tibias, si quando sensu destituta crura calefacturus ad focum propius accesserit, effluet aquae immensa copia, quae intus stagnabat, & membranae, quas aqua distendebat, ita collabentur, ut ex immensa mole diminutae quasi flaccidae propendeant, & visum sit, viscera abdominis concrevisse, funesto eventu. Ergo subponit hic morbus praegressam distentionem nimiam, huic vero succedentem *νερευγεια*.

Orbicularium] Tunc enim vasa fluida expellunt, ut ex ea causa coalescere possint.

§. D C C X.

Numero] Functionem vix laedit abundantia, & deformitas potius inde quam morbus nascitur. Si vero aliqua pars defecerit, jam corpus minus aptum erit ad functionem, cui haec pars deficiens praestituta est: v.g. manus quatuor tantum digitis instructa, ad apprehensionem minus idonea est; sextus vero digitus vix quidquam nocet.

§. D C C X I.

Tumores] Corporum animalium partes aequabiliter crescere voluit CREATOR: ergo fecit, ut omnes minimae particulae sensim evolverentur. Ideo DEUS omnia animalia, dum crescunt, complicata in liquido suspendit: hoc enim balneum facit, ut omnes partes aequabilem pressionem patiantur, & ex ea actione liquida ex corde in omnes particulas aequa vi distribuantur. Sic cum undique aequalis est resistentia, & pressio interna aequalis, necesse est omnia aequabiliter evolui. Hinc in utero mediis in aquis suspendimur, quando vero in lucem editi sumus, in medio aere, qui perinde undique aequabiliter in corpus nititur, ut vis aortae impensa partes aequaliter crescere faciat. Sed & minores, & minimae partes corporis omnes in cavo sunt, & liquidum habent, quo alluantur. Hae sunt *κοιλιαί* HIPPOCRATIS, quas spiritu plenas esse dixit, in capite, pectore, pericardio, inter duram matrem, praequamque, in quatuor ventriculis cerebri, inter omnes nervos.

Ἰπερσαρκωσις] Veteres *σαρκα* dixerunt omnem corporis humani partem rubram, mollemque. Recentiores angustius hac voce utuntur, & carnem dicunt, quae musculos efficit, reliquam vasculosam corporis substantiam, quae fibris destituitur, aliis nominibus designant. Sed ex veterum usu *ἰπερσαρκωσις*, vel *σαρκωμα* summitur, pro omni magnitudine praeter naturam aucta in parte rubra corporis, cum laesa functione. Hujusmodi tumores vidi, qui fere in pinguedine sedem habuerunt rubrae carni interposita, vasis ita adhaerentis, ut ex non sanguiferis
rubra

rubra fierent. In vera carne fibrosa rarum est hujusmodi mala videre, & ego quidem nunquam vidi, neque facile crediderim unquam visum esse. Adiposa vero substantia omni parti corporis humani circumponitur, & vasa plurima habet, quae aucta paulatim adeo ampla fiunt, ut rubrum sanguinem recipiant, & qui adeps erat, nunc rubram carnem mentiatur. Hujusmodi tumores in immanem molem excrescunt, & quando cute incisa deteguntur, tumor continetur tenui pellicula, totusque deglubi potest. RUYSCHIUS octo librarum pondere vidit, cujus substantia nihil fuit, nisi oleum. Neque huc referri debet cordis aneurysmum, frequentior morbus, quam quidem vulgo creditur, uti recte LANCISIUS demonstravit, licet carnis fibrosae tumor sit. reliqui enim muscoli non cavi non videntur ita increfcere posse, uti cor, quod intus magnas vacuitates continet.

Nodos] Quando solum periosteum obstruitur, deinde intumescit, fit tumor mollis, in pastaem modum, referens cornu recens in animalibus natum. Quando hic tumor magis, & magis in acumen adsurgit, & tactui tamen cedit, tunc tophus est. Quando magis indurescit, *εγκυρωσις*, & *εξοστωσις* nascuntur, quando jam ossea duritie sunt. Saepem fit, ut lamellae ossis a mutuis contactibus recedant, & mirificus inde tumor nascatur. Vidi ossa cranii triplo, & quadruplo crassiora, quam in statu naturali, fungosa tota, ut pumicem referrent. Haec mala, quando diuturniora fiunt, abeunt in cariem.

Angustos) Aliquando extravasatio causa est, sed haec rarior est: plerumque malum in ipsis canalibus est, quando in fine angustior fit, in medio latior, quorum integri milliones eodem tempore intumescunt, magnumque adeo tumorem efficiunt, cum singula minima sint. Vidi, quod pene fidem superat, vas lymphaticum, quod in sano corpore capillo non crassius est, cum sanguinem rubrum excludat, ita intumuisse, ut in hydatidem librae pondere abierit. Femina formosissima meo consultum venit, cui in collo tumor durus erat capite humano major, minime ruber. Inquisivi in tanti tumoris indolem, & re perpensa judicavi, esse omnino hydatidem, accersivi peritum chirurgum, jussi apperire: effluxit aqua limpidissima, evanuit tumor: in inanem caveam exiguum pulmaceolum jussi immittere, ut subpuraret. Sic consumptis parietibus, consolidata cutae formae gratia rediit feminae. Cum RUYSCHIUS aliquando enucleavi ex dorso bajuli tumorem octo librarum, natum in cavitate, quae in sano homine granum sinapi aegre admisset: plenus erat liquefacto oleo.

Ελκυσμασις] Quando spatia cellulosa inter partes firmas relicta occupantur ab effusis humoribus, qui ex aperto vase exeunt, quod contineri debebant. Vasa singularia, suis dicata humoribus, nunquam libera sunt. revinciuntur enim propriis vinculis ad certas sedes. Hoc vinculum est membrana cellulosa. Nam omnes arteriae sub aliqua membrana decur-

decurrunt, siue pleura fuerit, siue peritonaeum, & mediam cellulofam membranam. Haec in omnes partes se infinuat, inter ipsa elementa, neque scitur; ubi finem faciat progrediendi. Fit autem fibrilis cellulosis adeo teneris, ut a levi flatu distendi, etiam rumpi possent; ergo liquor ex ruptis vasis effusus, facile spatium sibi parabit in fibrarum cellulofarum interstitiis: si ex arteria exiverit, erit aneurysma spurium, si ex vena, varix spuria. Aliquando etiam in majores cavitates corporis effunduntur humores, in quatuor cerebri ventriculos, pericardium; thoracis duas cameras, peritonaeum, saccum testium. In has civitates in sanitate perpetuo effunditur humor aqueus: is, si copiosior adfluxerit, hydrocephalum faciet, aut hydropem ventriculorum cerebri, causam funestae apoplexiae, aut hydropem pericardii, (quo cordis mirae palpitationes fiunt,) aut hydropem pectoris, aut verum asciten, aut veram hydrocelem faciet, qualis etiam in mulieribus propriis locis satis similis nascitur.

Defectu) Quando diminuitur ea magnitudo partium, quae ad earum functionem rite perficiendam requiritur.

○ *Κενωαγγεια*) Quando vasa liquoribus suis ad *συνιζησην* usque exhauriuntur. Inde mirabiles morbi nascuntur. Mulier gravida, decimo mense saepe feliciter parit: quando vero foetus, & aquae, & secundae effluunt, *κενωαγγεια* maxima in utero nascitur, & vasa, quae prius a sanguine distendebantur, non resistunt, nec adest obstaculum, quod sanguinem retineat: ergo effluit sanguis, & poterit omnis ex toto systemate arterioso effluere, donec nihil ad cerebrum, & cerebellum veniat; inde apoplexia, convulsio, paralysis, & saepe mors in ipso partu. Haec mala non a nervis pendent, nec a spiritibus, sed ab hac, quam dixi, causa; hinc occupantur; quando continuo a partu mulieris hypogastricum vinculis undique adstringitur, uti quidem in mulieribus Europaeis adstringi solet. Quando HIPPOCRATES de spasms nimiae evacuationi supervenientibus loquitur, intelligit evacuationem *κενωαγγειαν* usque factam.

Ατροφια) Haec dicitur, quando pars aliqua corporis paulatim quasi definit esse: quia liquida non manent in vasis suis. Causa physica horum malorum non multis medicis nota est. Si fieri posset, ut totus sanguis aqua esset; homo animal esset *ημεροβιον*, imo vero *αιροβιον*; neque enim sanguis in vasis rubris retineretur ab angustia vasorum minorum, sed efflueret undique, ad citam mortem usque, neque quidquam ad cor rediret. Ita per morbos aliquando fit, ut humores debita densitate destituantur, & exeant per sudores, tunc consumptio nascitur, veraque tabes. Hi homines omni mane in sudore proprio quasi natant, neque unquam sanari possunt, quamdiu haec dispositio ad sudorem superest, sed pergunt consumi. Si obtinueris, ut sudores sistantur, jam incipient nutrir; jam enim humores densantur, ut ad nutriendum apti fiant. Aliud genus atrophiae est, quando vas amissum est, per quod alimentum solebat advehi.

Φθισι] Hanc dicimus atrophiam tum cacochymia purulenta sanguinis, undecunque demum hoc pus effundatur, dummodo venis resorbtrum in sanguinem misceatur. Si ex pulmone venerit, dicitur *φθισις* pulmonalis.

Mutilatio] A causa quacumque externa violenta facta, sublata autem parte necessario etiam functio tollitur.

§. DCCXII.

Situ] Nulla in corpore humano particula est, quae non proprio suo loco ponatur, unde non sine magno malo emoveri potest. Innumera- biles in corpore humano, omnesque inter se diversae partes conjun- guntur in unum totum, quod conjunctae efficiunt; connexae inter se ea ratione, qua sola ad actiones suas aptae redduntur. Nullibi dentes reperias nisi in ore, neque unguis, nisi in extremis digitis: si alibi ponantur in corpore, jam morbum faciunt.

Figura] Quando vel caput articuli, vel cavitas recipiens figuram mutavit, fit *αγκυλωσις*, vel immobilitas. Princeps in corpore humano articulatio atlantis est cum occipite, quae flexionem, & extensionem capitis permittit. Ad hanc articulationem pertinent duae apophyses ossis occipitis, deinde duae glenae non valde cavae atlantis, quae haec capita recipiant: porro requiruntur cartilagineae leves, lubricissimae, quibus & eminentiae, & glenae obducantur: tum linimentum Haverfianum, ligamenta inungens: muscoli denique, qui motum faciant. Nunc in toto corpore ubique adeo numerosae partes requiruntur; non mirum ergo innumerabilem varietatem morborum in articulationibus oriri posse. Potest in cartilagine ipsa tumor oriri, qui motum capitis ossis impediatur, a nullo unquam medico aut cognoscendus, aut curandus, qui anatomen non exquisite notam habuerit.

Accurtatio) In lue venerea visa est strictura circa ligamenta junctura- rum orta, quae partes immobiles redderet. Hoc Belgae vocant a veni- olis venereis obstrigescere.

Elongatio) Tunc capita ossea nimis ex suis acetabulis mobilia sunt, & luxatio facile accidit, ut in hominibus tenerrimi habitus experimur.

Materie] In omni articulatione mobili ossium est tubum excipiendum, & cavitas excipiens, cum ligamentis connectentibus. Haec ligamenta circa capitulum plerumque abeunt in capsulam adeo arctam, ut nullam fissuram relinquunt, neque humor ullus exire possit. Verum & tuberi, & cavitati articulationis, natura undique cartilagineae obduxit; addidit- que machinulas ex cryptis compositas, quae gelatinosum liquidum effundant intra cavitatem articulationis. Hoc liquidum inungit omnia, & adjuvat circumductionem, atque eum transudante medullosa pinguedine confunditur, ut unum uterque liquor linimentum efficiat, quo articula- tio inungitur. Hoc unguen per motum muscularem dissipatur. Quando crasse-

crassescit, aut deest, tunc *αρθριτις* oritur, aut *αγκυλωσις*. Quando secundum naturam fecernitur, sed imperspirabilis factus est, neque in venas bibulas reforescet, tunc concresecunt ossa deficiente linimento, & fiunt morbi atrocissimi. Quando acre fit; enormia articularum, & praecipue femoris tormenta facit. Haec pulchre in nova sua osteologia docuit CLOPTON HAVERS.

Distorsio] Quando articulatio quidem loco non mutatur, a situ tamen naturali mutatur. Hoc fit, quis nimis fortes muscoli ad latera trahunt, & os in alienam sedem trahunt. Id fit plerumque, ubi plura ossa conjunguntur, uti in tarso, & carpo, aut in ginglymis. Saepe etiam in *επαρθρωσει* fit, quando convulsio flexorum, cum paralyti extensorum conjungitur, & inde nascitur membri contortio, ut in osse humeri.

Subluxatio] Quando tuberculo ossis unius, in crepidine cavitatum ossis alterius haerent. Raro omnino fieri potest. Nam si situs hactenus naturalis fuerit, artus emotus ex viribus musculorum facile in naturale cavum retrahetur. In *γυγγλυμω*, si unquam, accidere potest.

Luxatio] Tuberi articulationi ex cavitate sua emotio. In enarthrosi simplici, in qua unicum caput in unicam cavitatem recipitur, potest luxatio fieri in omnem partem, antrosum, deorsum, retrorsum; & longe saepius fieret, nisi natura varia impedimenta adposuisset. Ita acromion, & processus coracoides in exemplo cavet, ne os humeri sursum luxari possit. Hinc fit, ut in scapulae cum humero articulatione adeo mirifica, luxationes oriantur. In articulatione cubiti multo rarius accidunt. Is demum haec mala intelliget, & sanabit, qui musculos, & ligamenta memoria tenet, adeoque definire potest, quatenus luxationes per fabricam possibiles sint.

Anteorsum) Hae directiones omnino teneri debent, cum repositionis methodus pro varia directione luxationis alia sit, & alia.

Herniae) Ita vocamus partium mollium ex membranis cavis coercentibus dislocationes in aliena loca, ut adpareat esse quasi luxationem partis mollis. Vulgus non alias hernias novit, nisi quae in peritoneo fiunt, quod rumpi dicunt, & per vulnus partem aliquam mollem erumpere: ipsum nomen hanc falsam ideam exprimit, *bruch. breuk*. Rarissimi Chirurgi reperiuntur, qui de his malis interrogati non vacillent, aut ex fabrica partium respondere norint. Primum nos meliora docuit DUVERNEYUS: extendi nempe peritoneum, non rumpi, quod nescio, an unquam factum sit. Peritonei tres sedes sunt, in quibus a nullis musculis defenditur: duae ad inguina, per quas in varis vasa spermatica in unum fasciculum conjuncta, in feminis ligamenta teretia uteri demittuntur. Tertia in umbilico est. Hoc peritoneum cavitatem abdominis totam undique coeret, & viscera involvit, in lumbis autem arteriae magnae superponitur, ut sub peritoneo, & ipsa migret, & ranti. Ergo, albi vasa spermatica per musculos abdominis egrediuntur, ibi solum ipsis perito-

naeum incumbit; quod horum musculorum tendinibus adnatum est. In ea autem sede nullus musculus subest, sed vasa sola, & mollis saepe pinguedo. Quando nunc major aliqua vis ab interioribus peritonaeum urget, non rumpitur equidem, nimis valida membrana, & ne dilatatur quidem, nisi ubi vasa libera subsunt. Ibi portio proxima peritonaei extrorsum protruditur. Quando sacculus iste ad inguen venit, tunc bubonocelen vocamus: quando in scrotum usque descendit, este *οσχεοκηλη*, nunquam rediturus tumor, quem multi ferunt, omnis mali ignari, quando nullum forte viscus tumorem subbiit. In feminis ad eadem loca vasa a femore in uterum dimittuntur, ad quae in viris ad testes amandantur, ergo & in feminis in iisdem locis peritonaeum extendi poterit. Quando tumor in eo angulo est, quem femur cum pudendi muliebris lateribus intercipit, nunc similem bubonocelen facit; quando in parte domestica juxta femur descendit, hernia femoralis est: quae aliquando ad medium femur, & ad ipsa genua descendisse visa est, ut ex ea sede perforato intestino, stercus effluerit, & pro ulcere femoris habita hernia a minus prudente Chirurgo incisum fuerit emotum intestinum. In hoc vero sacco nihil continetur, nisi quod ex cavitate abdominis advenit. Nempe 1. materia elastica, quae *πνευμαποκηλη* facit. 2. Aqua naturalis abdominis, unde *υδροκηλη* prima species oritur, quae vel manu rursus retrusa aqua evanescit, vel decubitu in dorsum, ut femora altius ponantur. 3. Omentum, quod *επιπλοκηλη* facit. 4. Intestina: tunc *εντεροκηλη*. Hae partes herniae, quotquot sunt, non adstringunt unquam vasa seminalia, sed in caeco sacculo juxta eodem descendunt anteriores, ea adeo libera manent, nisi forte a tumore herniae aliquantum comprimuntur. Verum vasa genitalia ambulant in materie quadam cellulosa, ergo haec & intestina elapsa ambibit. Quando hoc malum aetatem tulit, saccus hernialis concrefcit cum partibus vicinis, neque unquam reponi potest. Curatio est, ut impediatur intestina, ut in saccum descendant: hoc fascia fit comprimente, cujus usu diuturno denique lamellae sacci inter se connascuntur, tuncque malum radicaliter sanatum est.

Umbilicale) Harum herniarum ratio diversa est. In umbilico abdomen olim apertum erat, cum epidermis, cutis, panniculus adiposus, peritoneum, funiculum umbilicalem, ex arteriis duabus, vena, & uracho compositum, perforata transmitterent. Post partum haec quatuor vasa rescindit obstetrix, dum foetum a matre solvit: constringuntur hae partes, & cicatrix oritur, quae per totam vitam superest, & vasa umbilicalia extra peritonaeum anteriora descendunt. Sed in ea tamen sede nulli musculi adfunt, & peritonaeum debilius est, cum aliqua foraminis vestigia supersint. Hinc, quando majori vi peritonaeum contra eam laxiorem sedem impellitur, hernia ibi oriri potest: non quod funiculus umbilicalis cavitatem peritonaei subeat, qui unice succingitur peritoneo, & abscissus cum cute connascitur: peritonaeum vero sub eo funiculo sequitur.

quitur. Sed quando haec membrana ab interioribus urgetur, cutis quidem, & membrana adiposa facile cedunt, quae ibi perforatae sunt, nec unquam accurate concrefcunt: atque ita peritoneum integrum, paulatim magis productum, sub cute nudum, tenue pellucens eminet, herniamque efficit, aliquando minime capite infantili minorem, qualem octo libras liquidi continentem vidi. In hujusmodi hernia contineri potest, 2. Materia elastica: tunc erit *πνευματ ομφαλοκηλη*, in qua aer ex tumore cum sonitu potest in abdomen reprimi. 2. Aquam continet: tunc comprimari potest, sed difficiliter. 3. Omentum *επιπλο-ομφαλο-κηλη*, tunc, dum premimus tumorem, inaequale corpus intus percipimus. 4. Intestinum, *εντερο-ομφαλο-κηλη*, in qua per pellucens peritoneum motus peristalticus adparet. In feminis gravidis plerumque oritur, &, dum recens est, sanatur retrorsum premendo tumorem, & imperando, ut aegra in dorsum recumbat. Saepe tamen periculosum malum est. Quando enim intestinum aere, aut aqua, aut chylo, aut faecibus plenum est, poterit fieri, ut a peritoneo constringatur, & stranguletur.

Alia denuo natura est *σπερκοκλις*, quando productio peritonei naturam duram, & carnosam induitur. Non ipsum quidem peritoneum pinguefcit, neque potest, verum saccus, in quo vasa spermatica decurrunt, is pinguis est, & augeri potest, atque incarnari. Quando pinguedo contunditur, aut vasa rumpuntur, quae per pinguedinem ambulant, tunc liquor effusus facit eum morbum, quem Batavi vocant, *een uytspatting van het Vet*. Quando vena brachii secta est, & lanceola educitur, perfecta operatione, fit aliquando, ut ictus justo obliquior sit, adeoque pinguedo collapsa ostium vulneris claudat, & sanguis, quem oportebat ex cute proflire, sub cute effusus fugillationem faciat. Eadem ratione, si alibi vasa laesa fuerint, sanguis liberum spatium inveniens, quo se diffundat, ingentem tumorem excitare poterit. Vidi in scroto tumorem maximum: testis liber erat, & sanus, neque intestinum in tumore erat, neque omentum, sed in obeso homine pinguedo luxurians, exorbitaverat per anulum, in scrotum cum vasis spermaticis, ibique facta erat *πιμελ-οσχεοκλις*, illapsa in locum alienum pinguedine.

Femorales] Per summam violentiam, sed rarius, oriuntur herniae peritonei ad quatuor digitorum ab umbilico distantiam, versus inferiora, & exteriora: ibi enim spatium semilunare est, ubi muscoli aliqui abdominales oriuntur, & nudum subest peritoneum. In eo loco, post nixus vehementissimos nascitur aliquando tumor ab aliis omnibus diversus, qui abdominalia contenta recipiunt; est peritoneum, a magna vi extensum, & haec corpora secum deorsum ducens, quae intus continet. Quando porro abdomen vulneratur, & gladius cutem, musculosque incidit, sola peritonei interna tenui lamella illaesa, & vulnus a medico negligitur, poterit fieri, ut a nixu aliquo majori, & valida inspiratione, peritoneum denudatum retrorsum per rimam trudatur, & saccum hernialem formet,

formet, abdomine interim nullibi aperto, ut intra paucos dies horrendus tumor oriatur, qui perinde, uti priores, poterit vel aerem, vel aquam, vel omentum, vel intestina continere. Si in talem tumorem chirurgus imprudentior inciderit, poterit eum vinculo, aut incisione adgredi, & aegri fatum praecipitare. In mercatore hujus urbis Leidensis exemplum extitit, in quo clari viri hujusmodi tumorem voluerunt extirpare: quae res maximos rumores excitavit.

Vesicae) Hanc speciem Herniae primus vidit RUYSCHIUS, & descripsit in observationibus chirurgicis casum, in quo vesica laxata in vaginam, vel extra femina delapsa, opinionem fecit uteri prolapsi: donec in muliere pene moribunda crepitatione lapillorum auribus percepta: apertus fuerit, qui credebatur, uterus, tuncque sanitas non difficulter restaurata. In viris difficilius fit, ut vesica prolabatur, exempla tamen prostant & idem recenset historiam RUYSCHIUS. Post maximos nixus visum est aliquando iter urinae obstructum, & in scroto tumorem immensum oriri: neque immisso cathetere, urinam respondisse; effluxuram, quando aeger scrotum manu comprimebat, ut tamen continuo fluere cessaret, quamprimum a pressione remitteretur. Nempe vesica virilis sub peritonaei productione ponitur, non longe ab inguinibus remota, in quibus herniarum sedes est. Quando nunc vesica praeter modum plena est, & diu plena retinetur, & paullo major hiatus in eo loco est, ubi herniae oriri solent, tunc nixu aliquo edito vesica urina plenissima efformatur in farcimen, quod in peritoneum se immittit, ubi vasa feminalia descendunt, ex peritoneo saccum effingit: in eum saccum descendit, & in eandem partem cadit, in quam intestinum solet elabi: & non difficulter intelligitur, vesicam undique pressam, in eum locum, qui solus non resistit, exire posse. Non in alio morbo magis periculose erratur: vidi Judaeum miserimum hominem, qui, dum nuptias sua celebrat, vesicam plenissimam exonerare distulerat; summa enim religio in ea gente foret, si sponsus de nuptiali mensa surgeret. Pergebat potare miser, neque auscultare naturae, donec in hoc tristissimum malum incideret. Semel intra viginti quatuor horas vesicam exonerat, & tribus antea, quatuorve horis eisdem dolores patitur, quos mulier parturiens; currit, sudat molitur omnia, donec ultimo, summoque nixu urinam omnem profliget, non iterum micturus, nisi post elapsas alias viginti quatuor horas. Ex his phaenomenis manifestum est, vesicam in hoc homine in cavitatem aliquam praeter naturam ortam se insinuasse, ibique extra pressionem abdominalem urinam haerere.

Uteri prolapsus) Duplex morbus est: 1. Quando uterus conservata figura sua clausus elabatur. In eo casu aliquando relaxata vagina, relaxatis membranis uteri, corpus ejus clausum descendit in vaginam, & sub urethrae ostio haerens inter reddendum urinam incommodum est. Alias uterus os suum internum aperturae labiorum pudendi opponit. Alias to-

tus

tus uterus extra feminal propendet. Hic morbus frequens est, & oritur saepe, tuando continuo a partu mulier, nimis sana, nixum edit, aut ambulat, quod inter pauperulas rusticas mulieres frequenter fieri solet, tunc enim omnia circa uterum aperta, & laxa sunt, qua puer nuper transit, & uterus facile extrorsum decumbit. Alter morbus est, quando uterus, dum detrahitur, simul invertitur, quando obstetrix placentam, fortius vellendo extrahit, neque altera manu uterum sustinuit; tunc enim, si chorion utero firmiter adhaeserit, poterit cum extracta placenta uterus deorsum educi; si tunc quammaxime uterus repositus fuerit, perpetua tamen ad prolapsum dispositio superest. Saepe vero femina continuo perit, & causa mortis ignoratur. Quando puerperae moriuntur, raro inquiruntur in causam mortis, neque eam causam medici intelligunt, quae tamen plerumque non in malignitate aliqua imaginaria est, sed mechanicas causas habet. Os uteri, quando nuper pueri caput, & humeros transmisit, valde ampliter hiat. Si tunc funiculus umbilicalis fortius trahitur, placenta vero ad uterum firmiter adhaeret, poterit fieri, ut uterus totus invertatur, & superficies chorio contigua nunc aerem contingat, fundosque uteri per os internum educatur. Ex eo malo solet ante triduum mors ipsa sequi, nam in utero, quem aer adigit, circulatio sanguinis continuo supprimitur; ergo ex stagnatione sanguinis inflammatio, inde putreo, & gangraena sequitur, quam convulsionem, & deliria, & mors ipsa presso pede sequuntur. Unicum remedium est, quamprimum uterus elapsus est, tenerrimum viscus pannis mollissimis calidis focum introrsum reponere, & mulieri perfectam quietem imperare, donec uterus se in sua sede confirmaverit.

Praeterea uterus diversis modis ex situ se dimovere potest, uti non monuit Cl. a DEVENTER. Uteros enim totus mobilis est, quem recte ζῶον ἐν ζῶον, animal in animale vocaverit DEMOCRITUS. Quando nunc in semina gravida os uteri offi pubis obvertitur, quod vaginae respondere debet; nunquam pariet misera. Quando in laeum divergit, aut ad os sacrum declinat, etiam tunc infans, utcumque pressus, transire nequit, sed uterum sacculi specie extrorsum protrudit, & saepe in huiusmodi casibus ignara obstetrix quaerit orificium, neque invenit. Hanc frequentissimam causam difficilis, & funesti partus invenit idem, quem citavi, vir clarissimus.

Recti) Sphincter ani in eo loco est, ubi fibrarum carnearum contractione impedire potest, ut ne aqua quidem adjecta exitum inveniat. Quando vero duriores faeces divinae egeruntur, dum exeunt scybala, & sphincter laxatus est, tunc extrema pars intestini recti extra anum expelli poterit; & inverti, ut internus paries intestini exterior fiat, quod in equis alvum exonerantibus manifestum est: haec enim animalia, non ex foramine quiescentis intestini faeces emittunt, verum ex inverso intestino. Sed aliquando etiam gravius malum accidit. Eo tempore, quo

scy-

scybalum exprimitur, sphincter cessat contrahi: ergo intestinum pergit extroverti, & quando jam aliqua intestini portio infra sphincterem descendit, tunc vero constringitur idem sphincter, strangulat intestinum, & horrendi morbi sequuntur, ex inflammato intestino. Unicum remedium est, in hominibus prolapsui obnoxiiis, ut intestinum continuo retrorsum prematur, quamprimum alvus exonerata est. Quando vero malum jam invaluit, admovenda sunt mollissima linimenta, tuncque reparatio tentanda. Alias laxato sphinctere intestinum invertitur, & propendet: hoc tamen malum rarius accidit.

Exsiliio] Musculi a locis suis naturalibus saepissime exeunt, & faciunt morbum, quem tetanum vetusti medici, recentiores Italica voce *crampum* dicunt: rigescit musculus nihilo mollior ligno, vel metallo. Quando nempe vaginae musculorum intra cellulosas fibras, quibus coercentur, adeo laxae sunt, ut musculi exorbitare possint, tunc ad primam mutationem aequilibrum elabatur musculus, & tenderetur. Sed praeterea tendines solent in glenis; sinibusque propriis, in ossium superficie exsculptis, firmati incedere, quos finnis optime indicavit EUSTACHIUS. Ex hac sede si paulum excefferint, crampus oritur, qui aliquando ad mortem usque molestus manet, post brevem quietem iterato importunus. COVPERUS, qui primus hoc malum intellexit, exemplum narrat in musculo bicipite cubiti, cujus alterum caput ex glena sua retrorsum versus posteriorem partem brachii exsilierat: miserrimus homo immania tormina patiebatur, neque poterat brachium flectere, donec ultimo aberrans tendo in glenam suam resilierit. In manu tendines extensores digitorum propria armilla coercentur, quae directionem tendinum moderatur, ne in actione sua ad lineam rectam tendant. Quando nunc, ut aliquando in bajulis fit, dum onus aliquod vi majori adtollunt, haec armilla rumpitur, tunc tendo exiliet, neque munere fungetur, donec artificialem ex corio armillam circumligaveris. In musculis laryngem moventibus idem malum non infrequens accidit, & mirabiles mali facies prodcit.

§. DCCXIII.

Vulnus) Sive solutio continui recens, cruenta, facta in parte molli, per instrumentum durum, acutum, motum, pressum, vel resistens.

Sciissura) Quando causa vulnerans acuta, & dura juxta longitudinem adplicatur.

Fissura) Quando instrumentum, dum partem vulnerat, etiam findit.

Punctura] Quando instrumentum acutum, & durum uno ictu, unico extremo suo puncto parti molli adplicatur.

Contusio) Solutio continui facta in parte organica, per instrumentum durum obtusum, motu, pressu, vel resistentia adplicatum.

Ulcus)

Ulcus] Solutio continui facta in parte molli [ulcera enim ossium] aliter vocantur] vetusta, conjuncta cum cacochymia in soluta parte. Hinc humor malus erit, vel blandum pus, tuncque ulcus benignum dicitur; vel ichor, & erit ulcus ichorosum; vel sanies, vel virus, tuncque saniosum dicitur, aut virulentum.

Corrosio] Solutio continui in parte molli ab acri liquido in aliquo haerente, & erodente.

Dilaceratio] Solutio continui in parte molli, facta per fibrarum distentionem.

Fractura] Solutio continui in osse.

Fissura] Quando os per longitudinem finditur.

Exfoliatio] Quando ossis lamellae separatae secedunt.

Caries] Solutio continui in parte dura ab applicata materie acri, erodente lamellas osseas.

Spina ventosa] Caries orta a medulla primo affecta.

Tales differentias morborum videas supra centum ab auctoribus enumerari: non incommode tamen ad has paucas classes revocantur. Has classes medicus tenetur percurrere animo, & examinare singulas, quos morbi in solida parte ex situ, figura, magnitudine nasci possint &c. Nisi enim distinctas harum rerum ideas animo teneat, turpiter errare poterit in diagnosi, prognosi, & therapia morborum. Qui vero haec omnia accurate in memoria retinuit, is, quamprimum difficilior casus ipsi offertur, repraesentabit sibi omnia possibilis mala, & symptomata a scriptoribus descripta, quae huic praesenti morbo adfinia fuerint. Ea ergo cum aegritudine oblata comparat, & notitiam causae proximae venit. Chirurgi non alia ex ratione continuo os scalpunt, & urunt, quando denudatum est, nisi quod exfoliationem ossis cum carie, hanc dum spina ventosa confundant.

HUMORUM MORBI.

714. **U**T rite intelligantur deinde morbi humorum, atque accurately digerantur ordine, scire est dotes in iis requisitas esse, vel universales cuicunque liquori necessaria; vel singulares; quibus donantur humani; denique privati hujus, illiusve, singularis hominis indolem in humore constituentes. Universales quidem sunt, ea parvitas partium, quae omnem fugiat sensum nudum, tam parvus nixus in contactum

mutuum, ut minima vi sensibili superari queat, ea superficie-
rum lubricitas, ut se invicem vix implicet. At respectu na-
turae humanae accedunt plurimae equidem aliae dotes, unde
perfecto & multi admodum morbi oriuntur.

715. Qui omnes morbi tamen revocari facile possunt ad co-
piam, vel qualitatem laesam, si fluida quidem in se spectantur.

716. Si autem considerantur, quatenus coercentur in solidis
definitis, tunc loco imprimi, aut proportione, peccare depre-
henduntur.

717. Humorisi boni ea abundantia, quae laedit functiones,
vocatur *πληθώρα*. Quae intelligitur concepta bona chylosi,
haematopoiesi, concurrentibus una eum parciore exhalantium
dispendio. Hinc describunt, quod sit vel ad vasa, vel ad vires.

718. Humorisi boni ea inopia, quae laedit functiones, raro
adeft, nisi subito vis externa eam effecerit, quum caeterum
mala simul adsit in humoribus temperies.

719. Humorisi qualitas illa, quae laedit functiones; *κακοχυμία*
appellatur. Ea est vel haerens in fluidis, quatenus spectantur
seorsum partes componentes simul massam fluidis; vel in tota
mole fluidi simul considerata, ut parte ad constituendum corpus
humanum concurrente.

720. Si consideratur morbosa indoles in unaquaque particula
humorisi, ea haerebit vel in mole aucta, aut minuta, vel in
soliditate particulae nimia, aut minore; vel in figura, tum
in rigiditate, flexilitate, elasticitate, cohaesione varia, aut
denique divisibilitate, consistet.

721. Molis auctae in partibus humorum idea exhibet horum
immeabilitatem, *έμφραξιν*, in vasculis minoribus, *άτροφίαν*,
σύμφοσιν, *συνίξισιν*.

722. Molis minutae in partibus humorum idea exhibet
Διαπνοίω, & *κενεαγλείαν* nimiam.

723. Soliditas aucta in partibus humorum si concipitur, ha-
betur vis nimis immutans tam solida, quam fluida, & simul
intelligitur in solidis partibus *άνασόμασιν*, *διαπηθήσιν*, *διάρρεσιν*,
in fluidis vero nimia attenuatio, & attritus.

724. Si intelligitur soliditas nimis imminuta, concipitur inertia tam in vasa, quam in fluida, hinc & quies, & cita cohaesio.

725. Peccat particula humoris sua figura tum in primis, quando a natura sphaerica recedens angulosam acutam induit; hinc motum suum integrum parvae parti applicans acris fit; recessus hi varii sunt, sed commodissime revocantur 1. ad acrimoniam mere mechanicam dictam, ubi, omnibus iisdem manentibus, sola figura in angulos solidos acutos componitur. 2. Ad acrimoniam salinam dictam, quae hinc in primis est muriatica, ammoniaca, acida, alcalescens, fixa, volatilis, simplex, composita. 3. Ad oleosam, quae est olei in spiritus attenuati, olei attritu nimio quasi exusti, olei salini, olei terrestris, olei acris quasi exusti salini, & terrestris simul. 4. Ad saponaceam acrimoniam, qualis in venenis animalium, & vegetantiumprehenditur. 5. Ad acrimoniam ex quatuor praecedentibus compositam, tum & eam, quae ab assumtis acris in corpore saepe nascitur, ut a vitriolis metallicis.

726. Est & morbus gravis, vixque sanabilis humoris, si ejus particulae tam rigidae, ut vi corporis humani subigi, inque idoneas massulas figurari, dividique nequeant.

727. Sed & eadem nimis mutabilis in suis figuris morbosae sunt: etenim, complanatis superficiebus, auctis contactibus concresecunt.

728. Quin & notabilis est morbus in partibus nimium elasticis nostrorum humorum: quippe qui nimium mutat assiduo omnem humorum compagem, ad minimam mutationem caloris, aut motus comprimentis.

729. Imo & nimis firma cohaesio corpusculi in qualibet particula mala est: nam impeditur sic productio minorum molecularum ex majoribus, quae tamen tam necessaria ad integritatem vitae. Contra vero nimis facilis divisibilitas nocens est; namque repugnat constantiae sanitatis, & vitae.

730. Et sunt sane hi morbi maximi quidem momenti in Scientia Medica, & intellectus eorum basis certe optime Pathologiae: intelligi tamen vix queunt, nisi accuratissima obser-

vatione fuorum effectuum, quos in corporibus aegris praestant: unde & patet sic humorum *ιδιοσυγκρασιαν* morbosam optime perspici.

731. Si autem spectaveris humores totos simul, deprehendes morbos eorum praecipuos esse, vel nimiam fluiditatem, vel nimiam tenacitatem, tum excedentem horum motum per vasa, aut quietem eorundem nimiam, aut denique morbum compositum ex vitiis recensitis (717. ad 731.) haecenus.

732. Oriuntur & morbi notabiles in humoribus manentibus iisdem, sed sola mutatione loci morbosus redditus; cujus mali duae sunt classes: 1. Si nimis aucta diametro vasis, crassiores humores recipiuntur canalibus arctioribus, qui sensim angustiores fiunt. 2. Si ruptis quomodocumque vasis exeunt humores, colliguntur in interstitiis a distentione factis inter partes solidas corporis; intelliguntur huc pertinere, inflammatio, aneurisma verum, varix, fugillatio, aneurisma spurium, *ἐκχύμωσις*, a sanguine errante in suo loco. Tum oedema, pustulae, hydrodrops, membranae cellulosae, capitis, thoracis, abdominis, uteri, ovarii, testium, scroti, peritonaei, habitus totius corporis, a lymphâ similiter peccante. Tandem emphysemata ab aere. Creberrima omnium sedes in membrana cellulosa, tenella, facile distendenda, laceranda.

733. Humores autem hi stagnantes, collecti, effusi, calore, & quiete putrescunt, purulenti, ichorosi, rodentes, acres, fiunt, stamina tenella solida destruunt, unde sinus, fistulae, ulcera, gangraenae, sphaeteli, caneri, & similia.

734. Sunt autem hae (699. ad 734.) primariae morborum differentiae, ex ipsa natura eorum petitae, quae certe maximam partem adeo foecundae aliis producendis morbis, ut hinc fere etiam inter causas morborum recenseri mereantur.

735. Usus vero obtinuit inter Medicos, ut praeterea distinxerint morbos ex quibusdam accidentibus externis, quae quamplurimis diversissimis communia sunt, quae tamen distinctiones, & usum in Medicina celebrem habent, licet nimium subtili divisione multiplicati sint, omissis ergo aliis praecipue sunt sequentes.

736. I. Ratione causae sunt, ἰδιοπάθεια, συμπάθεια, πρωτοπάθεια, δευτεροπάθεια hereditarius; connatus, acquisitus.

2. Ratione subjecti sunt, morbi aetatis, puerorum, juvenum, adultorum, senum; morbi generis, masculini, foemini, virginei, gravidae, parientis, nutrientis; tum universales, & particulares.

3. Ratione temporis, acutissimi intra quatuor dies terminandi; peracuti intra septem, acuti intra dies viginti; chronici reliqui omnes; dein verni, vel autumnales, continui, continentes, intermittentes.

4. Ratione effectuum; salubres, benigni, maligni, sanabiles, insanabiles, lethales, contagiosi.

5. Inprimis ratione status; initii, progressus, status, decrementi, finis.

§. DCCXIV.

„ Quando liquor aliquis naturalis degenerat in quodcumque possibile vitium, quod a medico attento observari possit. Liquores vocamus, quorum massae sensui subjiciuntur, particulae vero insensibiles sunt, caedemque ita parum cohaerent, ut motus uni parti impressus eam ab aliis partibus separet, non dimoto toto, & absque ulla notabili resistantia. Particulas insensibiles esse oportet, alias arenae cumulus liquor esset. Quando tamen sabulum subtilissimum est, quali in clepsydris utimur, tunc fluido proximum est: & si ejus sabuli particulae possent minutissimae reddi, ut earum nulla seorsim oculis subjiceretur, tunc iste arenae cumulus humor vocari posset; fuit enim, sed partes habet sensibiles. Dissolve in aqua regia, jam humor est. Praeterea has moleculas oportet absque vi mutabili a se invicem recedere, non penitus nulla, sed adeo parva, ut pars facilius a toto separetur, quam reliqua trahantur. Vicissim, quando solidum corpus premo, tunc totum eodem tempore cedit, & movetur. Ita glaciei fragmentum digito percussum loco movetur, neque pars percussa: reliquo corpore glaciei secedit. Si eandem glaciem ad ignem liquaveris, digitumque intinxeris, discedet utrimque fere absque resistantia pars a parte. Ergo glacies solida est, aqua humor. Nunc in homine humores concrecibiles sunt, ab aliis in rerum natura liquoribus diversi ea dote.

Necessarias] Uti si partes sensibiles factae fuerint, aut tantas inter particulas nexus generetur, ut massa potius loco moveatur, quam partes separentur. Ita poterunt elementa inter se connasci, & in solidum corpus abire.

Humani] Ita vocamus eos humores, qui ex aere, cibo, & potu in corpore humano ita mutantur, ut nostri fiant. Extra hoc corpus integra natura nihil simile facit. Nunc in his humoribus certa sanguinis densitas est, certa feri: mutantur hae densitates, liquores descendant a natura humana, & morbus erit, qui non pendet a generalibus attributis humorum. Praetera cuique homini propria idiosyncrasia est, s. crasis humorum peculiaris: bilis Sempronii non est bilis Caji, neque sanguis Sempronii sanguis Caji; & in urina diversitas etiam oculo subjicitur. Ex hac diversa elementorum proportione, quae idiolyncrasiam facit, innumerabiles morbi oriri possunt.

§. DCCXVI.

Loco] Per metastasin varii morbi oriuntur, & boni humores in bonis, sed alieni vasis positi, morbosi dici possunt, quia morbos omnino faciunt. Quando sanguis ruber in vasis secundi generis deprehenditur, inflammatio nascitur, quae ut plurimum ab hac sola transmigratione oriri solet.

DCCXVII.

Plethora) Ita vocamus bonorum humorum excessum, qui sanctiones laedit. Quando homo viscera *χυλο- & αιματοποιητικά* robusta habet, in vasis autem non ea dispositio est, ut humores satis adtenuentur, atque perspirabiles fiant, tunc plethora generatur. Ita in bellis aliquando ambo femora homini auferuntur, & una tertia pars corpori demta est, viscera vero chylopoietica, & haematopoietica sunt eadem, & eandem copiam sanguinis praeparant, ergo nascetur plethora. Haec plethora est vel ad vasa, vel ad vires. Ad vasa vocatur, quando tanta copia bonorum humorum est, ut humores in arteriis, venisque desinant comprimi, sed vasa distendant, ut duplo tumidiora fiant. Id uncie fit in maximis vasis chyloferis, sanguiferisque, & interim reliqua vasa comprimuntur. Plethora ad vires est, quando tanta humorum copia est, ut cor sanguinem propellere non valeat, & momentum movendum majus sit potentia movente: tunc liquores stare necesse est.

HELMONTIUS iisdem usus argutiis, quas in scholis reprehendit, non admittit plethoram: nam, si non est vitium humorum, inquit, neque morbus est; si morbum fecerit, jam degenerarunt humores, neque morbus respondet definitioni plethorae, sed ad classem cacochymiae pertinet. Verum HELMONTIUS HIPPOCRATIS mentem non percepit, quando in n. 3. Sect. 1. Aphorismorum ait, „ Qui in summo vigore constituuntur, ii in maximo periculo versantur. Neque enim in eodem statu manere possunt, neque in melius proficere: superest, ut in deterius ruant. Homo plethoricus bene habet, quamdiu sanguis ipsi per nares evacuatur, aut per

per venas haemorrhoidales. Sed quomodo impedies, ne idem sanguis abundans, aequè facile aliquam venulam plexus choreidei rumpat, & in ventriculos effundatur. Ne hujusmodi eventus accidat, pergit HIPPOCRATES, his athleticis hominibus corpus solvendum esse, & vasa evacuada, ut corpus iterum augeri possit. Ergo plethoram quidem morbum esse non dixit, sed causam morbi futuri, adeo proximam, ut, si velis morbum sanare, necessario prius plethoram solvere debeas.

§. DCCXVIII.

Inopia] Nunquam credo aliter oriri, nisi per vasorum vulnera; per abstinentiam, quando novus humor in corpore non regeneratur, cacochymia nascitur. De vulnere vero hic non est dicendi locus; cum effusio sanguinis cum solutione continuitatis in vulnere jungatur, atque adeo pertineat ad morbos compositos.

§. DCCXIX.

Κακοχυμ) Degeneratio sanguinis, qui a statu naturali recedit, sive in elementis vitium fuerit, sive in miscela.

§. DCCXX.

Mole] Tota massa una superficie contenta, quae major dicitur, quando majorem locum occupat.

Nimia] Particula quaeque potest vel nimis compacta esse, vel nimis parum: utraque conditio morbum faciet.

Figura] Idem corpus mutata sola superficie novas vires acquirit. Omnes in corpore humano particulae, quae adunatione sua humores nostros efficiunt, eadem mutabiles sunt. Quando vero in massam humorum nostrorum corpuscula introducuntur, quorum figura mutari nequit, ea in venena abeunt, & humores nostros ita mutant, ut sanitas cum ea mutatione consistere nequeat. Uno verbo, globulus ruber tamdiu & ruber manebit, & sanus, quamdiu in sex globulos serosos resolvi potest, & neque nimis cito diffilit, neque nimis rigidus est.

§. DCCXXI.

Αυστ) Quando homo rectissime valet, moleculae vero, quae per vasa fluebant, tunc mole augmentur, & certa mensurata superficies major fit, tunc oritur immeabilitas. Nam extremitates fistularum capillarum debent admittere corpuscula adeo parva, ut per orificia vasorum transire possint. Quando nunc una particula adeo crassa fit, ut per solitam vasis
aper-

aperturam transire nequeat, oriatur morbus, quem *εμφοραξιν* diximus: Quando fistula primi generis obstruitur, tunc canales laterales, qui infra locum obstructionis oriuntur, omnes atrophiam patiuntur, nihil enim a corde recipiunt: & cum vasculum evacuatum continuo concresecat, ut cavitas nulla fiat, hinc *συνίχνσις* fiet. Intelligitur adeo, quomodo ex simplici obstructione in primo genere vasorum tam varii in diversis subjectis morbi oriri possint.

§. DCCXXII.

Minutae] Recentiores hos morbos exploserunt, & CRAANENIUS, atque Cl. BONTEKOE scripserunt, homines corporis humani nunquam nimis subtiles fieri posse. Verum ex vasis primi generis, quod a corde sanguinem accipit, cordique reddit, nempe ex arteriis, venisque rubris humores derivari debent in reliqua genera minora, & ex istis iterum in majora redire. Hoc autem primum genus vasorum, quo omnes rubras, & arterias, & venas, & cor ipsum comprehendo, secundo genere eo fortius est, quo plus liquidi vehit. Adeo si primi generis humores, globuli nempe rubri, adeo tenues facti fuerint, ut in serum mutati per secundum genus transire possint, tunc cum secundum genus adeo multo dilatabilius sit genere primo, in ea ratione nempe, quo tenuioribus humoribus destinatum est, sequitur, ut ex contracto primo genere omnis liquor ex arteriis primi generis in secundum transeat, & parcissima liquidi copia in venas primas redeat; sicque eadem ratione in aliis vasis fiet, & si vera nascitur idea continuationis hecticæ Angelorum, quam vocant *consumtion*, diversissimum ab altera, quæ cum purulento spato conjungitur. Vides hominem pulcherrimum, incipit tabescere, & flaccescere emarcidi floris simillimum, & omni mane sudore diffluere: quid mutatum est in hoc sanissimo corpore? procul dubio aliquid in elementis, quibus deest ea vis, a qua in majores massulas compinguntur. Sudabit ergo; donec exsiccatus pereat. Si efficere potueris, ut sanguis crassus in primo genere maneat, sanabuntur aegri. Ergo monebo hominem, ut omni mane, & vesperi corpus suum fricat per semihoram, cibos ingerat solidiores, equitet &c. hæc sola medicatio proderit, si aliqua prodesse potest. Inde intelligitur, in hoc morbo adtenuantia nocere, cum ipsa tenuitate nimia humores peccent. Praecipua hic medicamenta sunt, quæ humores compingunt, ut equitatio. Quamprimum enim globulorum rubrorum satis magna copia adest: ii in vasis rubris manent, neque porro corpus diffluit *καταρροίη*, vasa enim evacuata ita se contrahunt, ut pene nulla videantur.

§. DCCXXIII.

Soliditas] Ponderositas specifica, sive pondus in eadem loci portione majus, quam in alia particula, ad quam refertur. Sanguinis humani pondus debet ad aquae pluviae pondus specificum esse, uti 13. ad 12. hinc in aqua fundum petit, quando cum ea permiscetur. Si nunc globuli mercuriales, decies quater ponderosiores aqua, in sanguinem venerint, agent equidem 13ies fortius, quam reliqui globuli. Si ex eodem sclopeto globulos aureos, plumbeos, stanneos, ligneos, suberinos exploferis, eadem vi ejusdem ponderis pulveris pyrii incitatos, & haec omnia globulorum genera projeceris super planum album, invenies sphaerulas ponderosissimas longissime a sclopeto lapsas, reliquas eo propius, quo quaeque levior fuit. Nempe quo corpus gravius est, eo magis motum acceptum in linea recta pergendo continuat; & eo majori vi in alia corpora impingit. Nunc in comparatione nostra cor sclopetum est: particulae magis ponderosae rectius iter adfectant, & longius progrediuntur, & majori momento, & alia fluida, & solida percutiunt. Ergo sive sanguinis moleculae ipsae densiores factae fuerint, sive mercurium sanguini admiscueris, solida vim magnam patientur a globulis gravioribus, & aliae sanguinis sphaerulae contudentur &c.

Ανατομία) Observatum est, mercurium diarrhoeam cruenta fecisse, cum globuli mercuriales officina vasorum ita dilatassent, ut per patulos fines ipsum sanguinem transmitterent. Aliis sanguis ruber ex gingivis profilit &c.

Διαίρεσις) Hinc fit, ut sanguis inflammatorius, qui idem ponderosissimus est, toties maculas rubras, vel purpureas producat; sanguis nempe, ex ruptis vasis exstillans, sub cute effunditur.

Attenuatio) Quando sanus homo mercurio utitur, & mercurius in vasis manet, sanguis totus in aquam mutabitur, quae per os aegri effluet, ut qui ducentas libras pependerit, centum tantum libras corporis sui conservet. Idem contingit, quando aliud remedium sanguine ponderosius massae humorum admiscetur: indeque, in vasis actuosis, horrendi effectus sequi poterunt.

§. DCCXXIV.

Imminuta] In homine debili, minus firmo, in puero, & sexu inprimis muliebri, tempore virgininae plethorae, vasa quidem replentur, & distenduntur ab humoribus alimentariis, non autem reagunt: hinc liquida tenuia, & aquosa, & sanguis debilis, lymphaeque simillimus ex chylo generantur. Quamdiu hae puellae quietem degunt, commode habent: quamprimum vero corpus movent, continuo anhelant, quia

nempe humores nimis rari in vasa non satis potenter premunt, neque solida legitimo robore contra liquores reagunt: hinc chylus non in sanguinem mutatur, & feri lactis similis manet.

§. DCCXXV.

Sphaerica) Omnia, quae adsumimus, figurantur in sphaeras. Serum, lac, pinguedo, particulis sphaericis componuntur, quae prius ramosae, aut polyedrae fuerant: & ipsa elementa sphaerica esse, non absurda conjectura est, cum haec figura ubique regnet, quamdiu sensibus accessus patet. Quando sanguinis recens ex vena emissi gutta vitro excepta microscopio opponitur, adparet eam partim ex sphaerulis componi, partim ex intercurrentibus salibus, istar spiculorum longis. Ergo sales in sphaeras minime mutantur, sed vel figuram diu non immutatam conservant, quae medicamenta sunt: vel omnino nunquam mutant, neque in sphaeras unquam abeunt, suntque venena.

Angulosam) Longe alius effectus est ejusdem materiae, prouti vel in sphaeram figurata fuerit, vel in angulosam speciem. Primo particulae rotundae omnium minime cohaerent, quo magis ab hac figura recedunt, eo magis cohaerent. Deinde quando ex drachma una chalybis fusa globum facio, hunc certe deglutire potero, aut manibus tractare, aut vulnere demum admovere, absque ulla noxa. Si vero eandem drachmam chalybis nulla parte demta, nulla materia addita, in lanceolae chirurgicae figuram finxeris, ea certe in manu compressa manum mediam transfodiet, deglutita sanguinem ad citam mortem usque eliciet, & viscera discindet. Non ideo venenum factus est hic chalybs, sed figuram unice aliam induit.

Acris) Quo minores sunt inclinationum anguli, eo major est in cuneo penetrabilitas: id olim geometricè demonstravi. Si libro corpus humanum ita percusseris, ut plana superficies voluminis cutem attingat, tunc mille puncta caenis humanae tanguntur a mille punctis libri, & quaevis millesima pars percussae cutis excipiet unam millesimam partem impetus. Verum, si nunc eadem vis in unico puncto corpus humanum percusserit, tunc vis feriens eadem erit, sed una millesima pars corporis eam totam patietur; ergo obstaculum, sive pars percussa millecuplam patietur vim, quam in priori casu patiebatur, & cum procul dubio corpora cedant ictui in ratione actionum impressarum, vascula minima valide mutabuntur ab ictu libri, cujus angulus praet, & destruentur, & pars percussa dividetur. Atqui corpus acre est corpus densum, rigidum, desinens in acumen, & motum suum paucissimis punctis aliorum corporum imprimens. Quo acutius idem est, & pauciora puncta sunt, in quae vim suam exercet, eo gravius laedet ea corpora, quae percutit. Sed densum esse necesse est. Nam corpus ferreum cavum, non ita graviter laedit, ac si

idem corpus mercurio repletur; hanc enim arte vim percussione mirifice augeri lanistae norunt. Verum neque tunc acre erit, nisi simul rigidum fuerit: longe enim alius, & major, effectus est chalybei teli, quam plumbei. Idemque oportet in acumen figuram suam terminare; nam sphaera ferrea non laedit. Has nunc condiciones, figuram acutam, pondus, & rigiditatem microscopium in salibus invenit.

Salinam] Sal est corpus sensibile, compositum ex corpusculis insensibilibus, in aqua fusile, quod gustum nostrum definito sensu falsedinis adfcit. Sales omnes acres sunt, five nativi fuerint, five factitii: nullum enim salem oculo admoveris, quin dolorem faciat, manifestum acrimoniae indicem.

Muriatica) Salis gemmae, aut marini, aut fontinalis in aqua dissoluti.

Exusti) Oleum componitur ex globulis: idem vero exustum, aut in sartagine nimis diu frixum, aculeatum fit, & exurit. Magno enim igne, vel ipsa vetustate blandissimum lac, & butyrum ita amara fiunt, ut ferri nequeant. Quando animalia comburuntur, tunc olea haec fumi specie adscendunt, & in sales mutantur.

Saponaceam) Haec vis in animalibus, & vegetabilibus venenis vix explicari potest, cum adeo mirifice operentur, ut subito omnia genera mutationum in motu exercent. Quando homo non adsuetus Lepidium mandit, os inflammatum habebit; quando deglutit idem, patietur anginam, sed fugacem, quando in ventriculum majori copia descendit, vomitum facit, & dolorem. Et hanc adeo acrem herbam Erucae minimae depascuntur, neque sentiunt eam acrimoniam. Ergo non mechanica vis est, quae ita mirabilis mihi videtur, ut nesciam, quid de ea docere oporteat. Saponaceam eam vocamus, quia neque sal solus, neque oleum seorsim agit. In spiritu cochleariae acrimonia minor est, quam in ipsa cochlearia. Sed horum acrimia aliqua longe funestissima sunt, & quorum effectus nemo praevideret *a priori*. Basso ex rictu spumam fundit salivae similem, nullo odore, neque sapore eminentem: ea tamen deglutita tormina, mortemque faciet. Cicuta aquatica GESNERI satis grato sapore est, & placere potest ignaro, quam dirum tegat venenum: hinc multi pueri hac ratione perierunt, decepti blanditate saporis. Vix stomacho tamen excepta est, cum dolores, & tormina mirifica excitat, ipsamque mortem.

Acribus] Quando haec omnia viribus convulsionum, aut vomitu, aut purgatione eliminari nequeunt, neque viribus corporis mutari in figuram sphaericam, tunc pharmaca fiunt. Optime veteres alimentum dixerunt esse, quod adsumtum, cum mutabile sit, in id corpus abeat, quod mutavit, si natura cibo isto fortior fuerit. Pharmacum vero medicamentum est, quod adsumtum in corpore mutatur a corpore, sed & ipsum interim corpus nostrum mutat. Ita colocynthidis drachma semis adsumta acerrimum venenum est, & dysenteriam facit: elicit enim materiam liquidissimam, deinde ipsum sanguinem. Hujus pharmaci moderatam quantita-

tē capiti homo robustus: ejus certe hominis corpus a colocynthide mutabitur, sed idem ita mutabit colocynthidem, ut post aliquot horas iners fiat. Nisi haec mutatio hoc modo pharmacis accideret, tunc certe a medicamento emetico semel adsumto, perpetuus vomitus sequeretur. Quando vero corpus humanum adeo debile est, ut a medicamento mutetur, neque vicissim medicamentum mutare valeat, tunc fit quod hypercatharsin vocamus. Denique venenum est acre, quod a vi vitae domari nequit, & pergit vasa destruere, & dissolvere liquores humanos, donec totam machinam destruxerit. Hinc non recte faciunt recentissimi medici, qui ubique metallica medicamenta adhibent. Prudentior medicus, non ad praesentem morbum unice respicit, sed ad totam superfuturam vitam. Male certe ad uncias octo mercurius exhibetur, partitis etsi vicibus, in morbis aliter sanabilibus. Non diffiteor, morbos dari a solo mercurio sanabiles: sed idem humores nostros saepe corrumpit. Facile est in juniora corpora robusta haec metallica infundere: multo vero minus facile dictu, quomodo eadem ex corpore ejci queant.

§. DCCXXVI.

Rigidae) Animalia, & imprimis homines, diversissima quaeque alimenta ingerunt, ex omnibus autem pene simili modo sphaera efficiunt, quae figura ad laedendum inertissima est. Dum enim circulus rectam lineam tangit, cum ea angulum efficit adeo acutum, & exiguum, ut nulla inter circulum, & tangentem recta linea introduci possit, quin circulum secet. Deinde angulus, quo circulus, aut sphaera superficiem rectilineam ferit, is omnium angulorum possibilium obtusissimus est: vires autem penetrantes sunt, uti acumina angulorum. Ergo vis, quam circulus imprimit, inter omnes posibles casus minima est, & ab ipsis vicinis circuli punctis sustinetur. Quamprimum autem corpus in polyedram figuram degeneraverit, tunc laedere poterit.

Contactibus) Haec classis morborum, longe utilissima, a plerisque medicis praetervisa est. Corpus humanum ita admirabili artificio constructum est, ut innumerabiles vasorum ordines contineat: & si centum fuerint ordines, primus omnia contineat, quae reliqui nonaginta novem, & pro omnibus iis ordinibus laboret: secundus pro nonaginta octo seriebus, ultimus demum unice pro se ipso. Ergo corpus humanum non est hydraulica aliqua machina, per quam homogenus aliquis liquor movetur; sed his humor, quem primum genus vasorum continet, idem debet successivis mutationibus in reliquos omnes formari: idemque, quin in primo genere crassissimus fuit, continuata vitae actione intra viginti quatuor horas adtenuatus poterit in secundum genus transire, indeque porro in tertium, & reliqua. In primo genere humores pene solida sunt, nam sanguis ex vena effusus, cogitur in placentam, quae ex uno vase in aliud trans-

transferri potest, ne gutta destillet; solidus enim est, & a solo mechanico motu in statu fluiditatis retinetur, continuo solidam consistentiam recuperaturus, quamprimum iste adfrictus sublatus est. Hanc soliditatem necessariam esse demonstravi, ne omnes humores in minora vasa diffuant, atque cordis egestas oriatur. Neque tamen nimia debet esse, sed superabilis. Ergo sanitas hominis in eo ponitur, ut ex humoribus crassissimis tenuissimi generentur, non subito quidem, sed lento gradu: ita enim penus in primo ordine sufficit, ut ex ea sequentia vasa liquidis suis repleri possint, successive elaboratis. Quando vero massa rubra nimis facile mutatur, homo instabilis fiet, neque sanitas constans aderit, nisi primum genus roboretur equitatione, aliisque medicamentis hujusmodi.

§. DCCXXVIII.

Elasticitas] Homines sunt, qui ex mutationibus tempestatis ita mutantur, ut vix oculis fiderem, qui mutationem videbant. A paucissimis baccis ribesiorum, aut cerasorum vidi homines intumuisse toto corpore, non in ventriculo, & intestinis solis, sed & brachia, & faciem turgidam factam, sic ut omnino videatur particulas humorum in his hominibus nimis, extensiles, & mutabiles fuisse. Hinc ita instabilis in multis sanitas. Quanam vero causa horum subitorum motuum, & rarefactionum? Passim reperimus potestates motuum generatrices, de quibus nemo mechanicorum cogitaret, nisi per experimenta innotescerent. Ita tartarus vini rhenani per annos, & secula potest centum annorum quietus. Si eundem, post centum annorum quietem super ignem posueris, subito certe cum summo fragore lagena diffringetur. Apis pungit extremum articulum digiti in puella, alter in spinam incidit, post aliquot minuta horae, & digitus, & brachium utriusque quadruplo se ipso majus est. Rarefactio est humorum absque augmentatione solidorum.

§. DCCXXIX.

Cohaesio] Nam impeditur productio minorum particularum, quae ad vitam requiruntur.

Nimis facile] LEEUVVENHOECKIUS viam nobis aperuit ad hos morbos intelligendos, dum in naturam sanguinis inquisivit. Acu digitum pertudit, tuncque cylindrum cavam, vitream, capillarem in vulnus introduxit: ita sanguis in tubulum ascendit, hunc microscopio adjutus contemplatus est. Invenit globulos in sanguine rubros, & flavescetes alios, & alios penitus pellucidos, qui quasi umbrae adparent, & lympham pellucens componunt. Rubrorum globulorum unusquisque in sex elementa sua flava diffilit; globulus flavus iterum in sex pellucidos: deinde sequuntur alia longa serie liquida, quorum ultimum forte plusquam centesimo loco

loco a spiritu distat, & id est, quod Spiritum vocamus. Ex penultimo ergo globulo ultimus generatur, idemque ex primo per omnes successivos gradus, forte vigesimo & primo die. Si quando nunc hi globuli minores nimis cohaerent, ut difficulter in minores dividantur, morbus est, maxime si praeterea scaber fuerit. Hujusmodi degeneraciones globulorum videntur in morbis inflammatoriis esse, ut in flavos globulos rubri non secedant, hinc primi tantum generis vasa repleantur, depletis interim reliquis omnibus: inde languor, & debilitas. Quando vero nimis facile diffiliunt elementa, tunc perinde corpus debilitatur, cum cor depletur, & minima vasa, cellulaeque repleantur, & hydrops nascatur.

§. DCCXXX.

Ἰδιουσυγκρασίαν] Duo homines, in nulla forte particula corporis sui ita differunt, ut discrimen, ab anatomico demonstrari possit: horum idem victus est, & similis diaeta, neque tamen eisdem humores generant: alter enim eundem cibum in bonum chylum mutat, alter ex eodem alimento aegrotat. Hujus phaenomeni ratio esse videtur, quod naturalis quaedam inter humores ipsos, & inter humores, & solidas partes, sive vasa, & inter vasa demum, & vasa rubra ad rubra, rubra ad ferrosa, & sic porro, proportio sit. Si nihil in toto corpore mutatum fuerit praeter proportionem inter vasa primi, & vasa secundi generis, ex hac sola diversitate, humor, quem haec vasa elaborant, totus alius nascetur. Hinc impossibile est dare generalem aliquam regulam exercendi artem. Millenos certe aegros curavi, quibus syrupum rosarum pallidarum praescripsi, innocentissimum reperi in omnibus, & benignissimum cathartici genus. In alio tamen, millesimo primo forte aegro, idem syrupus adeo valide alvum duxit, ut convulsiones excitaret. Milena millia mortalium pomis vescuntur; dantur tamen aliqui, qui ex pomorum odore animo linquntur, & pene extinguuntur, adeo incredibilem inde anxietatem patiuntur. Aliis similia mala a casei odore accidunt. Haec in universum adeo subtilia sunt, ut solo effectu observentur, & videntur pendere a proportione ista ignota inter humores, & humores, humorum ad vasa, vasorum ad vasa.

§. DCCXXXI.

Fluiditatem) Hujus natura ponitur 1. in diminuta mole elementorum fluidorum, 2. in diminuta cohaesione, 3. in utraque causa. Contrariae causae tenacitatem faciunt.

Motum) Motus, & humores mutat, & vasa, & diametros pororum, quae in eadem ratione ampliores fiunt, quo magis vires distendentes vel in velocitate, vel in mole liquidi augentur.

§. DCCXXXII.

§. DCCXXXI.

Arctioribus) Funestissimi morbi nasci possunt ex sola transfusione humorum optimorum in sanissima, sed aliena, vasa. I. Quando canales laterales ita distenduntur a vi liquidi agentis in parietes canalis majoris, ut canalium, qui inter maximos, & minimos medii sunt, ostia mutantur: hoc factum non fieri potest, quin humores in aliena transfundantur. Arteria aorta continet omnes series liquorum decrefcentium. Ex aorta, per latera, tot derivantur canales decrefcentes, quod series sunt elementorum in sanguine, quem aorta vehit. Hinc cuilibet seriei sua diameter est. Primum genus est globulorum rubrorum, hos oportet contineri in corde, & utraque arteria magna, quae ex corde prodit, earumque ramis rubris, & in utraque vena magna, quae in cor redit, ejusque ramis rubris. Haec circulatio rubra est. Sed in latere minimi vasis rubri osculum est vasis secundi, quod non recipit globulum rubrum, verum omnia, praeter hoc solum, humana liquida. Quando nunc ostium hoc secundi generis vasorum, flavi nempe, latius factum est, tunc globuli rubri, qui in prima vasorum serie circumvehuntur, omnes transibunt, in canales laterales, generis secundi, quo non aliam, nisi secundam seriem, & reliquas minores transire oportuerat. Verum per hos canales minores globuli rubri transmeare, nequeunt, quia eundo convergunt, & angustiores fiunt, haerent ergo ipsis, faciunt obstructions, inflammationes &c. Haec omnia vulgus medicorum ignorat, neque aliam apoplexiae causam esse putant, praeter sanguinem ex ruptis vasis in ventriculos cerebri effusum. Id vere, & saepe contingit fieri, aliquando tamen ex solo motu aucto, particulae rubrae nimia vi in arteriolas piae meningis adactae, vasa corticis cerebri ita dilatant, ut sanguis ruber vasa minora subeat, & haec sufficiens erit apoplexiae causa. Sed majora dico, nullus est eorum morborum, qui descripti extant, qui ab errore loci solo non possit nasci.

Interstitiis) In membrana cellulosa, quae omnem particulam solidam corporis humani a vicinis separat.

Inflammati) Quae ad primam classem pertinet.

Aneurysma verum) Dilatatio arteriae in suis tunicis, unde, amissa figura conica, in aliqua parte longitudinis suae in sacco latiorem abit. In eo sacco sanguis lentius movebitur, crassescet, & saccus replebitur sanguine non fluido, pene polypi simili.

Varix) Aneurysma verum, sed in vena. Hoc solet ad sedem valvularum magis nasci, & ibi vena in tumorem abit, quem varicem dicimus.

Sugillatio) Lividitas, vel atrox in parte molli conceptus. Quando pars aliqua corporis fortissime sugitur, pars, quam sugo, tota tumebit, & potero sola suctione efficere, ut sanguis rupta cute exiliat. Quando cucur-

bitulae adfiguntur, tunc ab ea parte sola tota vis atmosphaerae aufertur: dum in reliquum totum corpus eadem premere pergit. Ergo in parte ab atmosphaera non compressa dilatantur vasa, & sanguis ruber veniet in vasa minora, id Belgae vocant *Uytspatting*, quasi dicerent effusionem guttatim factam. Vel, si plaga alicui parti cutis inflata fuerit, arteriae majores, quae ictum acceperunt, ita premuntur, ut canales minores, ex majoribus arteriis orti, cedant, & sanguinem recipiant, qui colorem nigrum faciet, nisi sanguis reducatur, dum fluidus est. Ergo duplex suggillationis causa est. 1. A laxatione, 2. a pressione subita nimia. Huc pertinet color purpureus, qui aliquando totum corpus subito obducit, post convulsiones ortus, tum coeruleus circulus circa os, aut sub oculis, qui in epilepsia adparet, atrox denique per totum corporis ambitum diffusus, quem plebs daemonis malignitati adscribere solet. Horum malorum causa est, quod muscoli nimis rigidi sanguinem excludant, quem adeo in cellulosa tunicam effundi necesse est, quae nunquam resistit: inde vero homo subito in *διθωρα* deformatur.

[*Aneurysma spurium*] Quando sanguinis magna copia ex arteriis ruptis in dilatata membranae cellulosae loca effunditur.

(*Εκχυμωσις*) Aneurysma spurium, non sanguinis, sed cujuscumque praeter sanguinem liquoris.

(*In suo loco*) HELMONTIUS, & optimo jure, hunc morbum vocat errantem laticem. Serum errans flavos tumores facit, limpha pellucidos, sanguis rubros. Ergo homo omnes morbos in potentia in proprio corpore circumfert. Homini literae datae sunt, quas scapham Ultrajectinam adferret, & nautae traderet. Advenit ille, scapha jam solverat littore. Ergo celerrimo, quo poterat, cursu scapham persequitur, adtingit in pago Leidendorp, literas tradit, domum redit, obesus homo, & curius omnis insolentissimus adfert secum peripneumoniam, maculasque in cute varias, edvocatur amans hominis DRELINCOURTIUS, adestque, sed frustra artem experitur, perit ille, & perit ante tertium diem, aequae celeriter ac ii, quos pestis opprimit. Manifestum est, sanguinem in vasa serosa transiisse, serum in lymphatica, & sic porro, atque inde funesta inflammatione hominem oppressum fuisse.

(*Oedema*) Tumor mollis, frigidus, pallidus, tenax vestigii digito impressi. Causa est, quando pars aquosa sanguinis ex rubris vasis in panniculum adiposum effunditur; hinc solvitur, quando haec aqua in venas redit. Alia species est, quando vasa lymphatica praeter naturam distenduntur: sed haec rarior est. Aliud praeter hoc frigidum oedema est, quod *φλεγματώδες* vocant, quando vasa lateralia tertii ordinis serum admittunt. Nam in statu naturali sanguis non reperitur, nisi in prima, neque serum, nisi in secunda vasorum serie. Quando nunc serum flavum in tertium genus arteriarum transit, quod latici aquoso destinatur, tunc a distenta serie vasorum tertia tumor inflammatorius calidus oritur, quia a vi cordis urgetur.

Pustula

Pustulae) Sunt inflammationes vasorum ad ultimos fines, ubi in cryptas desinunt, vel etiam materies tenax in acinulos glandularum congeritur, neque educi potest. Varium horum malorum genus est, *αδερμασσειατ ωμα - μελικηρις*. Prima species est tumor a crypta per materiem pustiformem dilatata. Alterum, si simile malum a pinguedinosa materia ortum fuerit: in tertio materies inter mel, & ceram ambigit. Haec mala omnino ad pustulas referri debent; in ipsis enim initiis unice pustulae fuerunt, quae sensim in immanem molem excrescunt.

Cellulosae) *Hydrops ανα σαρκα* (duae voces sunt, non una) sive aquae effusio circa carnes, eleganti nomine vocatur, cum cellulosa membrana omni, aut tendini, aut musculo circomponatur; in ipsis autem musculis aqua rarius reperitur. Proprio sensu *hydrops ana sarca* dicitur, quando homo in aqua, integumenta corporis occupante, totus sepelitur. Si aqua profundius effusa fuerit, iste *hydrops* melius *υπο σαρκα* vocabitur.

Thoracis) In malo asthmae frequens est reperire in defunctorum cadaveribus, vel pericardium, vel unam thoracis cameram, vel duas, vel omnes tres, aqua repletas.

Abdominis) Hujusmodi *hydropes* non unius generis sunt. *Ascites* ab inclusa aqua, vel *tympanites* ab inclusa resonante materie. *Ascites* vel ex fluctuante aqua fit, quae concusso ventre resonat, vel ab aqua in aliqua peculiari cavitare inclusa. Si coercita est aqua, vel secundi generis *ascites*, tunc continetur vel in peritonaei duplicatura, vel in quibusdam *hydatidibus*, vel in ovario muliebri, vel in ipsa denique uteri cavitare, aqua enim in ureto contenta, contracto ore ejus, cavitatem effingit, & secundum quasi ventrem. Objicietis, quare ea aqua ex utero non effluit? Respondebo me nescire, id vero certum esse, non effluere. Exemplum mirabile *DRELINCOURTIUS* habet. Hunc virum femina convenerat, medicamentum ad *hydropem* petierat. Vir cordatus mulierem pro gravida habuit, purgantia dare noluit, miseramque repulit. Sed cum eadem decimo quarto mense ab ea prima consultatione rediret, & simillimum abdominis tumorem referret, frustra omnia tentavit, poenitentia ductus prioris suspicionis, periit aegra, & in abdomine inciso uterum ostendit aqua plenum. Hujusmodi *hydropes* peculiare nascuntur in ovariiis, testibus, virili scroto.

Habitu) Quamprimum sanguis tenuis factus est, eo momento desinit coerceri in arteriis. Causa mortis tabidorum, vulgo ignorata, haec est: pulmo corruptus est, neque sanguis necessariam densitatem acquirit, & tenuis manet, & aquosus, hinc in vasis rubris manere nequit, sed in lateralia abit, quae non resistunt. Verum omnia vasa aliquantulas vires conservant, in cellulis omnino nullum robur est. Ergo a vi superstitis vitae sanguis ille aquosus deponitur in cellulas, ibique stagnat; neque corrumpitur. Ita foetus, quamdiu aer ad ipsum non admittitur, in utero

materno per multos annos circumgestatur, neque putrescit. Verum stagnantes humores, lenti, minime salini, a putredine etiam remotiores sunt.

Εμφυσηματα] Inflammationes: hi morbi adeo mirifica facie sunt, ut vulgo putetur, causas aliquas supernaturales subesse. Veteres scribunt, serpentem esse, cui nomen fecerunt *φυσήτηρ*, si is serpens momorderit hominem, narrante NICANDRO, continuo totus panniculus adiposus tumet, non ponderosior, sed flatu turgidus: manifesto indicio, non ex effulis humoribus, sed ex liberata aliqua elastica aeris simili materie hos tumores generari. Similes humores vidi ex levissimis causis ortos fuisse. Vidi hominis robustissimi brachium vulneratum fuisse: chirurgum emplastrum ampliter circa vulnus adplicasse, ita ut aer interceptus sub cute haeserit. Ergo perspirare nequeens rarescibile elementum, coercitum emplaistro, expansum, nititur, in majus spatium, adest dissectus, neque resistens, panniculus adiposus, in eum aer se insinuat. Verum iste panniculus in toto corpore humano continuatur, ergo & aer totum corpus obambulat, ut ipsum scrotum mirifice tumere cogat. Sed in thoracis vulneribus phaenomenon evidentius est, quoties aer caveam pectoris subiit, & intus manet, dum vulnus obligatur: coercitus enim aer in membranam cellulosa diffunditur, & intra 24. horas homo ad pedum usque articulos intumescit. Vidi puerum, qui de gradibus lapsus erat, imposito emplaistro ita intumuisse, ut altera die ne oculos quidem videre posses. Haec emphysemata in iis corporis partibus frequentiora accidunt, in quibus paucissima pinguedo, & panniculus adiposus laxissimus est, ut in scroto, & labiis pudendorum femininorum, & fronte, ubi cellulosa membrana musculos pene nullos vicinos habet, hinc laxa est, & inanis.

§. D C X C X X I I I.

Putrescunt] Non subito, in febre acuta, putredo fit, neque semper, neque nunquam tamen, sed eo citius, quo morbus major, temperamentum hominis robustius, coelumque calidius fuerit, contrariae conditiones putredinem impediunt.

Acres] A corruptione, & admistis salibus. Veteres ajunt, humores, qui in locis ulcerosis degenerant, abire, vel in crassum pus, vel in pus tenuius ichorosum, vel in faniem, quando pus totum tenuius non cohaeret, sed loturam carniū refert; denique in virus foetidissimum, & accerrimum, quale in cancro reperitur, aut in pessima specie luis venereae.

Ulcerata] Nullibi reperiuntur, praeter cellulosa membranam, neque unquam veram carnem muscoli, aut tendinis substantiam depascuntur, etsi cellulosa membranam erodant, quae fasciculos musculosos cingit. Verum haec membrana ubique in corpore reperitur; muscoli vero, & cutis non suppurantur: illa quidem rumpitur, cutis tamen ipsa flaccida pendet supra puris fomitem.

Gangraenae) Ubicunque in parte aliqua sanguis neque per arterias adfluit, neque refluit per venas.

Sphaceli) Gangraena nempe in parte majori, quae ad ossa usque progressa est.

§. D C X X X I V.

Causas morborum) Ex sola sanguinis aberratione in vasa aliena oritur in capite phrenitis, in naribus gravedo, sternutatio ad fauces angina, ad loca intercostalia pleuritis, ad diaphragma paraphrenitis, ad mesenterium mesenteritis, sicque porro arthritis, & omne genus morborum inflammatorum.

§. D C C X X X V.

Subtili) SENNERTUS, & ARGENTERIUS trecentas fore morborum distinctiones proponunt. Verum pulchre VERULAMIUS, etiam arenearum telas subtiles esse, utilitate vero destitui. Quae vero ab accidentibus morbi distinctiones petuntur, cae non debent inter inutiles referri.

§. D C C X X X I.

Ιδιοπαθεια) Morbus, cuius causa physica in eo ipso loco est, in qua morbi sedes est. Talis sanguis est, qui in ventriculis cerebri effusus stagnat. *Προτοπαθεια* etiam vocant. Pleuritis morbus est, qui a pleura nomen habet, in qua ejus sedes est. Quando in ipsa pleura initium mali fuit, idiopathicus morbus est.

Συμπαθεια) Quando morbi per consensum ad alias partes deferuntur, quam ubi inceperunt, id autem plerumque per nervos fit: vocatur etiam *δευτεροπαθεια*. Ita peripneumonia a pleuritide orta morbus est ex classe *δευτεροπαθικῶν*.

Hereditarius) Differt a connato. Hereditarium dicimus, qui cum genitrali semine, & materna cum semine conjuncta substantia, ipsis staminibus embryonis infusus est. Omnes mares in corpore materno acceperunt facultatem, quae facit, ut decimo quarto, vel quinto anno barba ipsis erumpat, mulieribus vero mensium materies. Haec dispositio hereditaria est; sed ad morbos similes dispositiones passim reperias, quando in familia aliqua ea est personarum diathesis, ut, ubi tempus aliquod definitum, certamque aetatis metam adtigerint, epilepsiam v. g. aut podagram patiantur. Hanc hereditariam dispositionem nihilo facilius extirpaveris, quam impedire poteris, ne barba sano juveni nascatur. Hujusmodi etiam cancri sunt, & podagra: & calculus, & pulmonum

monum tabes, quae quarundam familiarum capita omnia in eadem aetate vitae adgreditur, neque finem facit, donec totam gentem funditus succiderit: si vero aliud definitum tempus superaverint integri, solent salvi esse.

Connati) Hos saepe falso hereditarios vacant, neque enim a labe genitrali, sed a matris imaginatione nascuntur, dum foetus in utero circumfertur. Quando mater gravida hominem epilepticum forte vidit, & postea foetum parit epilepticum, non hereditas est, neque morbus perinde inexpugnabilis. Id in hac urbe in femina spectatae familiae accidit.

Acquisiti] Qui per aliquam causam in corpus introducuntur, quae corpori jam nato accidit. Vidi epilepticam puellam, quae morbum contraxerat ex viso in ipso paroxysmo mendico epileptico: & omnino homines mobilioris ingenii habent, quod sibi ab eo spectaculo caveant. Romani, & Graeci, quando unicus homo epilepticus in turbam se immiscuerat, concionem dissolvebant.

Aetates] Dolendum est, quod hanc considerationem nemo medicorum exhausserit, neque definiverit, quinam ex ordine morbi cuilibet aetati proprii sint. Aliquos HIPPOCRATES enumeravit, omisit alios: & multa loca sunt vacua in hac medicinae parte, nulla haecenus observatione plena, cum tamen ad curationem plurimum faciat.

Infantum) Qui, prius quam dentes eruperint, solo lacte vitam alunt, a quo varios morbos patiuntur. Infantibus & caput, & nervosum genus majus est, quam in adulta aetate, pro portione nempe reliqui corporis. In homine recens nato, cujus totum corpus duodecim librarum est, caput ponderat tres omnino libras: adultis vero eo minus caput est, quo adultiores sunt. Infantibus ergo morbi proprii sunt ex genere convulsivo, qui ex ipsa hac majore mole generis nervosi pendunt, quod necesse est magis a causis irritantibus adfici. Quando mille puelli pereunt, vix unus erit, quin prius convulsus fuerit: & minima febricula vel dens difficiliter prodeunt, vel alvi tormen, aut urinae difficultas puellum convellit, quae hominem, triginta annos natum, vix adficit. Deinde a lacte in caseum, & serum aescens abeunte, alii tenellis morbi incumbunt.

Juvenum] In hac aetate vasa extenduntur, plethora nascitur, hinc morbi acuti.

Adultorum] In istis aequalis est solidorum, & fluidorum proportio. Hinc morbi funesti oriri solent, si vel vires distendentes, vel repellentes, mediocritatem excefferint.

Senum) Horum morbi ab excessu solidorum fiunt, & a defectu emunctoriorum, quae senibus plerumque clausa sunt, ut mali humores excerni desinant, adeoque retenti noceant.

Virginei) Hi pendunt a statu virgineo; hoc autem nomine designo
eam

eam aetatem feminae, qua ad prolem suscipiendam apta est, & tantum sanguinis confecit, ut supra pondium vel alendo foetui infumi, vel per menses educi necesse sit. Quando haec excretio impeditur, vel nimis abundat, virgineus morbus est.

Graviditatis) A mutata sanguinis circulatione.

Nutrientis) In femina, quae lac in proprio corpore confit, & infanti praebet. Qui morbi haec functionem laedunt, ii huc pertinent.

Acutissimi) Qui cum summa velocitate, & maximo periculo procedunt, v. g. intra quatrimum, alii tamen intra unum diem, alii unica hora, alii momento temporis occidunt, ut pestis *spritualis*, quae sub prima initia pestilentiarum homines subito exstinguit, suppressa quasi cordis potentia.

Peracuti) Qui intra septem dies terminantur, neque octavum attingunt.

Acuti) Qui intra vigesimum diem, & saepe intra decimum quartum finiuntur. Neque debet objici, HIPPOCRATEM aliquod morbos acutos ad septuagesimum diem protraxisse, SYDENHAMUM vero variolas ad vigesimum, & ultra. In his enim exemplis aegri non ex primigenio morbo moriuntur, sed ex permutatione morbi. Empyema non fert morbi acuti nomen, licet ex morbo acutissimo oriatur, nempe ex pleuritide.

Verni autumnales) Utilissima certe distinctio. Verni februario M. incipiunt, desinunt augusto vertente. Tunc autumnales incunt, mense martio finem facturi.

Continui) Qui motum semel susceptum continuo tenore ad finem producant.

Continentes) Qui paroxysmos equidem duplicent, nunquam autem penitus remittunt, neque corpus liberum relinquunt.

Intermittentes) Quando morbus alternis intervallis & vere remittit, & recrudescit iterum.

Salubres) Qui corpus sanius relinquunt, quam acceperant.

Benigni) Qui functiones humanas non multum laedunt.

Maligni) Qui vires subito destruunt.

Sanabiles) Qui a vi vitae, vel per artem, vel ab utraque in sanitatem mutari possunt.

Insanabiles) Contrario modo. Numerum autem utriusque classis pauci omnino medici accurate definiverunt, Morbi aliqui veteribus insanabiles fuerunt, qui medelam nostram non respuunt. Quando crus totum unico acinacis ictu amputatur, non ideo pereundum est, dummodo chirurgus praesto fuerit, qui continuo ad inguen splenium admoverit, hoc instrumento *tornatili* compresserit. Ante JACOBUM BERENGARIUM CARPENSEM lues venerea fuerat insanabilis morbus, & interibant omnes, quos semel hoc malum infecerat. sed ille, viribus mercurii cogni-

cognitis, cepit adhibere ad morbum aliunde funestum, & experimentis per mortes captis didicit frena ponere furenti malo. Nemo hactenus, quantum post tot noctium vigiliis novi, nemo cancrum exulceratum sanare potest. Sed ait HELMONTIUS hominem fuisse, qui infero pulvere cancrum necare noverit. Talis pulvis, si detectus fuerit, eximet cancrum ex classe morborum insanabilium. CARDANUS scribit, se virum novisse, qui exhibita potione calculum in vesica resolverit. Et spes est, morborum insanabilium numerum perpetuo minorem evasurum, cum ars quotidie magis perficiatur.

Contagiosi] Quando homo, nullo morbo adfectus, recepta aliqua materia ex adfecto corpore educta, in similem morbum incidit. Haec definitio non comprehendit, Morbum in multos dominari debet mortales, nam hujusmodi morbi possunt endemici esse, vel epidemici, neque ideo contagiosi erunt. Veri morbi contagiosi, pestis, & variolae, & morbilli sunt, & certi ad pectus catarrhi, nam in equis experientia docuit, quando unicum animal hujusmodi peripneumonia laboraverat, equos, qui in eodem stabulo vixissent, eundem morbum passos fuisse.

Initii] Status sanitati proximus.

Progressus] Quando morbus continuo major fit.

Status] Quando morbus non ultra augetur.

Decrementi] Quando morbus continuo minor fit.

Finis] Quando morbus desinit, & mutatur aut in perfectam sanitatem, aut in mortem, aut in alium morbum. Haec omnia probe observare oportet, cum idem morbus in diversis temporibus decursus sui diversam medendi methodum requirat.

ΑΙΤΙΟΛΟΓΙΑ ΠΑΘΟΛΟΓΙΚΗΣ.

737. **C**Ausa morbi vocatur, quae morbum praesentem facit. Semper fere res physica jam praesens est. Aut revera producit novum statum in solidis, & in fluidis, qui morbus ferme ipse. Aut tollit rem requisitam omnino ad exercitium functionis.

738. Si illa praesentit quodammodo in corpore ante effectum productum, interna vocatur; si autem extra corpus existens, inde ei applicata, morbum parit, externa dicitur.

739. Internae laedunt, plerumque primo humores, deinde par-

partes solidas; externae ut plurimum prius afficiunt solidas, & humores deinde: venenatos paucos, & contagiosos, morbos forte exceperis.

740. Causa proxima morbi appellatur tota illa simul, quae totum jam praesentem directe constituit; haec semper est integra, sufficiens, praesens; totius morbi, sive simplex fuerit, sive composita. Hujus praesentia ponit, continuat, morbum. Hujus absentia eum tollit. Est fere eadem res ipsi integro morbo. Hinc inquisitu utilissima, maxime necessaria.

741. Causa remota morbi dicitur illa, quae corpus ita mutat, ut aptum sit suscipere morbum, si adhuc alia accesserit. Non est ergo integra unquam, nec sufficiens, illi morbo producendo. Nec alia illa accedens sola eum pareret: at utraque simul. Ergo utramque simul eradicandam jubet Medicina. Ambae junctae faciunt causam proximam.

742. Causa remota corpori inhaerens vocatur Praedisponens, vel προηγουμένη, estque talis v. c. temperies, plethora, cacochimia.

743. Causa, quae remotae accedit, eam excitat, ut morbum faciant, simul appellatur προκαταρκτική, vel πρόφασις, quibusdam Occasio. Solis nocet praedispositis, ut fiat talis morbus. Aliquando est interna, quandoque externa.

744. Hae posteriores omnium commodissime, atque memoriae juvandae aptissime, reduci possunt ad quatuor classes iis indagandis, digerendisque, apprime, utiles, quae sunt.

1. Ingesta. Aer. Cibus. Potus. Medicamen. Venenum. Quae per spiracula cutis, narium; per meatus oris, pulmonis, oesophagi, ventriculi, intestinorum, pudenda muliebria, introgeruntur, Specie visibili, invisibili, fumo, haustu, deglutita, enemate, infuso.

2. Gestae. Motus corporis totius, partisve, affectus animi quicunque. Quies utriusque. Hinc somnus, & Vigilia, huc quoque referuntur.

3. Retenta. Excreta. Sive salubria. Sive recrementa. Sive morbosa.

4. Applicata externa corpori. Aer. Vapor. Fomentum.

Bal-

Balneum . Vestis . Linimentum . Unguentum . Emplastrum . Vulnerans . Contundens . Erodeus .

745. Quae eadem in sex classes alii dividunt titulo Rerum non naturalium digesta: quas nempe recensent ita, ut sit . 1. Aer . 2. Cibus, potus . 3. Motus, quies , 4. Animi affectus . 5. Retenta, excreta, 6. Somnus, vigiliae . Hoc nomine donatae, quia usu, vel abusu, bonae naturales, aut malae contranaturales, fieri queunt . Ad has quoque causae illae redigi possunt . Longe tamen commodius, atque indagini aptius praecedenti divisione utemur .

746. Aer nimis aestuans, humidissima oculorum, narium, oris asperae arteriae, dissipat, vascula ibi exsiccat; pulmonis sanguinem magis cogit, utraque causa pulmonis actiones impedit; multos morbos inde oriundos excitat; humores externos semper tenuiores aufert, internos residuos excoquit, dissipat mobilia, lentiora aggregat, compingit, exsiccat; ergo partes aquosas, spirituosas, salinas volatiles assiduo diminuit: contra vero salina fixiora, olea crassa, & tenacia, acria exusta, & iis involuta, tum terrestria, fixa, auget, accumulatur, unit, in massas irresolubiles adunat; hinc itaque, immeabilitas humorum, simul elongatio, & debilitatio solidorum, & quae inde sequuntur, obstructio, exsiccatio, inflammatio, coctio impedita, putrefactio, alvus adstricta, sitis, stranguria, urina rubra, humores, flavi, morbi acuti, calidi, sicci quammaxime generari solent, inprimis autem genus nervosum, lymphaticumque, & horum actiones inde summopere laeduntur .

747. Aer gelidus fibras solidas accurtat, densat, roborat; hinc actionem earum in humores auget; ubi autem regelascit, tum fibras dissolvit, destruit; idem aer gelidus humores cogit, densat, pulmonem siccat, stringit, coagulatque sanguinem pulmonalem, unde obstructio, inflammatio, exsiccatio, anhelitus, tussis, coryza, catharrus, mucus, pus, gangraena, sphacelus; si autem corpus simul valde movetur, tum actio solidi in liquores, & humorum in liquida, adeo augetur, ut fiat summa attenuatio, perspiratio, veracitas, debilitas, animi deliquia, mors subitanea; si contra quies, summumque simul frigus

frigus aeris afficiunt, tum torpor, dolor ad artus, scorbutus, contingunt.

748. Si idem nimium humidus, laxat, solvit, debilitat, fibras, imprimis pulmonales, serum pulmonum retinet, auget, accumulatur, perspirationem in iis prohibet; unde rursus tusses, peripneumoniae, serosae, diarrhoeae similes, torpores, & febres; si magnus calor illi jungitur, cito putrefactio, si magnum frigus, tum serosa colluvies.

749. Atqui nimis siccus patrat fere eadem, ac si aestu nimio ageret.

750. Aer nimium gravis, comprimit omnes canales, humoresque totius corporis, maxime autem in pulmonibus, unde resistantiam cordi nimis auget, motum humorum suffocat, occidit.

751. Idem si levis nimium fuerit, vasa, humoresque minus premendo dilatat, rarefacit, hinc tumores, eruptiones humorum, eorum in loca minus oportuna derivationes, inde morbos (732.) creat; sed tum simul minus valet vim contractilem, dilatationi resistantem, in fibris pulmonicis superare; unde respiratio sistitur, sanguis ibi accumulatur, peripneumonia velox, mors. Sed & iisdem, densi, rarique aeris effecta patefcunt.

752. Coelum, anni tempestas, solum, mare, montes, lacus, paludes, flumina, vapores, exhalationes, meteora, aerem ita permutant, ut creent varios morbos non pendentis adeo ex ipsa aeris indole, ejusque dotibus, qualitibusque, quam quidem ex natura, & efficacia admisti: unde etiam inde inquiri, atque intelligi debent.

753. Venti autem agunt in corpus nostrum vel suo motu, vel quatenus simul nobis devehunt qualitates aeris explicatas (746. ad 753.): impossibile est ea de iis dicere, quae omni tempore, & regioni, quadrant; sed cognitio chorographica loci, cujus solum vicinum undique perspectum est, comparata cum anni tempestatibus, aliquid boni, verique hinc adfert, Pariter certa successiva serie sequentium notabilis saepe effectus.

Prima-

Primario agunt ut calidi, frigidi, humidi, sicci. Hinc solida; & liquida, mutant.

754. Cibi quidem, & potus; peccare possunt ad morbos producendos, vel qualitibus.

755. Copia quidem si male agunt, excessu, vel defectu, id efficiunt.

756. Si nimia copia peccant, nimis extenditur ventriculus, hinc convulsione nata ora ejus clauduntur, vasa ejus comprimuntur, dilutio, digestio, contritio, separatio, expulsio, horum prohibetur; inde dyspnoea, circuitus humorum perversus, cruditas, ructus, nausea, cardialgia, vomitus, putrefactio, vertigo, confusio, cachexia, quae omnia vitia huc semel nata vix corriguntur in functionibus sequentibus.

757. Quod si defecerit in inedia absoluta, equidem quum merus sit defectus, per se nihil efficit: sed tum interea temporis actiones vitae persistentes solidas corporis partes deterunt, destruunt, consumunt; subtilissimos humorum dissipant, residuos inspissant; repetito continenter attritu solvunt, olea, & sales, eadem extricant, volatilia, acria, rodentia ad minima, & tenerrima vascula reddunt, humores putrefaciunt: anhelitum foedant; hinc spuma salina, acris, biliosa, putrida, in ventriculo inprimis, & in intestinis; ructus, nausea, animi deliquia, ingens, & atrox appetitus; ejusdem deinde integra prostratio succedens; postea immanis sitis, siccitas, debilitas, tormina; borborygmi; bilis cumulus, vomitusque, macies, pervigilium, epilepsiae, febres furiosae, mors.

758. Ex quibus patet, abstinentiam quoque nimiam peiores morbos creare, quam nimiam repletionem, & longe difficilius sanari posse prioris, quam posterioris, vitia, sic dictante Hippocrate.

759. Illa autem vitia, quae in qualitate mala cibi, potusve, haerent, commode possunt revocari ad acrimoniam, viscositatem, aut oleositatem.

760. Acrimonia cibi, & potus est primo Salina; haec autem est mariatica, acida spontanea, vel fermentata. Prima facit sitim, raucedinem, asperitatem, siccitatem, rigiditatem, acrimoniam in humoribus maxime serosis, similem humorum dissolutio-

soluionem, ferofae lymphae ineptitudinem ad nutriendum, solidorum minimorum destructionem, dolores rodentes, scorbutum muriaticum. Altera, quae vel acida simplex; aut plerumque acerba, simul, adstringit, incrassat, coagulat, acidam acrimoniam, dolores lancinantes, algentes, cardialgiam, pallorem, scabiem, inprimis creat; atque praecipue residet in fructibus horaeis paullo minus maturis. Tertia denique in vinis acidis, aut acetis, consistens, fere similia facit: at leviora, deinde prae caeteris nimio usu assumta acre acidum serum facit, unde rheuma, podagra, & similia.

761. Acrimonia secundo in cibis, & potu est Aromatica, ut plurimum constans ex sale, & oleo acris unitis; haec facit sitim, siccitatem, calorem, ardorem, stimulum solidi, velocitatem humorum, liquidi dissipationem, hinc cardialgiam, ardorem stomachi, nauseam, ructus, vomitus, febres, maciem, contracturas, & morbos inde pendentis.

762. Acrimonia tertio est spirituosam fermentatione parata, tempore diuturno aucta, destillatione in summum gradum erecta, est ut plurimum in vino, ut cerevisia antiqua, spiritibus stillatitiis; producit sitim, temulentiam, fibrarum contrictionem siccam humorum coagula vix resolvenda, stimulum celerimum, & citissime evanescentem partium solidarum, hinc summam necessitatem similis potus assiduo auctoris, inde debilitates, flatus, obstructions, febres, tumores, leucophlegmiam, hydropes, & similia his mala.

763. Quarto denique deprehenditur acrimonia penetrans fermentans, quae inprimis in musto crudo fructuum horaeorum, aut in vino, cerevisiave, in ipso actu fermentationis cito suppressae clausis; haec creat ructus, inflatus, spasmos ventriculi, intestinorumque, vomitum, choleras, diarrhoeas, dysenterias, ileon, & talia.

764. Viscositas autem nimia ex farinosis non fermentatis, aut ex gelatinosis animalium, tum ex caseo lento, aut presso nimis coagulo lactis, gignit pondus in stomacho, flatus, ructus, acorem, cruditates, vasculorum tenuiorum in intestinis obstructions, hinc intestinorum inertiam, abdominis infarcti

tumorem, duritiem; tum deinde ipsi sanguini infert viscositatem malam ex unitis iterum viscosis particulis, hinc obstructions ad glandulas, pallorem, inertiam, frigus, tumores; sed & patet, quod frigida dicta potentia similia faciant; tum etiam quod prae caeteris noceant quiescentibus corporibus.

765. Nimia vero Oleositas, solida lubricat, laxat, debilitat; oscula minimorum vasculorum obstruit; hinc introitum aquosorum impedit, miscelam humorum depravat; acria nidorosa, urentia, excitat; hinc ructus, nauseas, vomitus amaros oleosos, creat tum sitim immanem, obstructions, inflammationes, indigestiones viscerum, & mala inde orta, efficit.

766. Motus nimius muscularis in toto corpore, vel in aliqua singulari parte, auget semper villorum muscularium contractiones, & laxationes reciprocas; simulque velocitatem in omnibus humoribus; hinc fluida, & solida, nimium attrita dissolvuntur; aquosa, spirituosa, mobilia, diffilantur; residui humores in densitatem inflammatoriam mutantur; interim olea, & sales; nimis attenuata, trita, volatilia facta, acria reddita, quasi in putredinem exaltantur; crassa, & tanacia, olea, accumuluntur; humores quasi exusti redduntur; omnium maxime bilis medulla consumitur, cellulae ichore replentur; macies fit; hinc defatigatio, dolor, inflammatio, febris, suppuratio; gangraena, haemorrhagia, mors subitanea.

767. Si autem acciderit cacochymicis, aut consumto fere viscere quodam laborantibus, tum etiam in summo aestu, subito lethalis.

768. Vigilia nimia consumit spiritus, nulla arte, nisi somno, reparandos; exsiccat reliqua; atterit solida minima, imprimis cerebri; auget acre, coctiones; nutritionesque; impedit; bilem exasperat; hinc productio maciei, febrium, deliriorum, bilis atrae generatio, agitatio, evacuatio, harumque teterrimi effectus, tristitia, phantasia depravata, inquietudo perpetua.

769. Quies nimia musculorum in toto corpore, vel in aliqua singulari parte, fibras musculares motui ineptiores reddit; minuit velocitatem in omnibus humoribus; hinc concretio,
inspiss.

inspissatio, inertia, tum fluidorum, quam principiorum ea constituentium; cellularum repletio; medullae aggregatio, obefitas leucophlegmatia; frigus; torpor; pigritia; ἀνασθησις. Unde ergo otii, & vitae sedentariae effectus cognoscuntur.

770. Somnus nimius, volatilia consumit, inspissat sensim reliqua; ea in vasa lateralia aggregat, vix movet; agit excrementa; aggravat cerebrum; caput replet; sensus, motusque, hebetat; reliqua fere omnia jam dicta (768.) procreat; hinc simul iis maxime nocere, qui in eum prae caeteris proclives; prodesse his, qui in pervigilia prompti, videtur.

771. Affectus animi violenti, aut diu permanentes iidem, cerebrum, nervos, spiritus, musculos, mirabiliter, & efficacissime mutant, figunt, depravant; unde quoscumque fere morbos valent producere, & fovere, pro sua diversitate, & duratione.

772. Salivae excretio nimia turbat coctionem primam, hinc & sequentes; profert sitim, siccitatem, bilem atram, tabem, ἀτροφίαν: si autem non excernitur in os, aut longe parcius solito, impedit tum ciborum manducationem, saporem, deglutitionem, digestionem; augetque simul sitim.

773. Bilis excretio nimia per superiora, vel inferiora; orbat chylopoiesin primario instrumento; hinc impedit ciborum coctionem, secretionem, faecum excretionem, producit temperiem acidam, frigus, debilitatem, pallorem, leucophlegmatiam, deliquia. Si vero confecta impeditur fluere in cavum intestini, icterum creat, & simul praecedentia vitia.

774. Lympha pancreatis, & intestinorum, si nimia copia depellitur in intestina, producit mala similia, ac saliva sic peccans, (772.) sed & simul diarrhoeas serosas praepremis; unde summae debilitates, animi deliquia, siccitates, siti, febris hectica, marasmus. Si non fluit in intestina, vel parcissime, tum facit moles in intestinis crassas, compactas, hinc pondus, repletionem, tormina, volvulum, sitim, febrem, alvum duram, tumores &c.

775. Sanguinis nimia excretio; sive per anastomosin ex hepate, intestinis, renibus, utero, fiat; sive per diairesin, diapedesin

pedesin , aut vulnera ; tollit vires ; minuit spiritus ; destruit omnes actiones ; accumulatur cruda , aquosa , pallida , frigida ; producit leucophlegmatiam , hydropem , laxitatem in omnibus vasis ; in arteriis autem capacitatem . Cruor autem per haemorrhoidalia vasa , aut naturalia mulierum , vel & per alia minus consueta loca , dudum jam , & periodice , evacuari solitus , interceptus nunc , facit topicas , dirasque , inflammationes , circulationis suffocationes ; febres : mira morborum , & varia genera ; maxime autem valde mirabiles alibi haemorrhagias .

776. Seminis excretio nimia facit lassitudinem , debilitatem , immobilitatem , convulsionem , maciem , siccitatem , membranarum cerebri dolores , calores ; sensuum , maxime visus , hebetudinem , tabem dorsalem ; fatuitatem , varios his affines morbos .

777. Urinae excretio nimia ; facit siccitatem ; humorum immeabilitatem ; ardorem ; sitim inexplebilem ; cruditates ; spirituum subductionem ; maciem ; atrophiam ; & mala his similia . Nimius autem sudor ferme eadem efficit : Urina autem suppressa vesicam , ureteres , pelvim , renes , distendendo , rodendo , putrefaciendo , labefactat , corrumpit ; toti lymphae sanguinis acrimoniam calefcentem conciliat ; hinc cerebri renella stamina laedendo , anxietates , sopores , insomnia , vertigines , apoplexiam , profert .

778. Sanctoriani Perspirabilis excretio nimia facit debilitates summas , hinc animi deliquia , mortem inopinam . Si vero parcius est , vel sublata , facit extremae cutis vascula sicari , emori ; hinc & majora excretiora obstrui arefacta ; mutatur hinc circulatio ; retinetur acre ; oritur putredo , cruditas , febris , inflammatio , apostema .

779. Applicata externa frigida , meatus claudunt , fibras contrahunt , retenta retropellunt , exhalationes impediunt ; hinc efficiunt quae perspiratio impedita . Calida autem , aperiunt , laxant , exhalant , versus cutim ducunt , sed exsiccant . Humida abluunt excrementa , aperiunt ora , laxant vasa , aliiunt extrorsum ; unde si nimia , morbos producant , ut Sudor nimius

nimius (777.) Sicca contraria faciunt: ex quibus efficacia balneorum, fomentorum, epithematum, intelligitur, si prius cognoscitur materies, qualitas, modus, duratioque applicandi; ut & reliqua memorata (744. 4.) prius facillime capiuntur.

780. Sunt & internae quaedam corpori diatheses, adeo generales, ut plurimi morbi ab iis, ut causis, pendeant; unde in enumeratione causarum generali proponi, explicarique per suas causas solent; suntque inprimis plethora, cacochymia, heterogenea interna.

781. Plethora fit, sustentatur, augetur, in corpore, cui viscera Chylopoea fortia, vasa sanguifera laxa, victus plenus boni succi, aetas media, temperies sanguinolenta, tempus hybernium, & aestivum, aer humidus, mens otiosa, & indolens, artuum truncatio. Facit autem intolerabilitatem caloris, motusve; extensionem vasorum majorum; compressionem minorum; hinc, minima data occasione, lacerationem in vasis, suffocationem in liquidis; inertiam, desidiamque.

782. Cacochymia considerari potest vel in iis, quae extrinsecus humoribus accidunt, vel in iis, quae interne illis adhaerescunt; tumque iterum vel in omnibus simul, vel in aliquo singulari.

783. Ubi ergo occurrit primo nimius humorum per vasa motus, is facit humorum compressionem, attritum, attenuationem, calorem, diathesin inflammatoriam, & mala jam explicata (766.) Eorundem vero motus nimis lentus, facit vitia simillima iis, quae jam exposita (769.) Inprimis periculosus spirituum nervosorum motus excessu, vel defectu, peccans; inde enim omnes coctiones, secretiones, excretiones, laeduntur; & inde varii, omnis fere generis, morbi.

784. Humorum autem nimia Fluiditas producit nimiam exhalationem, consumptionem, secretionem perturbatam, vasorum majorum arctationem, inanitatem eorundem, debilitatem, in minoribus vasculis obstructions, rupturas, suppurationes; in primis nocet si magna acrimonia, motusque simul concomitantur.

785. Eorum vero Tenacitas nimia parit obstructions, vasculo-

sculorum extensiones, dolores, tumores, inprimis autem ad glandulas, & ad plexus arteriosos. Ubi vero Tenacitate juncta pariter Acrimonia, tum pro varia proportione, qua concurrunt hae duae, maxime fit vasculorum destructio; unde dein, effusis humidis, pustulae, inflammationes, gangraenae, sphaecelus, cancer, ulcera cacoethe, caries, & similia sane mala; est autem quandoque acrimonia comes, aliquando pedissequa tenacitatis.

786. Humores acidi crudi, acidi acerbi, acidi fermentati vinosi, acidi chylosi, acidi lactei; tum & alcalescentes volatiles; fixive, aut jam ipsa re alcalini; iterum falsi muriatici, ammoniacive; acres salini, oleosi, aromatici; insulsi tandem, & oleosi; pariunt morbos quam simillimos propositis (760. ad 767.)

787. Pituita autem insipida, acida, salina, vitrea, Viteribus adeo considerata, intelligitur quoad ortum, & effectus ex (785. 786.)

788. Bilis flava, vitellina, porracea, aeruginosa, Isatodes, solo motu, convulsione, animi affectu, saepe nascitur, causa vix explicata haecenus; producit autem multos, malosque, morbos, nauseas, horrorem contra cibos, anxietates, singultus, cardialgias, vomitus, dolores iliacos, colicos, tormina, flatus, borborygmos, diarrhoeas, dysenterias, acutos morbos, febres, convulsiones.

789. Bilis autem Atra dicta a colore suo, & Bilis vocata a fede, ubi colligitur, & unde excernitur; aliquando sapore acerrimi aceti, quandoque vero putrefacti cruoris, rodit, urit, eliquat, inflammationes, gangraenas, sphaecelos, dolores atrocissimos, effervescentias enormes, excitat. Triplex quidem talis in causis morborum describitur: 1. Mitissima ex ipsa materie sanguinis nimis moti, hinc exusti dicti (766. 783.) 2. ex hac prima magis, magisque, per easdem causas exacerbata; 3. ex bile corrupta exassata, quae si ex flava, vitellina, porracea, aeruginosa, Isatode, orta fuerit, posterior semper peior est; hinc pro varietate indolis, qua gaudet, & pro ingenio partis, in quam deponitur, varii admodum ejus effectus.

790. Sanguis etiam, ferum, bilis, si scatent, praedominante acido, alcali, muriatico sale, oleo, vel terra, producunt mordos, quales ex his rebus oriri demonstrati sunt (760. ad 767. & 786.)

791. Serum sanguinis, bilis, urina, generant ex sua materia calculos compositos ex volatili spiritu, sale, oleo, & ex terra haec excipiente, certo modo unitis.

Hi vero extensa sua mole, pondere, motu, vicina compriment; tum quoque vasa calculos complexa motu, & pressu suae substantiae contra duros, asperos, atteruntur, destruuntur; hinc transitus humorum intercipitur, creatur dolor, inflammatio, ulcus, gangraena, callus, & quae ab his pendent, mala.

792. Ova insectorum cum aere, potu, cibo, corpori ingesta, pituitae intestinali, faecibusve, mista, aut in cavitatibus nidulanda, fotu, quiete, calore, exponunt vermes rotundos, latos, vel Ascarides, iidem forte quandoque cum iisdem assumptis deglutiuntur, inde crescentes corpori quoque inhaerent.

Illi autem sugendo, movendo, vellicando, rodendo, terebrando, chylum consumendo, nervos irritant, solida vulnérant, nauseas, horrores, cardialgias, vomitus, animi deliquia, maciem, famem caninam, tumorem abdominis, & talia producunt; maxime flatus, subitofque tumores, creant.

793. Vis externa, aut interna corporum motorum laedit partes corporis nostri simplicissimas actione omnibus dicta mechanica, utpote nota; haec itaque, fatentibus cunctis, nequit referri ad calorem, frigus, humidum, siccum, principia chemica, acre alcali, vel acidum. Simili autem ratione, & alias causas minus visibiles, hinc parum cognitae agere, facile persuademur, quae deinde morbos Partium Similarium imprimis, pariunt.

794. Materia morbi in parte aegra haerens, subito collecta, Fluxio, lente congesta, Collectio appellatur, pro causa agnoscit inertiam partis solidae non subigentis, nec expellentis id, quod formari incipit, aut praesentis jam alibi materiae peccantis in partem, quae nunc obsidetur, derivationem.

795. Derivatio haec, fluxio, vel attractio, dicta Veteribus

fit motu, calore, dolore, fetu: atque hinc oriuntur morbi, qui dicuntur cum materie.

796. Venena, pestis, contagia, ingesta quomodocunque (744. I. 4.), laedunt solida, fluida, vel utraque ita, ut sistatur cursus humorum vitalium; agunt quidem semper vi mechanica (793.), sed saepenumero vix explicanda, nisi per principia doctrinae Chemicæ: concipiuntur enim facile laedere solidas partes nimium dissolvendo, laxando, constringendo, obstruendo; fluida autem depravant nimis inspissando, dissolvendo, acres reddendo; hinc utraque simul corrumpunt unita hac opera: pleraque ideo velocissima in nervos, pulmones, sanguinem agunt actione hactenus minus observata; ideo habita plane infueta, & incomprehensibili: unde etiam morbi sic geniti dicebantur Antiquis morbi totius Substantiæ læsæ.

797. Sed & sunt causæ quaedam singulares morborum peculiarium admodum notandæ, quum malæ Conformationi præbeant originem, primariæ habentur, imaginatio Matris, imprudens actio Obstetricis, Nutricis, vel Custodis negligentia; his enim corpusculum tenellum agitatum, pressum, tractum; pulsatum, ligatum, deformatur in faciem vix emendabilem. Sed & indoles spissorum, & acrium humorum similia multa producant.

789. Causæ etiam cavitati vitiatæ in partibus male dispositis clæræ, sive ut internæ, sive ut externæ, spectentur (707. 709.). Diaeresis autem origo est ex distensione, acrimonia, vi externa. Hinc & reliqua mala hunc relata patescunt.

799. Fortis pressio; valida distractio; ligamentorum, aut membranarum coercentium laxatio, aut dissolutio; producant luxationes, contorsiones, hernias; procidentias partium.

800. Secantia, pungentia, ictum inferentia, rodentia, adurentia, distendentia, contundentia, rumpentia, sunt causæ præcipuæ Solutæ Unitatis.

§. DCCXXXVII.

Causa] Morbus est ens physicum, adeoque morbo conveniunt omnia axiomata generalia, quae causae physicae competunt. Verum causam entis physici cognoscere dicimur, quando certi sumus entia aliqua esse, quae non possunt concipi, quin simul concipiatur esse ea res physica, cujus causae dicuntur. Neque enim causarum cognitionem possidemus, quae CREATORIS est: sed experiundo discimus, hoc datum ens existere, & si tunc etiam aliud aliquod ens necessario concipitur existere, tunc res prior conceptu causa, posterior effectus dicitur. Phrenitis est res physica, quae in homine nata facit, ut cum furore deliret, & a vitio cerebri cum febre ardente producitur. Causam phrenitidis teneo, si conceperim, quid sit inflammatio in vasis sanguiferis, & seriferis, quid cortex cerebri, deinde sciverim leges humanitatis, juxta quas ad singulas cerebri conditiones physicas definitae cogitationem species in mente oriuntur: tunc vero novi, quid phrenitis sit, febris nempe continua, acuta, cum inflammatione cerebri, hinc orta perturbatione cerebri, & idearum confusione. Sed quaenam adeo phrenitidis causa est? Respondebo expeditus, inflammatio cerebri. Sed aics, adeo ipse morbus sibi causa est. Nempe non potest esse in cerebro corticis inflammatio, cum vi sanguinem in vasa obstructa urgente, quin cerebrum turbetur: neque potest cerebrum turbari, quin talis causa adsit: ergo totus effectus perfecte idem est cum tota causa. In alio exemplo pleuritis est inflammatio in arteriis intercostalibus, quae urgentur a praesente febre continua. Qui hunc statum horum vasorum cogitat, is totam etiam cogitat pleuritidem: & qui pleuritidem cogitat, is statum eum vasorum intercostalium cogitat. Idem per omnia exempla verum est. Si rerum naturam concipere possemus, uti DEUS, qui nobis imperfectis entibus multo certius existit, demonstrante SOGRATE, & PLATONE, tunc non uteremur aut causae nomine, aut effectus, sed omnia videremus, uti simul existunt. Verum cum non cogitemus, nisi successive, & pauca simul, & ipsi successive existamus, ita fit; ut non existentem hoc momento minus perfecte concipiamus, quam alio momento, & ob hanc solam rationem rem primo conceptam causam vocamus; effectum vero quum postremo concipimus. Non ideo vera in causa, & effectu diversitas est, sed causa effectus est, & effectus causa; neque unum absque altero subsistere potest, neque differunt, nisi in duratione respectu nostri.

Realis] Ita barbare vocamus, quae vere existunt. Sed morbus est ens physicum verum. Et causa morbi est idem ens cum morbo ipso; ergo & causa morbi ens reale est. Imo vero, etiam si sit ablutio entis alicujus ad sanitatem requisiti, non eo minus ens reale est. Ut

homo vivere pergat, oportet sanguinem adeste. Absentia sanguinis morbus est, & morbus lethalis, neque tamen mera privatio, sed cordis talis collapsus, & contractio arteriarum, ut sanguis non continuo filo ad cerebrum fluat, hinc syncope fiat: adeoque privativus morbus aequae ens physicum est, ac morbus, qui impedimentum est functioni obpositum. Ex hac sola legitima significatione causae componuntur lites acerrimae philosophorum, ex eo solo praejudicio ortae, quo credunt, causam morbi aliquid esse ab ipso morbo diversum, quae manifesto idem sunt. Sit globus A ex filo pendulus, & alius globus B, qui pariter pendulus in obposita linea in A impingit: tunc utique ex legibus motus, in ipso contactu quiescit uterque globulus brevi momento, eruntque duo globuli quasi unum corpus, & complanabitur in utroque superficies, quae alterum contingit, atque particulae minimae utriusque globi versus centrum resilient. Verum mox iidem globuli se restitunt, & partes complanatae restitunt se in arcum, aequalem priori, ex quo complanatae sunt, & globulus A repellit globulum B, vicissimque globulus B, repellit A. Quanam hujus recursum causa est? contactus utique duorum globorum, & quies, & sequens partium resilitio. Verum conjunge haec omnia, & habebis ipsum recursum, cujus eam causam esse dixeras. Apoplexia est subita actionum animalium omnium destructio, superstitie, & aucta actione vitali. Fons actionum animalium physicus laesus est; is est cerebri medulla; ergo, quando causa aliqua sensorium commune privavit facultate exercendi functiones animales, tunc apoplexia adest. Hujusmodi causa est, si sanissimi hominis caput malleo percussum fuerit, ut sanguinis unciae duae in cavitatem cranii effundantur, atque iste sanguis cerebrum compresserit, tunc apoplexia est; compressio enim cerebri facit, ne medulla actiones animales perficere queat. Tolle has duas uncias effusi sanguinis, sustulisti apoplexiam. Ergo compressi cerebri est hujus morbi causa proxima. Iterum, si nervus ita incisus fuerit, ut pars adhuc integra manserit, dolor atrox oritur, cujus causa proxima est nervus ita distractus, ut jam jam rumpendus sit. Tolle hanc tractionem, discinde nervum, vel fac, ut ejus partes ad se invicem accedant, jam dolor sublatus est. Ergo causa proxima est ipse morbus.

§. DCCXXXVIII.

Interna] Quando in corpore humano semel sano nihil mutatur, tunc sanum manet. Quando vero a causa externa, extra corpus posita, mutatur, tunc morbus ex illa causa natus, est ab externa causa. Quando vero in corpore sano, ex ipsa sanitate, quae ipsa perpetua mutatio est, oritur mutatio aliqua, ex qua morbus nascitur, tunc dicitur morbus a causa interna. Et si intra corpus causa nata fuerit, quae sola morbum facere nequit, ex qua tamen causa successu temporis morbus nascitur,

scitur, is etiam morbus ad eos refertur, qui ex causa intera oriuntur.

§. DCCXXXIX.

Humores) Quando corpus humanum sanum morbum pati incipit, ex iis causis, quae intra corpus sunt, non poterit vitium natum esse, nisi in liquidis partibus, quae demum solidarum vitium efficiunt, prius mutatae,

Solidae) Antequam enim hae causae, in humoribus natae, morbum faciant, solent plerumque prius solida mutare. In vulnere, & contensione primo vasa mutantur, nempe hi morbi externi sunt. Sed pleuritis, quae morbus internus est, non nascitur nisi sanguis φλεγμονώδης praesto sit, & ex illo demum sanguine ita potest systema arteriosum adfici, ut pleuritis oriatur.

Venenatos] HIPPOCRATES pro re demonstrata admittit, totum corpus perspirare ab exterioribus introrsum, & exhalare ab interioribus extrorsum. Quando nunc corpus aliquo per venas bibulas in corpus humanum subire potest, quod prius in humores se insinuet, eosque mutet, quam solida adgrediatur, oritur nova classis morborum, in qua causae externae prius fluidis, quam solidis mutationem inferunt, eaque classis venenatos, & contagiosos morbos comprehendit. Quando vero aliquem tepidus adflavit auster, deinde vero subitus aquilo supervenit, in homo tussiculosus fieri poterit, & catarrhus a sola aeris vicissitudine, qui ab austro prius calidus, & humidus, & deinde subito ab aquilone siccus & frigidus factus est. Tunc vero catarrhus non nascitur, quin prius vasa contracta sint: ergo aer prius in solidas partes egit, & tum demum liquida stagnantia etiam mutantur.

§. DCCXL.

Proxima] Vulgo docetur, causam remotam eam esse, quae ponit aliam quam aliam causam intermediam, ex qua posita continuo morbus nascatur. Verum nulla huiusmodi causa in rerum natura est. Causa A, quae generavit causam B, eadem est cum ipsa B. (DCCXXXVII.) a qua non differt, nisi ratione successivae cogitationis. Porro si causa B produxerit effectum C, etiam B (per eadem) idem erit cum C: & adeo A, B, & C unum sunt ens idem. Ergo nulla datur causa morbi remota. Verum in respectu ad effectum producendum causa remota dicitur, quae existens, effectum generat, qui nondum morbus est, sed ab alia demum accedente causa, cum hoc effectu conjuncta, in morbum abit. In hac consideratione prior imperfecta causa remota est, altera perfecta proxima, quae proxima causa est. Pleuritis definitio est, humoris crassioris redditi, immeabilis, in arteriis spatiorum intercostalium

lium facta propulsio a vi vitae adaucta: Hujus pleuritis causa remota dicitur diathesis sanguinis φλεγμονώδης, causa vero proxima febris acuta. In hoc exemplo causa remota non potuit sola pleuritidem facere: sanguis enim lentus esse potest absque pleuritide. Neque febris per se sola pleuritidem facit, cum saepe febris adfit, neque ideo pleuritis sequatur. Verum ex causae utriusque concursu pleuritis nata est. Ergo ex concursu causarum remotarum fit causa proxima morbi s. pleuritis. Ergo causa remota est causa dimidiata. Tolle crassitiem humoris, non est amplius pleuritis: tolle impedimentum in vasis, neque tunc pleuritis erit. Hae conditiones seorsim causae dicuntur, conjunctae vero morbus. Quando moles ducentarum librarum adest, quam duo homines, junctis viribus elevare debent, eorumque hominum singulae vires centum libris aestimantur, tunc unus eorum hominum, qui prior accedit, molem elevare nequit, & est causa dimidia elevationis. Si enim cum conatur, pondus massae movendae dimidium reddi posset, elevaret utique perfecte. Nunc accedit alter homo, moles elevatur. In hoc exemplo medici vulgo priorem hominem adpellarent causam remotam, alteram proximam, non bona significatione nominum: utraque enim causa aequae propinqua est, & causarum neutra remotior est, sed divisae sunt. In causis morborum idem valet, quae conjunctae morbum efficiunt, separatae non faciunt. Male in eo casu causam unam remotam, alteram proximam vocares, & huic unice effectum tribueres. Lanx una est, cui centum librae impositae sunt; altera, qui 99. librae. Illa immota manet; addatur nunc huic libra unica, ascendat illa. Non ideo haec unica libra causa elevationis unica dici debet: sed causa est, quando cum aliis 99. conjungitur. Sic intelligitur diversitas causae remotae a proxima, & adparet SYDENHAMUM causarum remotarum considerationem non bene rejecisse, cum aequae necesse sit curare remotas causas conjunctim, ac necesse est unam causam proximam solam sub oculis habere: & uno verbo causae remotae conjunctae sunt causa proxima. Qui vero causam proximam novit, quod pertineat ad sanationem.

DCCXLII.

Praedisponens) Pars morbi, quae prius existit, quam altera causa accesserit: haec non generat morbum, cujus dicitur causa praedisponens; ejus enim morbi non nisi dimidia causa est. In homine diathesis pleuritica est, totum nempe corpus calidum est, sanguine repletum, torpidum, fisticulosum, adest spontanea lassitudo, & perpetuus somni amor: jam incipit corpus laborare, sed tamen nondum pleuriticum est: agit enim haec causa remota pleuritis, non ita vero, ut pleuritidem faciat: ut is enim morbus fiat, debet alia causa accedere. Haec causa semper interna est, & nomen habet; quod exercitui hostili castra, viamque praeparat.

paret [*Ein Fourier*] Accedat nunc in eo statu causa, quae arterias intercostales angustiores reddat. Stagnabit ibi sanguis densus, coacervatus, orientur in latere molesta gravitas, & febris, & horror, & pleuritis.

Temperies] ιδιοσυγκρασία, temperatio, inclinatio, vel repugnantia ad certos morbos, quae cuiusvis propria est: nulli enim mortalium perfecte iidem, qui alteri, humores sunt.

Plethora] Tanta boni humoris abundantia, ut haecenus sanitas maneat, sed ex levi additione molis, vel ex rarefactione morbum sequi necesse fit. Humores bonos supponimus, alioquin non plethora esset, sed cacochymia: tantam vero copiam, ut morbus in procinctu sit.

Cacochymia) Corruptio humorum antea bonorum. Haec semper, & necessario morbum facit, non tamen eum, cujus respectu προηγουμένη dicitur, quandiu sola est, sed alios, ab eo diversos morbos. Quando vero causae externae accedunt, quae latentem causam excitant, ut morbus recens gignatur, tunc eae externae causae vocantur *procatarticae*, quas etiam remotas vocant.

§. DCCXLIII.

Praedispositis) Sint tres mortales, primus temperie atrabiliariae, alter summae plethoricus, tertium phthistica cacochymia laboret. Fac ut hi tres homines supra vires suas velociter decurrant; ex eo motu atrabiliaris incidet in mirificos morbos: plethoricus in inflammatorias mala, aut subitam etiam mortem; tertius acrem materiem movebit in vasa tenerrima, & altos inde morbos patietur. Prima hic causa est praedispositio, altera motus: neutra sola eum morbum produxisset, quem nunc duae combinatae generant. Sint iterum duo homines, alter plethoricus, hydropicus alter: expone utrumque acri frigidissimo; ille pleuritide corripietur, hic nihil mali patietur. Ergo causae ejusdem procatarticae effectus diversissimi sunt, prouti dispositio alia, & alia fuerit.

§. DCCXLIV.

Non naturales) Entia physica. adiaphora, quae ad sanum corpus applicata, certo, & legitimo usu faciunt partem corporis nostri, male vero applicata morbum. Cibo, & potu tales conservamur, quales fuimus sani: absque eis sanitas cito in morbum transit. Si vero aegro homini cibum, potumque dederis, immaniter morbum augebis. Nomen habent, quod nondum pars naturae nostrae sint, sed bono usu fieri possint. Haec non male ita a veteribus dicta sunt; melius tamen *JONSTONUS*, quem sequor, causas procatarticas in quatuor classes distribuit.

Corporis] Naturales, vitales, animales. Hae considerationes, maximas utilitates praestant. Adducor ad aegrum Medicus, & nihil cognosco lacte.

hactenus de ejus morbo. Interim addiscenda est, necessario, causa proxima morbi, quae ipse morbus est. Haec causa componitur ex proegumene, & procatartica. Ergo illas percurro: quaero morbum primo in temperie aegri. Si invenerim, noto inventum: sin minus, transeo ad plethoram. Si in ea morbus fuerit, pariter observo, v. g. si aeger dixerit, ante tridum bene vixi, deinde percepi lassitudinem, & spontaneam corporis gravitatem. Verum praeter has causas debet externa aliqua causa excessisse. Ergo interrogo aegrum, quid ederit, quid hiberit, quale sumserit meditentum, denique an venenum aliquod, quod vel a malignitate hominum veneficorum, vel casu aliquo admiserit, uti si mytulum corruptum comederit, aut cibum spuma bufonis infectum. Si causam morbi in his classibus non invenero, quaerendum est, quid fecerit, & an motum aliquem majorem ediderit. Si neque in ea classe peccavit; quaerendum est, an in excretis, aut recentis aliquid minus bene administratum sit. Hac ratione percurrendae sunt quatuor causarum classes; donec vera causa inveniatur. Infans erat, qui absque causa nota febricabat, ejulabat, convellebatur: inquisivi undique, nihil disceram: tandem jussi corpus denudari, ita reperta est acicula corpori miselli inter vestendum infixam; ea remota, imposito fomento, totus morbus ablatus est. Nisi causam morbi didicissem inquirendo, nulla venae sectione, nullo medicamento sanitatem restituissim. Vidi homines, qui certissime sibi persuaserant, se calculo renis laborare: sanguinem enim minxerant, post sanguinem vero pus, cum magno dolore. Verum inquirendo constitit, eos exterius corpori cantharides admovisse. Haec ergo omnia observando demum medicus eris: absque iisdem in obscuro incertus vagaberis.

Aer oris) Exstat libellus de cavenda per exspuitionem infectionem in morbis acutis. Antiquissima consuetudo populis Asiae communis est, si quid abominabile vident, expuunt: nos abstinemus, quod expuere nobis minus decorum sit. Verum antiqui moris fundamentum in ipso natura positum est. In variolis homines plerumque primo adficiamur in ventriculo, dum salivam deglutiunt, & una volatile illud in aere obvolitans venenum ventriculo tradunt: hinc prima phaenomena infectionis produnt se in ventriculi ostio superiori. In peste centies demonstratum est, neminem adfici, nisi qui aerem deglutiverit. Inde anthrax in ventriculo, funestissimus morborum. Aer enim cum omnibus, quae vehit; miasmatis, toti undique ori absque medio applicatur, & ne drachmum aquae quidem, neque cibi buccellam deglutire possumus, quin unam aerem hauriamus.

Animi] Plerique in corpore humano motus pendent a communi sensorio. Hujus magnae mutationes sunt, quos animi adfectus dicimus. Non ergo mirum est, ab iis animi passionibus corporis motus miris modis mutari.

Retenta) Si ea retenta fuerint, quae expelli oportuerit, aut es expulsa, quae

quae retinuisse oportebat. Sanguis optimus sanus potest nocere, ut praefert excerni. Bilis optima non excreta morbum faciet.

Superficies) Corporis humani tres superficies sunt, 1. cuticula cum cute, 2. superficies respirans arteriae asperae, & vesicularum bronchialium, faucium, & oris; 3. superficies alimentaris, os, fauces, oesophagus, ventriculus, intestina tenuia, crassa.

Vestis) Ex hujusmodi causis mira saepe mala oriuntur. Novi hominem sanguinis sputatorem, qui nunquam angustiores vestes induebat, quin morbi sui proximum pateretur. In alio mistum sanguinis ab eadem causa accedere vidi. Puellae corpus solent valide adstringere: ergo, si quando phthifice fuerint, premunt sanguinem in loca non resistentia, indeque sibi morbos inducunt. Ergo haec omnia medicus perquirere debet.

Emplastrum) Quis crederet, nisi qui experimenta certa vidit, emplastrum de mercurio Vigonis dedum plantae applicatum, scabiem totius corporis inducta salivatione sanare? Sed alii hujusmodi casus mille modis contingere possunt. Ergo medicum ad haec omnia animum adtendere oportet.

§. D C C X L V I.

Oculorum) Ab hac causa factum est, ut Aegyptii dentes quidem firmissimos habuerint, quales in mumiis integerrima serie reperimus, post tot elapsa secula; iidem trigesimo fere aetatis anno fere caeci facti sint. Causa est in radiis solis aestuosissimis, in oculum repercussis.

Narium] Qui tota die per aestuantem arenam obambulavit, vesperi *ωορμ* erit, exsiccata SCHNEIDERI membrana.

Pulmonis] Quando in coelo aestuante corpus movemus, pulmo vix diu subricitatem conservat: exhalat enim, RUYSCHIO docente, humor in ipsas vesiculas. Sed ex pulmone exsiccato funesti morbi oriuntur.

Aufert) Dum sani sumus, semper ad aliquot digitorum a corporis ambitu distantiam atmosphaeram humidam circumfusam habemus. Quando per summos aestatis ardores glacies ex cella effertur, si tunc fragmentum glaciei ad aliquam a manu distantiam tenueris, videbis fumum crassum ex manu prodire. Non eo momento cepit vapor ex cute ascendere: sed qui perpetuo ascendit, is a corpore frigidissimo repercussus conspicuus fit, qui antea oculos fugerat: perinde uti anima nostra hyeme visui se sistit, quae aestate oculos fugerat. Ergo corpus totum ponitur in balneo vaporis. Quando vero calidus aer nos adflat, aufert hanc nostram atmosphaeram: succedit altera, sed & hanc aer avertit, ergo corpus brevi exhauritur. Quanta vero haec aeris potentia sit, adparet ex enormi aquae intra datum tempus exhalatione, quam HALLEJUS per experimenta demonstravit.

Compingit) Hinc in asia vix per tria milliaria castra moventur, quin jam

homines, & armenta pereant. Ibi enim aer ita aestuosus est, ut ad 70. & 80. gradus thermometri FAHRENHEITIANI adcedat: ibi aqua epota instar expressae spongiae ex corpore exsudat: uti D. BERNIER eleganter in epistolis narrat, quas ex Indostania scripsit, ubi inter scribendum cutem sibi destillare, atramentum vero exsiccare queritur. Neque aqua epota sanguis temperari potest, cum aqua piceis sanguinis grumis misceri nolit.

Irresolubiles) Hinc morbi atrabilarii in calidissimis regionibus frequentiores: & in Graecis creberrimi: qui nobis multo rariores, ut in frigidis regionibus, atrae biles neque generentur, neque moveantur, quales in patria sua HIPPOCRATES descripsit, & calidarum regionum incolae etiam nostris temporibus patiuntur.

Debilitatio) Adparet, inde quare ab omni aevo corporibus borealium gentium firmitas propria fuerit; & vicissim eo molliores sint, quo aequatori propiores. Ignis enim elementa corporum a se invicem removet, aerem rarefacit, aquam in vapores disjicit, olea, spiritus, ligna, metalla in omnibus particulis suis recedere cogit, ut majore mole fiant. Idem autem ignis etiam elementis corporis humani applicatur, ea ergo elongabit, & corpus debilitabit: augetur enim fluidi ad solida ratio, atque adeo minuitur solidorum potentia. Nam quo elementa sibi propiora, eo corpus firmitus est, & contra. Hinc etiam in calida anni tempestate vires mortalium dilabuntur, quae eadem serenissima hyeme, & sub frigidissimo coelo firmissimae sunt.

Nervosum) Aer nimis calidus in nullam corporis partem magis agit, quam in subtilissimam eam partem, quae ad nervos pertinet: subtilissimum enim inter liquida velocissime exhalat. Hinc adparet, cur ii homines, quibus nervi tenerrimi sunt, iis morbis maxime obnoxii sint, qui ab aere nimis calido nascuntur.

§. DCCXLVII.

Gelidus) Adeo frigidus, ut aquam cogat. Post hunc gradum frigoris aer adhuc refrigerari potest supra frigus aquae congelatae per graduum numerum dimidium, quibus summus calor aestivus a frigore aquae congelatae distat, & vidi ante 26. annos [1709.] aquam repentem in liberum aerem sparsam in grandinis speciem subito abiisse, prius quam in terram caderet. Oportet autem, ut gradus definiamus, medium frigoris gradum invenire: neque pulchrius quidquam in physicis praestiterunt recentiores, quam illud studium, quo qualitatatum medios gradus definiverunt. Inter summum calorem, summumque frigus aliquis gradus est caloris medii, qui in quibusdam locis fere perpetuo idem manet & immutabilis. Nam in altissimo puteo observatorii Academiae Parisinae aqua neque hyeme coagulatur, neque in aestate tepescit, adeo aequabilis est

est aeris temperies; eum autem caloris gradum per multos annos observando Academici medium inter calorem, & frigus gradum invenerunt.

Densat) Corpus hominis frigentis contrahitur, & minus redditur. Vestes, quae aestate corpus calefactum vix ambiebant, hyeme amplas nimis experimur. Videtur NATURA hoc confulto voluisse, ut calor internus augetur. Ventres hyeme, & vere natura calidiores, inquit HIPPOCRATES, quia iis anni aetatibus plus naturalis roboris possident; hinc iisdem temporibus digestiones celerrimae, addit idem; has enim facit actio vasorum in fluida: eam actionem frigus auget, adeoque & coctionem, sive crudi humoris in humanum mutationem. Male ergo hic HIPPOCRATEM carpsit HELMONTIUS.

Regelatio) Nulla alia mutatio animalibus, vegetabilibus, aut fossilibus perniciosior est, quam congelatio, & regelatio vicissim alternans, & cerebro repetita. Ipsa metalla, quae candefacta subito aquae frigidae immerguntur, fragilia fiunt, vitri simillima. Caro edulis in gelido aere diu conservatur, sed quam primum regelavit, eadem in tabi speciem diffluit. In commentariis Parisinis (*) optime notatum est, nunquam tusses magis populariter grassari, quam in subitis mutationibus, ubi post magna frigora subitus aestus succedit, & hunc aestum nova frigora sequuntur. Non alio tempore majus a tabe pulmonali periculum.

Stringit) Exempla sunt, in summo frigore homines absque ullo symptomate subito mortuos procubuisse: neque haec calamitas infrequens in hyperboreis regionibus aut hominibus accidit, aut bestiis: causa mortis est in pulmone subito constricto, & coagulato intus sanguine, qui in pulmonibus rigidissimo frigori aeris nudus expunitur.

Coryza] Aer gelidus morbos facit epidermidis, membranae Schneiderianae, pulmonis, oesophagi, ventriculi, intestinorum, ut vix ulla valetudo resistere possit. Hos catarrhos multi putaverunt esse secretionem aliquam criticam, quae totum corpus repurget. Verum homines sanissimi reperiuntur, qui in tota vita ne unicum quidem catarrhum passi sunt. Fit autem, quoties membrana Schneideriana calefacta prius, subito refrigeratur; tunc enim extremi vasorum fines constringuntur, inspissantur humores, & paullo post subito & humores resolvuntur, & solida laxantur. Recte HIPPOCRATES, qui ad haec mala suffitus siccos ex thure, & mastiche commendat, quibus membrana Schneideriana laxata roboratur. Hinc intra viginti quatuor horas aliquot mucinia humore replent, quantum vix sex mensibus sani excrevissent.

Sphacelus) Sanissimis hominibus ex summa frigoris saevitate labia, & extremi pedes, & nasus decidunt. Recte Romani, qui eadem phrafi ignis, & summi frigoris effectum expresserunt.

Penetrabile frigus adurit, VIRGIL.

[*] *Fotius Britannicis*.

L 2

Side.

Siderationem subitam facit constringendo partes solidas, fluidas condensando.

Movetur) Non alia ex causa velocius destruitur corpus humanum, quam ubi frigus externum rigidius superatur per calorem ex motu musculorum generatum: quando, in exemplo, homines per hyberna frigora super glaciem ferratis calceis armati decurrunt in primis, si praeterea ventus adversus flaverit. Tunc enim solida adeo valide in humores agunt, ut calorem per adtritum generent, qui & superet externum frigus, & praeterea sanguinem super consuetum gradum cogat incallescere. Aeris enim hyberni, quando aqua congelari incipit, frigus est 32. graduum, sanguinis humani vero calor 92. hos totos 60. gradus, quos frigidus aer perpetuo absorbet, debemus motu solidorum nostrorum generare. Hinc etiam vix ullum medicamentum ad morbos chronicos potentius, quam motus validus in calceis ferratis super glaciem. Verum frigoris effectus sunt ut aeris adplicationes. Vulgi error est, flabella aerem refrigerare movendo. Ventus enim, quem follis metallicus excitat, nullum ad thermoscopium frigus generat. Sed haec causa est adparentis refrigerationis. Sanguis vivi hominis semper calidior est aere, in quo vivit, neque potest aer ad eum gradum caloris pervenire, qui sanguinis est, quin prius exstinguamur. Qui in officinis ferraris laborant, & qui saccharum in pileos formatum excoquant, aerem calidissimum hauriunt, & post brevem patientiam decedere coguntur statione, atque in lectulo requiescere: tunc refecti ad operam redeunt: & nisi ex aere aestuoso subinde recederent, caderent mortuorum similes, atque celerrime putrescerent. Ergo atmosphaera, quae nos cingit, & perspiratione nostra plena est aeris calorem excedit: hanc ventus perpetuo aufert, & reddit aerem atmosphaera frigidior; hinc stante vento frigus percipimus, etsi aer motus nihilo frigidior sit quiescente.

Voracitas) Humores densati adteruntur ad vasa densissima. Sed calor ab adritu generatus est, ut densitas corporis adtriti, ergo in frigore major calor, perspiratio maxima. Hinc & sudor continuo novus, novusque sudor exceptit, quem aer avertit, maxima humorum copia destruitur, ut corpus intra paucas horas exhauriatur, & sanguinis ad cerebrum, & cerebellum pressio interrumpatur, neque suppetat continuus densi sanguinis influxus &c. Ergo, si homini per gelidum aerem corpus moventi humidos cibos, aut liquores spirituosos obtuleris, linquetur animo: si atrum panem cum lardo salito, fumoque indurato dederis, cum ex duro cibo optime valebit. Nam viscerum fortem actionem excipiet durum alimentum, & aliquid novi chyli perpetuo ad sanguinem addetur. Hinc in **DIACLIS** epistola ad **R. ANTONIUM** antiquissimus aphorismus est: quo majus frigus, eo copiosorem cibum dare oportet, & pauciorum, & meraciorem potum. Quo major calor, eo pauciorum cibum, potum vero uberiorem, sed magis dilutum.

Torpor] Quando subitum frigus hominem quiescentem opprimit, sensens oritur ingratus: sed si idem diutius frigus toleraverit, somnolentia adeo grata obruitur, ut tantam suavitatem vita redimere velles. Si indulseris his frenibus, captus es, & cerebrum, quod nunc quiescere coepit, quiescet penitus, & placidissima mors somnum excipiet.

Scorbutus] Formidabilis ille morbus regionum septentrionalium.

Dolor) Nulla historia medica pulchrius haec docet, quam rudia illa diaria Batavorum, qui hyemem in Spitzbergia tolerarunt: & mala sua descripserunt; plerisque enim inclementia frigoris occidit: rigescebant artus, & immaniter dolebant, & mors finem faciebat malorum. (1732. Struxerant sibi casam ligneam, focum in casu accenderant; sed cum jam vera vis frigoris ingruisset, neque calefacere se potuerunt, neque pene movere, sed torpidi in lectis manserunt; artus contracti dolebant miseris ex scorbuto, & interibant ex ordine: qui diarium scribebat, ultimus superstitem, scribit in fine libri, Omnes focii mei perierunt misere, & ego, qui scribo, exitum vitae propinquum exspecto. Altero vere naves Butavae advenerunt, & nihil invenerunt, nisi cadavera sodalium.

§. D C C X L V I I I.

Laxat] Hannibali tepentes Bajae, & Capraenae deliciae id fuerunt, quod Canae Romanis; adduxerat exercitum heroum, & calorum turbam reduxit.

Peripneumoniae] Quando aer humidus corpori humano diutius applicatur, flaccescunt omnia, & emoriuntur etiam plantae quaelibet eo celerius, quo diutius humidi aeris vires passae fuerint.

Tusses] Aer omni momento temporis siccus pulmones subit: sed idem quando efflatur, humidus est: hoc halituosum averrit atmosphaera, qua ambimur. Quando vero aer ipse nebulosus, & humidus est, desinit recipere vaporem humidum de pulmone, & ipse pulmonem humectat, ergo humectans anima in pulmone manet, tunc lenius quasi sub aquis mergimur, & tussis oboritur, qua serosum humorem de pulmonibus expellere conamur. Hinc tusses, & alvi fluxus flantibus austris dominantur, quod post HIPPOCRATEM MALPIGHIUS observavit.

Purrefactio] Nihil potentius partes animalium destruit, quam humiditas cum calore conjunctim applicata. Docet id solutio, cornu cervi in vapore tepido suspensi. In aere 40. vel 50. gradibus calente, & humido simul ac nebuloso, suspende carnem suillam, post viginti quatuor horas putridam reperies, quae in eodem calore, sed sicco aere intra triduum demum non putrida, sed rancida facta fuisset. Hinc HIPPOCRATES morbos epidemicos, & pestem ipsam deducit ab aere nebuloso, calido, humido. Si vero cum humiditate aer frigidus fuerit, tunc adfectus catarrhales dominantur.

§. DCCXLIX.

§. D C C X L I X.

Eadem] Exsiccat, & humidum omne de corpore adtrahit.

§. D C C L.

Gravis) Hujusmodi aer, & internae, & externae superficiei corporis humani robur addit adplicatus: & vasa omnia firmitiora efficit. Robur enim est vis, qua fibrae elongationi resistunt: hanc ipsae aer fieri impedit, violentius adpressus. Deinde idem aer, quo ponderosior est, eo valentius vasa comprimit; & redit arctiora, & vires parietum contra fluida intus contenta auget, auget adeo adtritum, & calorem: ergo eo rectius valemus, quo aer ponderosior fuerit. Hinc etiam fit, ut facillime incalescant operari, qui in subterraneis cuniculis, in aere alioquin frigido operam collocarunt. Vulgo solent aerem pluvio tempore gravem dicere. Verum tunc certe gravissimus est, quando serenissimus, maxime in diurna coeli serenitate. Quando gravissimus redditur, poterit ultimo circulationem sanguinis per pulmones supprimere, dum pulmonem majori pondere dilatat, magis ad pleuram adprimit, majorem partem pulmonis replet, minorem adeo sanguini relinquit. Sed hae noxae rarae sunt. Neque ab hac aucta gravitate mors sequitur unquam, & sani homines eo melius habent, quo gravior est. A media enim aeris gravitate, qua in mercurio pollices mercurii 28. sustinet, & respondet altitudini 340256. pedum aeris non facile altius adscendit, quam partem ponderis sui vigesimam octavam, quae mercurium cogit per pollicem adscendere: & hanc diversitatem facile toleramus. Asthmatici soli aerem graviolem molestum habent: quamprimum enim ventus ex boreali regione flat, & argentum vivum in barometro adscendit, paroxysmus ipsis ingruit.

§. D C C L I.

Levis] Longe magis noxius est. Animalia facile ferunt tantum in aeris pondere incrementum, ut argentum vivum tribus unciis adscendat, uti constat per experimenta, quae BOYLEUS machina sua fecit, qua aer comprimitur. Verum si pondus aeris ita minueris, ut argentum vivum per tres, quatuorve uncias descendat, jam omnia animalia vitam agunt: & si sextam partem ponderis sustuleris, pereunt: ut manifestum fit, aeris pondus auctum vix nocere, diminutum plurimum. In ea enim aeris conditione humores minus premuntur, & rarefcunt, & vasa expanduntur. Huic expansioni aer resistebat, sed aeris vis nunc diminuta est, superest ut, vasa dilatentur. Ergo arteriae secundi generis adeo latae fiunt, ut primi generis liquida recipiant, & sanguis in aliena vasa transit, uti in cute solet,

solet, quam violentius luximus, ut ab adplicata cucurbita. Inde error loci, & inflammationes, & malorum infinita vis. Ita in animalibus, vacuo Boyleano inclusis, tumor inmanis, & quasi universalis totius corporis fugillatio.

Fibris pulmonicis] Pulmo animali viventi major est, quam foret, si aer atmosphaericus in cavitatem thoracis venisset: quoties enim id fit, continuo pulmo minor redditur. Ergo fibrae mesochondriacae pulmonis perpetuo in statu violento sunt: & conantur, ut minores fiant. Hanc contractionem aer impedit, qui intus pulmones expandit. Tolle nunc de viribus aeris, augebis utique vires contractiles pulmonis. Ergo quando pondus aeris minuitur, non valet idem pulmonem expandere ad legitimam diametrum, amisit enim de viribus suis, quae in fibris pulmonis integrae manserunt. Hinc anhelatio in aere leviori, & difficilis inspiratio, & asthma, contrarium asthma dicto ad DCCL. quod in aere humido augetur. Hujus etiam generis sunt phaenomena animalium, quae in vacuo BOYLEANO moriuntur: anhelant enim, anguntur miserrime, & pereunt.

Densi, vari) Nam densitas aequalis est ponderi, adeoque pondus autem densitatis incrementa, minutum decremента exprimit.

§. DCCLII.

Coelum) Ita aerem vocamus, cum aethere, & corporibus coelestibus omnibus, quae perpendiculariter dato loco incumbunt. Huc ergo pertinent latitudinis gradus, & longitudinis.

Tempestas) Solis accessio, & recessio, quum viginti duorum graduum intervallo nobis propior fiat, & in eadem distantia longius a nobis recedat,

Solum) Pars superficiei telluris, quam quisque inhabitat. Id potest arenosum esse, aut aquosum, aut bituminosum, aut metallicum.

Mare) Collectio aquae salsae, in qua omnia, quae mare continet, & oriuntur, & occidunt. Mare tamen non solam aquam continet, aut salem marinum solum, sed bituminosum aliquid, & amarum, quod ILL. MARSILIUS manifestum fecit, intolerabile, quod destillatione abigi non potest, sed in ipsum alembicum cum ingratisimo suo foetore ascendit. Et praeterea sepelit animalia, & majora, & numerosiora, quam terrena illa, piscium enormia corpora, & homines, quorum immensa vis a 6000. annis in oceano contabuit. Hinc mare alterne regiones adluens, & deferens, eas totas insalubres reddit; cum in summo apice recessioni enormis fracedo in ea aqua oriatur, quae in fossis terrae a recedente mare relicta est. Inde factum, ut Britanni Flandriam coemeterium suum vocent. Omne ergo mare suspectum est.

Montes] Loca telluris eminentissima, in quibus aer exhalationibus minus

minus inquinatur. Hinc HELMONTIUS ita verba illa DAVIDIS exponit, quis habitabit in monte Domini? ut significet, quis saluberrime habitabit.

Lacus] Stagna majora aquae dulcis.

Paludes] Stagna minora quam lacus.

Flumina) Aquae decurrentes. Horum naturam EDMUNDUS HALLEIUS per artificiosa experimenta primus aperuit, quibus constitit, quantum aquae intra datum tempus, dato gradu caloris, aut ex aqua dulci, aut ex salsa exhalet, eo minus nempe exhalare, quo quaeque aqua copiosius sale impraegnata est. Per ea experimenta demonstravit, aquam ex mari, & ex lacubus, stagnisque, & fluviis elevari, & nocturno frigore reperi per superficiem telluris, atque montibus refrigeratis occurrere: ad eos, aere frigidiores, aquam in nebulas, roremque condensari, quae humi cadant, & porro juxta cacuminum declivia destillent, & hanc fluminum originem esse. Nullus enim fluvius sursum scaturit, nisi altioremontem super se positum habeat. Hinc in planissima Batavia nulli fontes salientes reperiuntur. Ex iisdem experimentis explicatur nondum satis intellecta mens Salomonis, cur nempe omnia flumina in mare decurrant, neque ideo mare augeatur? Nempe quantum aquae influit, tantum exhalat, & vel imbrum specie delabitur, quales in toto terrarum orbe cadunt, vel ad montium cacumina colligitur, & flumina efficit cursu exercita, electo puriores aquas, defluentis de montibus amnis. Verum haec exhalatio in qualibet parte telluris, in omni tempestate anni alia est, & cum his mutationibus ipsa mutatur atmosphaera.

Vapores) Humidi, aquei: exhalationem vero vocamus vaporem ficcum, qualis sulfuris accensi est, aut putrescentis animalis, aliae autem sunt in qualibet parte telluris.

Meteora) Ita vocamus mutationes, quae in coelo sublunari apparent. Meteora haecenus cognita alia referuntur ad inflammabilia, quale fulgur est, & fulmen, & tonitru, ignis fatuus, ignes vagi, quos antepestilentias frequentes ajunt apparere, jaculares, & Jovis, si dantur omnino, lapides, Et Fulmina quidem generantur ex calore, & humiditate conjunctis, atque ideo facile dies aestuosos sequuntur. Alia Meteora ad aquosa pertinent, ros, pulvis, grando, nix.

Admisti] Haec res nondum pro dignitate exculta fuit. Multum huc tellus confert; nam quo propius ad solem accedimus, eo majus frigus est. In montibus altissimis Peruvianis, candidissima nix cacumina undique regit, quam nulli aestivi solis radiis unquam liquefaciunt, dum ad pedes eorundem montium in vallibus aestus intollerabilis habitat. Calor enim aeris nostri magis a reflexione est, quam a solis radiis. Incrementum equidem, quando solis radii verticaliter feruntur, & decrescit idem, quando radii oblique incidunt. Sed in eodem tamen climate non idem ubique aeris calor est. Quando enim altissimi montes regioni ad boream

ponuntur, fervebit aestu: & si iidem ad austrum jacuerint, frigus feret perpetuum. Hinc diversae illae aeris in corpora humana efficaciae, quae non a quatuor qualitatibus, sed a corpusculis pendent, quae per aerem obvolitant. Ante triennium demonstravi, aerem non solum corpus illud elasticum esse BOYLEO notum, sed chaos esse, in quo suspensa haerent omnium rerum confusa elementa, quae fermentatione, aut putrefactione, aut igne resoluta fuerunt, ipsius etiam auri, argentive, quatenus haec metalla volatilia redduntur, sive quod idem est, in aerem recipiuntur. Neque aeris effectus determinari possunt, nisi sciveris, quaenam quovis determinato anni tempore in patria tua effluvia dominantur.

§. D C C L I I I.

Motu) Ventus aeris motus est. Pulcherrima de ventis habet Divus VERULAMIUS, & alia addidit MARIOTE: sed aliquid superest, & neutro intellectum, quod neque a calore, neque a pondere, neque a frigore, neque ab exhalationibus pendent. Motus autem aeris duorum generum sunt. Vel enim perpetuo iidem manant, quales inter Tropicos reperiuntur, statii, & periodici: ibi sol, mane ascendens, aerem proximam ante se urget, ut ventus solem antecedit, & vicissim vesperi, quando sol recessit, ventus contrarius priori nascitur, quia aer spatium a solis diurno aestu calefactum occupat, adeoque eurus omni mane, & vesperi ventus ex occidente spirat. Reliquorum variabilium ventorum infinitae causae esse possunt. Sed venti in corpus humanum agunt 1. motu, dum pulmoni vim majorem adplicant: nam aer sudus, & stagnans agit in pulmones solo pondere: sed quanto idem duplicato motu in pulmones incumbit, tunc pulmo ab aere eo plus virium patitur, quo velocius movetur, ut homo, qui adverso pectore procellam excipit, vix expirare possit, licet commode inspiret. Ventorum moderatiores saluberrimi sunt, eadem enim efficiunt, quae aer ponderosus: hinc animalia respirantia melius vigent, dum modico vento adflantur, anhelatura, quamprimum aer omnino quiescit. 2. Aer removet a nobis atmosphaeram nostram calentem, & auram adfert frigidioram. Cum vero haec frigidior sit, quam illae, quae nos deferunt, exhalationes, fit ut ventus corpora nostra refrigeret. Ventus autem ad summam vehementiam auctus, eadem, quae aer nimis gravis, vitia facit.

Chorographia) Ii medici suaviter delirant, qui in libris pronuntiant, quinam euri effectus sit, quid boreas faciat: & boream quidem siccum, frigidumque vocant, austrum calidum humidum &c. Parum certe est universalis, quae subest, veritatis: qui vero vires ventorum explicare voluerit, eum meminisse oportet, ventum ea ad nos adferre, quae in ea regione sunt, unde spirat. Pro diversitate harum viciniarum, etiam yis venti alia erit. Qui vim ventorum nosse cupit, quam Leidae exer-

cent, is debet chorographiam sive mappam geographicam fidelissimam sibi comparare, Leidamque in centro ponere, tunc ope acus magneticæ ordinare circa Leidam regiones vicinas, ventorumque ex omni ambitu directiones. Si mare a septentrione fuerit, in ea urbe certe longe alia boreae indoles erit, quam si maris vice longus terrarum tractus ad boream poneretur: illic enim marina effluvia, hic siccitatem meram advehet. Demonstravi alibi, ventos etiam crassiora corpora a decem, & viginti milliarium distantia adtulisse. Subsolanus Belgis salubris, Britannis pessimus est. MARIOTTUS tabulas nobis reliquit, in quibus calculum posuit celeritatis, quæ in vento summa esse potest, spatii, quod intradatum tempus percurrit, durationis, quæ longissima in procelloso vento observata est. Sed KRUQUIUS inprimis pulcherrimas observationes reliquit, batavus homo, ultimum opus, si quis eas continuaret; is expertus est, quomodo aer de loco in locum migret, & quo tempore. Si decem homines MARIOTTI aut KRUQUII similes in Europa viverent, & per 18. annos observationes de ventis consignarent, tunc certius aliquid de ventorum natura disceremus. His usus, si notaverim, quamdiu ventus aliquis constanter flaverit, & quam celeritate, & addiderim, eum ventum a mari adspirare, aut a montana regione, tum vero incipiam nosse, quid ille datus ventus sit effecturus. Quæ HIPPOCRATES, græcus homo, de etesiis scripsit, quæ de euro, aut austri potentia, ea in Batavia diversissimo modo se habent. Boreas equidem nunquam austro similis esse potest, & ille fere semper frigidus, auster autem tepidus, & subhumidus est. Sed si aliquando tamen boreas supra ingentes paludes spiraverit, alius erit a borea, qui super siccam lateque patentem terram advenit. Subsolanus nobis æstate calidissimus est: omnes enim venti diuturniores adferunt in regionem, quam adeunt, eum statum aeris, qui fuit in ea regione, unde adveniunt. Quando boreas per duos menses spiravit, eo toto tempore coelum boreale ad nos delatum est, adeoque sicca, & frigida tempestas erit. Autumnali vero tempore auster advehit humidos vapores, & tempestas mutatur in pluviosam. Ergo medicus in ea urbe, in qua praxin exercet, chorographiam tenere debet regionis suæ. HIPPOCRATES Illyricis consilium petentibus in peste metu, nullum dedit, Græcos vero monuit, ut ventos ab Illyrico adspirantes corrigerent. Pests, ajebat, est retro hos montes: hos montes hæc portæ dividunt: per eas hoc certo tempore etesiae spirabunt, ergo eo tempore pestilentialem ventum ab Illyria adferent ad Græciam. Ergo obturate eas portas. Hoc consilio Græcos a peste præservavit, neque aliam causam divinatio habuit, nisi peritiam itinerum, quæ in Græcia ventis constantiora sunt. Si tunc HIPPOCRATES Græcos esset consolatus atque nocituras negasset Etesias, adeo ex salubritate sua celebres, perdidisset patriam. Facile vero intelligitur de ventis, qui stato diei vel anni tempore recurrunt, faciliorem prædictionem esse, quam de vagis illis

illis ventis, qui nulla tempora observant. Etesiae anniversarii sunt; de iis ergo HIPPOCRATES audacter dicere potuit, hos morbos spirantibus Etesis leviores futuros &c. Ejus certe libellus de aere, aquis, & locis masculis observationibus plenissimus honestissimo in quavis bibliotheca loco dignus est.

§. DCCLVI.

Nimia) Supponendum est hominem sanissimum esse, & saluberrimo cibo uti, & sola copia peccare.

Clauduntur] Qui ventriculum nimia ciborum copia repleverunt, isti cibi per ventriculum iter aegre perficient; hoc primus HIPPOCRATES, deinde HELMONTIUS docuit, & nunc per experimenta certissimum factum est. Nempe in plenissimo ventriculo arteriae gastricae a cibo comprimuntur, & sanguis in iis detinetur, & nascitur ventriculi paralytis. Imo, qui frigidam, purissimam, nimia copia, intra breve tempus absorbit avidior, illi potus intra ventriculum stagnabit, quia ora ventriculi eo firmitus clauduntur, quo magis distenditur. Heliuones vinum, quod subito ingurgitaverunt, non emingunt, sed revomunt, &, si retineant, apoplectici pereunt, quod adeo multis exemplis VVEPFERUS confirmavit. Fibrae enim, quibus vis infertur, reagunt, & ventriculum claudunt.

Prohibentur) Cibi majori copia ingesti non mutantur, sed rarefcunt, tumidi, neque magis promoventur, quam si vesicam suillam pasta farinacea offarctam contunderes; neque enim ea vi contenta vesicae mutares, quae insignissime comminuerentur, si dimidia tantum vesica repleta esset.

Perversus] Cibi ventriculo recepti necessario in loco calido rarefcunt, & intumescunt, non aucta substantia, sed ab elastica substantia aeris cibi permista, & rarefacta. Verum rarefacta corpora eadem ratione agunt, qua mole aucta agerent: ergo cibus rarefactus perinde distendet ventriculum, ut etiam oculis tuis post prandium turgere videas, & ventriculus crepare visus sit in sue, vorace animale, quae post famem se subito cibus obpleverat, & humi procumbens subito exspiraverat.

Dyspnoea) Quia diaphragma a tumente ventriculo sursum pellitur, & spacium ad pulmonis dilatationem necessarium minuitur.

Circuitus] Aorta comprimitur, & sanguis per eam aegrius descendit, hinc majori copia ad cerebrum premitur. Inde a repletionem nimia vertigo, somnus, imo apoplexia.

Cruditas] Cibi vel naturam suam retinent, vel aliam, quam chyli, naturam induuntur.

Cardialgia] Dolor in superiori ore ventriculi, nervosissimo illo, & distento.

Ventus) Quando homo sanus est. Pueri vix epulis adsunt, quin vomant: cum enim buotidie eandem, eamque modicam cibi copiam adsument, necessario vomunt, quamprimum praeter morem se repleverunt.

Putrefactio] Ciborum in ventriculo nimis diu retentorum: quales post 24. horas per diarrhoeam ejicimus, nihil inde chyli nasci; sed imprimis paralytis ventriculi inde fit. Nam uti ab urina justo diutius retenta aliquando incontinentia lotii fit, ut urina per totam porro vitam non aliter nisi fortissimo nixu diaphragmatis, & muscutorum abdominalium dimittatur: ita ventriculo eadem mala accidunt. Dantur enim homines, qui post unam crapulam tota vita sua languent, destructa ventriculi actione, ita extensi, ut fibrae vim contractilem pene totam amiserint, & diuturnae lienteriae secutae sint. Quando enim ventriculus per 24. horas turgidus fuit, eo tempore venae nihil ab arteriis sanguinis acceperunt, & latera pene concreverunt, nervi autem compressi fere deleti sunt. Hinc post epulas abstinentia utilissima, qua fit, ut fibrae tonum suum per quietem recuperare possint.

§. D C C L V I I.

Inedia] Inedia sola per se ipsam nullum morbum facit, cum mera privatio sit. Sed interim, dum cibis abstinemus, vita pergit operari; & vita motus perpetuus est: hinc mutat humores, solidaque adterit, subtiliora liquida per exhalationem exprimit, & se ipsam consumit. Hi ergo morbi vitae debentur, non inediae. Eo magis autem nocet inedia, si cum motu corporis valido conjuncta fuerit: qui quiescunt, inediam diu tolerant.

Dissipant] Per SANCTORII perspirationem, maxime octo circiter ab ultimo pastu horis.

Rodentia) Haec TSCHIRNHAUSII egregia observatio est, in *l. de medicina mentis, & corporis*, inediam nempe putredinem in toto corpore facere; hinc urina faetet, & sudor, & anima, etiam iis, quibus alioquin innocens fuerat, gravissima redditur, & eo olidior, quo jejunium diutius toleratum est.

Biliofa] Bilis, & succus Pancreaticus ascendunt in ventriculum, ibi conquassantur, & qui diu jejunant, biliosi fiunt, secundum HIPPOCRATICAM phrasin; non ideo, quod majori copia bilis generetur; verum ideo quod ascendat, & manifesta fiat.

Appetitus] Amara omnia appetitum suscitant, hinc & bile plenus ventriculus eadem ratione appetit, ac si totus absinthio, & minori centauryo plenus esset.

Prostratio) Ventriculus ab acri bile tamdiu vellicatur, donec ultimo insensibilis redditus desinat adfici.

Sitis) Quia subtilissima dissipantur, neque praesto adest humor, qui nervos repleat.

Borborygmi] Famelicis ventres obmurmurant; & *PLAUTI* nequam fervulus querebatur, sibi in ventre horologium esse, quo absque solis umbra dirigatur, & audire possint, qui negaverint.

Cumulus) Bilis in nobis sanis magna copia generatur, uti vel sola amplitudo hepatis demonstrat: quando vero in intestina descendit, & retinetur, acris ibi ex mora fit, & tenuior. Quando eadem in vasa mesenterica resorbetur, etiam eo motu acrior fit, & redit secundo in intestina, atque accumulatur. Quando nunc homo panem edit, habet bilis in quod vires exerceat, panemque mutat, & dum mutat, mutatur ipsa. Quando vero sola manet, erodit utique ventriculum, & vomitum movet: ipse in *ME* expertus sum, cum aliquando ob urgentes labores cibum non liceret adsumere: inde vero, plane insolitum *MIHI* contigit, ut nactus nidorosi *MIHI* continuo adscenderent, cumque rutibus in ore amaror.

Vomitus) Post magnam inedia a minimo motu facillime vomitus sequitur. Ventriculus vacuus flaccidus non resistit, intestina vero pergunt agere, & in laxum non resistantem ventriculum bilem, succumque pancreaticum agunt, qui irritando vomitum faciunt.

Pervigilium) Nemo dormit famelicus.

Epilepsiae] Homines epileptici relapsus patiuntur morbi, si famem toleraverint.

Furiose] Animalia fame enecta ante mortem in furorem aguntur.

Mors) eaque velociter sequitur, quando non cibo solo, sed potu etiam prohibentur animalia. In his vero animalibus, quae fame enecuerat, intestina nitidissima reperit *FRANCISCUS REDUS*, cujus hae observationes sunt. Ergo, ut corpus repurgetur, prodest subinde jejunare, ita cum simul aqua bibitur, viscera purissima fiunt, & hic mos plurimum ad longaevitatem confert. De anachoretis *Asiaticis VERULAMII* est observatio.

§. D C C L V I I I.

Pejora) Medici cum mala viderent, quae a nimia repletionem oriuntur, consilium ceperunt mala omnia sanandi per abstinentiam: verum malos eventus experti destiterunt. Facile est nimiam repletionem exinanire; lanceola praesto est, & clyster, & purgatio, quibus humores subducuntur. Sed longe difficilius est, corpus tapidum, & extenuatum replere. Recte adeo *HIPPOCRATES*, magis in stricta diaeta peccati, quam in nimia repletionem.

§. D C C L X.

Muriatica] Haec operatur 1. ex natura salis marini. 2. quatenus sal marinus non purus est, sed corruptus, qui, dum carnes salit, ipse ineptus factus

factus est, ut voce utar SALVATORIS. Non ignoro, salem marinum ex urina post diurnas putredines educi posse; verum idem utcumque mutatus est, neque omnes salis marini proprietates retinuit.

Simplex) Quae ex fructibus horacis immaturis est, aut ex pane fecalino per trihorium in ventriculo retento: aut *fermentata*, qualis in pasta, in musto, & in omni fermentato liquore reperitur.

Sitim) Non ob siccitatem; nam aqua marina epota sitim adeo non solatur, ut irriteret.

Rigiditatem] Exemplum in Leidensi puella fuit, quae pica quadam laboraverat, & salem assiduo vorabat integris manipulis, neque unquam absque penu salis in pera erat. Haec viva, & spirans fere in statuam inflexilem obrigit. Historia legitur in ACTIS SOCIETATIS BRITANNICAE. Ita conditae carnes rigidissimae fiunt, ut vix dentibus subigas, & nimia copia salis addita omnino inutiles redduntur; sal enim cum carnibus in lapideam fere naturam abit.

Serofis) Serum inprimis adficit, & reliquos humores aquosos, nam sal marinus in aqua facilius, in oleo difficillime solvitur. Humores vero ex natura sua dissolvit, non coagulat, adeoque bonam, & naturalem sanguinis crassitiem diluit.

Nutritionem] Sanguis sani hominis adeo blandus est, ut instillatus oculo, parti acutissime sentienti, nullum sensum imprimat sui. Sal vero marinus oculo inspersus intolerabilem dolorem facit: corpori adeo nostro inutilis, nisi iners fuerit, & motu egeat aucto: adeo vero adhaeret elementis nostris, ut vix ullo modo educi queat. Lardum falsum muriaticam acrimoniam non deponit, etiam si per plures horas cum aqua coxeris.

Scorbutum] Classarii nostri, multo quam Angli parciores hardeo solo, & piscibus falsis vivunt, aeremque marinum spirant. Ab hac diaeta in diurnis itineribus immobiles fiunt, fere uti cadavera, & noctes, diesque in lecto jacere coguntur, prae crudelitate dolorum, gingivaeque miseris spirantibus putrescunt, & excidunt. Quamprimum ad insulam appellant, tunc qui sani sunt, aegros sodales in-asseribus in terram efferunt, & fructus colligunt acidos, acetosam, atque virentes herbas, inde juscula parant, ea condiunt succo limonum, quae proprio nomine vocant *puspas*: hoc solo victu aegri intra tres aut quatuor dies sanantur, viresque recuperant.

Destructionem] Humores, qui sale marino praegnant, propulsi in vasa haec magis adficiunt, quam si sine sale forent: adeoque, qui vel tribus mensibus solis falfamentis vixerint, iis gingivae inflammantur, & tertiae sanguinem stillant, & totum corpus maculis coeruleis variegatur.

Acerba) Quando acidum terram admistram secum fert, partes corporis fortiores reddit: quod experimur, si pomum cydonium immaturum manducaverimus, mox enim totum os crassius fit, & durius, & humo-

rum

rum adfluxus sistitur, & coagulantur iidem. Haec acerba indoles est in fructibus horaeis immaturis, uvisque inprimis noxia omnino, ut ipsi porci grandinon, & scrophulosi fiant, quando immaturis fructibus se saturaverunt.

Coagulat] Austeram enim sanguinem, & serum sanguinis admiscunt.

Acidam] Nullum in homine sano acidum est, & toti indoli nostro humorum haec acrimonia repugnat.

Lancinantes) Quasi partes lanceola discinderentur: hinc tormina gallice vocantur *des tranchées*.

Pallorem] Acida semper faciunt: si puer acetum ore hauserit, ei continuo labia palleant, & in univsum omnes homines pallent, quibus ob deficientes vires chylus acescit.

Scabiem) Ejus speciei, quae ex malo victu oritur: unde particulae crassiores ad cutem deductae perspirationem impediunt. Pueri rustici, qui poma a ventis decussa devorant, plerumque sub autumnum scabie infestantur, diversissima ab ea scabie, quam in navibus salsamentorum nimius usus facit.

Acetis] Haec quidem sanguinem diluunt.

Rheuma) Acidum penetrabilitate sua aquae parum cedit. Hinc, quando copiosus adsumitur, & naturam nostram superat, atque servata indole acida in sanguinem venit arthritides facit, & minima vasa, quibus impactum haeret, tota destruit, exemplum est in hominibus, qui vinum rhenanum recens cum tartaro suo potant, donec naturam vincat, & acidum ipsum purum in articulos veniat. Non ideo aio, omnem a vinolentia podagram oriri, sed esse hanc unam ex causis podagram facientibus, eamque graviorem, quam illa a spiritibus orta levior.

§. D C C L X I.

Acribus) Acre in aromate aliquid exilissimum est ignisque similissimum. In libra integra piperis vix aliquot grana acria sunt. Ablato enim oleo essentiali, reliquum omne iners est. Sed de eo oleo essentiali aufert spiritum rectorem, etiam hujus olei reliquum iners erit. Ergo, quod in aromatibus acre, id spiritus est. Non mirum adeo, cum hoc acre adeo subtile sit, posse nervos nostros subire; destructurum omnia, & adusturum, si nostros spiritus superaverit. Quando homo sanissimus cinnamoni m. edit, & hoc more per aliquot annos utitur, ne unicum dentem retinebit, omnes enim perinde, uti ab igne, & etiam violentius adurentur: exempla visa sunt in aromatariis. Pulcherrime SENDIVOGLIUS, chymici in archaeo quaesiverunt principia corporis, quando vero is archaeus, quem adsumimus, nostro validior est, tunc occidimur ambusti, Aroma enim perinde, uti ignis, exigua copia medicamenti loco est, confertim
usur.

usurpatum destruit. D. ΒΟΝΤΕΚΟΕ aromata tanquam Deorum manus laudat, sed iisdem certe medicamentis multos occidit mortales. Nulla enim inflammatio certius lethalis est, quam ea, quae ab oleo stillatio aromatum oritur.

Ardorem] Ipse expertus sum in ventriculo intolerabilem vehementiam hujus ignis.

Febrim] Homo hydropicus, ab omni certe febre remotissimus, si piper contusum cum vino majuscula copia devoraverit, poterit non modica febre per aliquod horas laborare.

Cardialgiam] In ore sinistro ventriculi, quod vetere καρδιαν dixerunt. Soda quidem etiam alias causas habet. Quando debilior homo panem secalinum edit, majori copia, & aquam superbibit, ructus post aliquot horas acidissimos edet, fere ad modum aquae stygiae rodentes: qui vero piper ingurgitavit, pejus, omnino malum patietur, & prior ille solis oculis cancrorum facile se sanabit, iste vero nihil nisi a magna copia aquae sperare potest.

Ructus) Quia acre illud, quod carminatiorem vocant, partes solidas ita stimulat, ut se contrahant, aeremque elidunt.

Vomitum] Veteres inter praesentiora emetica raphanum rusticanum acerrimum retulerunt. Ego vero ad eam classem audeo omnia aromata referre, si majori copia adsumta fuerint: nam si copia moderata adsumseris, eadem sistunt vomitum.

Contracturas) Nervi rigescunt, & eorum vaginae obstruuntur. In manibus, & pedibus imprimis haec mala observamus fieri, quando musculi flexores convulsi praevalent, & extensores paralytici cedunt antagonistis.

§. D C C L X I I.

Fermentatione) Cerevisia vina, succi vegetabilium fermentati, vi caloris non majoris, quam sanguinis humani est purum alcohol exhibent. De hoc alcohole LULLIUS dixit tanquam de antiquo invento. Ex vegetabilibus, inquit, educo corpus, quod ad ignem absque residuo avolat: dudumque de spiritu ex vino, & frumento ante BASILIUM VALENTINUM, & PARACELSUM scripserunt Chemici antiqui. Ab hoc autem alcohole temulentia unice nascitur, & quo quisque liquor plus possidet alcoholis, eo inebriat potentius. Vinum & cerevisia, si meracissima fuerint, soli aeri exposita omnem vim inebriandi amittent, vix pondere interim mutata, nihilque porro possunt, quam stranguriam, & tormina movere.

Temulentia] Homo sobriae vitae adsuetus plus vini bibit, quam solebat; is hilarior fiet, & ingenium percipet acutius, & promptius judicium, & facundior erit. Si idem plus biberit, delirare incipiet, & titubare,

& tandem perfecte delirabit. Ita in fabula BACCHUS omnes in bestias convertit: cum quibus in eadem nave erat. Inde Paralyticus fiet, & pedum, brachiorumve officio destituetur: tandem somnus malorum finem faciet, nisi nimia crapula apoplexiam, & ipsam mortem acciverit.

Siccam] Oriuntur morbi variæ cerebri, & nervosi generis.

Potus] *Ut inflent hesterno venas ut semper Iacobo*: ni fecerint, titubat caput, & genua tremunt: Cerebrum enim a perpetuo usu inebriantium debilitatur. Hac fallacia hi potus, sirenum simillimi, homines ad mortem usque seducunt.

Flatus] Homines ebriofii altero mane frigidam pituitam, & flatus gelidiusculos in ventriculo percipiunt: monituros, ut novo hastu se reco-cillent. Qui in Asia opii usui adsueta sunt, si aliquando facultas desit amabilis veneni, incidunt in aegrimoniam adeo tristem, & fastidiosam, ut omnia pro opio vendere parati sint, aut ad laqueum denique recurrere. Si tunc opii loco vinum creticum nigrum meracissimum præsto fuerit, poterit ipsis pro opio esse. Haec PROSPER ALPINUS ipse vidit.

Hydropes] Et postremo ipsa mors.

§. DCCLXIII.

Clausis] Nemo credit, quam exiguus vapor hominem enecare possit. Quando succus vegetabilis qualiscunque fermentat, in ipso actu explodit particulas maxime actuosas, acidos spiritus, qui gratissime nares feriunt. Hoc est Gas illud HELMONTIANUM, quod non in fermentatis reperitur, sed in itinere ad fermentata. Verum iidem vapores collecti, & uno impetu adtracti, eodem fere, quo adtrahuntur, temporis momento enecant. Si vero copia minor fuerit, apoplexiam faciunt, & si mitius egerint, titubationem. Nihil in orbe terrarum forte vehementius actuosum est, quam illud principium, quod in fermentationis actu de succis vegetabilium se resolvit. Quando mille multi librae in cado sollicitate clausae conservantur, spiraculum vero angustissimum est, & liquor nunc maxime fermentat, intusque spumam agit, si tunc aliquis naribus ad spiraculum admotis vaporem adtraxerit, mortuus cadet absque mora. Hinc omnino insalubres sunt eae cerevisiae, quae ex phiala falliunt, insalubria vina muta, in quibus fermentatio vi suppressa est: nam hi potus, quado in ventriculum pervenerunt, elaterem suum continuo exserunt. In ACTIS ACADEMIAE PARISIENAE exemplum hominis nobilis legitur, qui, cum importunius sitiret, maximam copiam ingessit fortissimae cerevisiae [ale] in lagena inclusae, necdum fermentatae: periit omnibus frustra tentatis, & in cadavere intestina supra fidem flatu distenta adparuerunt, Acre enim fermentabile cerevisiae a calore ventriculi excitatum convulsiones fecerat, quas nulla ars superare potuit.

Tom. V.

N

Fluxes

Plures species acrimoniae hoc loco non trado; cum unice de iis locus sit dicendi, quae cum alimentis admitti possunt.

§. DCCLXIV.

Pondus] Pylorus enim non transmittit, nisi fluida. Si viscosi, quales adsumimus, cibi in intestina venirent, pessime certe nobiscum ageretur. Hinc a prandio quarta, & magis adhuc octava hora ponderis sensus a materie indigesta retenta.

Flatus] Ab aere retento: systema enim intestinorum in sano homine clausum est, quod clysmata demonstrat, saepe ita retenta, ut ne guttula effluat.

Obstructione] Obturat vasa bibula.

Tumorem] Qualis in infantibus est, ortus a lacte, quo pene solo vivunt, & caelo viscoso; vel a cibis tenacioribus, quam ut superari possint a viribus solventibus infantis: tunc paullatim laxantur ventres prominuli, & intestinula flatu turgida, & denique omnia immutata transmittuntur, atque atrophia, & mors ipsa sequuntur, Vitium fere est in bile debili, quae inertem congestam pituitam superare nequit; tunc frictions commendo, quas mane, & vesperi asperis, & calidis linteis ad focum jubeo administrari: ita pulchre convalescunt. Si purgantibus aggressus fueris, pituita iners in aeternum renascetur.

Unitis iterum] Natura cavet sollicite, ne crassi aliquid in vanas, & ad hepar veniret. Sed una particula cibariae massae non viscida est, duae demum se adtrahunt. Una amyli atomus non pastacea est, & transit per cribrum ex tenerrimo linteo factum, cujus minimi pori sunt. Addo nunc particulis floris farinae aquam, qua inter se colligentur, tum vero in amyllum abibunt, ductilem pastam, quae digitis extendi poterit, & usque se trahet continua. Quando ergo duae, pluresve particulae viscidae seorsum in venas lacteas veniunt, deinde in lacteis, aut thoracico ductu, aut cava vena, corde demum dextro, in toto nempe venoso chyli itinere haec viscida elementa uniuntur, quod in vasis venosis facillimum est, tunc verum viscidum orietur, cujus effectus primo in pulmonibus manifestus redditur. Sapienter ergo monet MALPIGHIUS, sanissimum quemque mortalem, si fabis, pisces, aliisque farinaceis nimium utatur, sub ipsas coctionis horas laborare fugaci quadam peripneumonia. [Qui fabarum copiam comedit, hora tertia, ad sextam a pastu asthmate laborat, neque currere potest, quando vero pulmo hoc viscidum superavit iterum libere respirabit, motusque obibit solitos: ex hac observatione manifestum est, viscidum in sanguinem venire posse 1732.]

Glandulas] Viscidi in sanguinem delati effectus sunt strumae glandularum, parotidis primum, & thyroideae, & maxillaris, deinde subaxillarium, & inguinalium: sed maxime mesentericarum, ad quas primas chylus adpellit. Hinc in toto corpore pallor.

Poten-

Potentia) Quae ad corpus humanum adplicata hoc corpus faciunt frigidus quam absque his adsumtis fuisset. Omnia corpora in eodem aere constituta aequae frigida sunt: sive plumae mollissimae fuerint, sive aroma calidissimum, sive alcohol, aut glacies, aut mercurius, aut nix: haec omnia in eodem aere, eundem ad thermometrum ostendunt caloris gradum. Haec ita se habere demonstravi in Chemicis de igne praelectionibus. Verum existunt corpora aliqua, quae calorem in corpore humano vivo augent, ut piper, quod in cadavere nihil agit; hoc ergo piper, etsi ipsum non caleat, dicitur calidum potentia: eadem ratione potentia frigidum dicitur, quod adplicatum corpus potest frigidius reddere, dum nempe causas caloris minuit. Si fervidissimus juvenis octo continuis diebus nihil biberet, nisi calidam, is quidem frigore fere periret, adeoque aqua, quae actu calet, potentia frigida est.

Quiescentibus) Omne pituitosum egregium praestat alimentum hominibus, qui artus exercent; sed idem sedentariis nocebit, alimenta vero tenuia, noxia laborantibus, quiescentibus profunt. Rustico jusculum languorem faciet, a lardo vero salito reficitur. In viro literario horum fiunt contraria.

§. DCCLXV.

Laxat) Apparet in bubulo corio. Quando siccum corium vis flectere, non potes, findetur potius; immerge in oleum fervidum, & macera, tunc huc, illucve agita, reddetur adeo flexibile, ut absque ulla rima in quamcunque figuram fingi possit. Haec etiam oleorum est in corpore humano efficacia, & apto tempore data possunt pro medicamentis esse. Sed idem usu perpetuo proprios morbos facit. Monachi ex religione lardo, & pinguedine animali abstinent, cibosque in oleo frisant, in monachorum adeo conventibus morbos ab oleo reperies, nullibi frequentiores reperies hernias inguinales, vel scrotales.

Obstruit) Tenuissimi liquores corporis humani fere saponacei sunt, non oleosi. Verum aqua non transit per chartam oleo imbutam: neque oleum per chartam aqua madentem. Ergo quando oleum ad partes corporis nostri minutissimas venit, obstruit eas: quod in tenerioribus hominibus valde manifestum est: his enim erysipelas oritur, ubicumque oleum ad cutem adfrictum fuerit.

Urentia) Nihil oleo acrius redditur. Pinguedo vitulina corpus inertissimum est: quando vero ad ignem funditur, aut sartagine amburitur, adeo nigrum fit, & amarum, ut minima copia adsumtum febrem excitet.

Oleosus) Nihil dulcius butyro regens presso, aut oleo amygdalarum optimo: idem tamen, quando a vitae viribus superatum est, rancescit, & nidorosum fit. Quando homo in prandio nimiam butyri copiam ad-

sumsit, neque satis aliis cibi temperatam, post prandium hora quinta vel sexta [octava, nonaque 1732.] ructus amarus, & abominabiles infestus habebit: saporesque percipient horrendos ex amaro corrupto, dum ructus per fauces adscendunt.

Amaros oleosos [Audies homines, qui olea refutabunt, neque volent uti, quod in bilem, uti ajunt, sibi vertantur: norunt enim ructus inde rancidos sibi ascendere. Mala phrasi utuntur; neque enim iis oleosa nocent, quibus bilis valida est: quibus autem bilis iners est, iis oleosa induunt spontaneam rancedinem.

Inflammationes] Obesi inter omnes homines facillime intereunt, neque alii febres periculosiores patiuntur; solvuntur enim in his corporibus ea olea, quae stagnaverant, & calore majori, motu, fotuque fusa amarescunt, solida irritant, neque aliunde pejora mala oriuntur, quam ab oleo hujusmodi, quod ipse olim HIPPOCRATES vidit.

§. DCCLXVI.

Humoribus] Musculus non potest aut laxari, aut contrahi, quin sanguis velocius ad cor dextrum moveatur, aucto vero volumine humorum in pulmonem motorum, necesse est etiam velocitatem augeri: hinc omnis motus musculorum febrem facit, & intra unicum horam minimo motu potest febris excitari nihilo minus acuta, quam vera pestis.

Densitatem] Hominibus, qui currendo morbum sibi arcessunt, vix sanguis mitti potest, si quam maxime vena secta fuerit, adeo densus est, & simillimus Pleuriticis, & concresecet in crassum corium. Imo idem homo, qui a quiete lenem motum orditur, bonum sanguinem emittet, si venam secuerit; idemque crustam pleuriticam post horam in sanguine habebit, si eam horam valido motui impederint. Idem contingit in acuta febre, ubi ex nimio motu sanguis lentus, & viscosus redditur.

Volatilia] Uti gradus caloris sunt, ita acrimoniae, & putredinis gradus. Hinc factor in omni animale, quod fortiter laborat. Sanissimus homo cursu fatigatus lintea sua inficiet croceo, & olente sudore, & qui modicat vita usus, aquam solam sudat: ergo motus humores nostros acres reddit. Idem ipse percepi, cum tota nocte ad herbas quaerendas ambularem, mane vero requievissem, miratus enim vidi lintea mea flavo faetido sodore plena. Equi currentes sudant; si hunc sudorem canis dederis, in pillulas formatum, emittet sursum, & deorsum mirabiles crepitus.

Exusti] Veteres, qui haec verba invenerunt, non verentur explodi. Confer sanguinem humanum de industria ad ignem exsiccatum, cum sanguine hominis ardente febre extincti, reperies utrumque sanguinem spissum, crassum, nigrum, tenacem, fere scissilem. Sanguis in pleuritide, phrenitide, febre ardente, vix fluit, sed adeo densus fit, ut eo momento

mento in solidam naturam coaguletur, quo ex vena missus stannum patinae feriit.

Bilis] Haec sponte in sano homine omnium humorum acerrima, omnium prima pessime alcalescit, & si in eo statu intra venas vel rubras vel lacteas resorbetur, omnia dissolvit, & liquefacit.

Medulla] Pinguedo consumitur per nimium motum. Pinguissimi equi, leniter per decendium in motum deducti, toti instar sceleti macilenti fiunt, & in maectatis fatigatis bobus non medullam in ossibus reperimus, sed tenuem rubentem, & aquosum ichorem: omnis enim pinguedo dissoluta, & sanguini adfusa est. Experimentum *DUVERNEYI* est, Lutetiae factum, quo boves aguntur a locis tridui itinere distantibus, si tunc eos, quamprimum Parisios redditi sunt, maectavaris, flavum ichorem pro medulla habent: si quieverint in suburbiis, & pabulo refecti fuerint, post aliquot dies medullam iterum in ossibus habent.

Defatigatio] Eo oleo consumto, quo ligamenta lubricantur.

Mors] Motus animalis intra unicum horam facit, quod saevissima pestis Innumerabiles equi subito perierunt, qui in ocio educati, occasione aliqua ad cursum velociorem instigati fuerant. *RUYSCHIUS* Hagae Comitum, septuaginta ante mortem annis, in equo, qui ex hac causa perierat, integras olei libras vidit, extra vasa in abdominis cavitatem effusas.

Haemorrhagiae] Bonae eae, & salutare, nisi ad nares, renesve determinatae fuerint.

§. DCCLXVII.

Cacochymicis] Quando atrabilarii aestivo tempore majus iter peragendum suscipiunt, tunc atra bilis funditur, & tormina maxima vomitumque & dejectiones alvinae materiae atrabilariae facit. Leidae homo melancholicus fuit, qui pertinaci consilio, cum currum conducere facile posset, dives homo pedestri itinere Hagam petiit aestivo tempore: sed per viam, cum male haberet, neque ullo modo progredi posset, seque crederet continuo moriturum, dum atra bilis fusa per inferiora descendebat, bona fortuna aurantia mala, quae secum gesserat, devoravit, & ita perfecit inter, ut etiam nunc superstes sit; narrabat autem *ΜΙΝΙ*, sibi procul dubio fuisse moriendum, nisi haec mala habuisset.

Lethalis] Saepe, quando medicus cacochymico homini motum musculorum commendat, & aeger improvide consilio obsequitur, aegrum visum est subito occidisse, sive hydropicus fuerit, sive empyicus, sive alio morbo consumtus. Cave ergo similia suadeas aegris. Hujusmodi sunt, qui gnari equitationem tabidis profuisse, mox equum conscenderunt, & majori motu musculorum excitato, sanguine venoso rapidius adfluente, minimum, quod supererat, pulmonis obruerunt, & perierunt. Ergo motus muscularis non convenit, ubicunque viscus aliquod jam adesum est.

est. Sed in aestuoso inprimis coelo motus noxius est, neque ullum animal adeo firmum reperias, quod absque praesente vitae periculo in hujusmodi aere vehementer corpus movere possit.

§. DCCLXVIII.

Vigilia] Quae perpetua est exercitatio motus muscularis, & spirituum consumtio.

Consumti] Quod in cerebro generatur, & in nervis operatur. Sed hoc liquidum non potest reparari, nisi in somno. Fessus arator nocturno somno tantum restaurat virium, ut craftino labori par sit.

Adteruntur] Cum perpetuus motus in tenerimis vasis cerebri solida, & fluida ad se mutuo adfricet, necesse est adteri utraque.

Nutritiones] In vasis, quae nervoso cerebri spiritu aluntur.

Maciei) Somnus plus in pinguefaciendo potest, quam reliqua omnia. Omne animal macilentum manebit, utcunque sagines, nisi dormiverit.

Bilis] Quae per somnum temperatur, coquitur, blandior redditur.

Atrae] Observavi ipse, post vigiliis nimis diu continuatas, enormem bilis atrae quantitatem excretam fuisse, oritur autem ex parte residua crassissima, postquam id omne perit, quod fluidissimum erat.

Inquietudo] Et mirifici nervorum morbi. Hujus aphorismi veritatem non accuratius, quam in me ipso expertus sum. Oritur aliquando in corpore hominum meditatione nimia animum exercentium, & in meo quidem, mirifica animae ad omnia officia promptitudo. Hanc sequitur constans pervigilium, tunc vero summi nervorum dolores incumbunt, quos non facile expugnaveris, nisi optimam medelam adhibueris, aut a favente fortuna fueris adjutus (1732. Id MIHI accidit, cum imprudens toto aestivo die a summo mane ad solis occasum de re seria meditatus fuisset, totis inde sex septimanis somnum noctu, diuque nullum vidi, vigil usque, sed ad omnia indifferens, ut nihil me adficeret. Successerunt dolores totius corporis indicium spirituum, qui reparabantur, canalesque pristinos subibant, unde per totum corpus se diffunderent.)

§. DCCLXIX.

Musculares] Cor musculus est, qui nunquam quiescit, a CREATORE ita ad motum perpetuum fabricatum, ut paralyticum, vel mortuum denique, aqua inspersa resuscitare possis. Verum musculus, qui nimis diu quiescit, ad motum ineptus redditur. Quando cubitus vel radius fractus est, & manus in sindone per mensem immota gestatur, aliquando soluto vinculo totus artus brevior, & immobilis est, quia omnis fibra sibi commissa brevior redditur, & elementa propius ad se mutuo adtrahit: extendendo eadem flexilior fit, & elementa a mutuis contactibus dimo-

ven.

ventur : quam primum vero elementa penitus se non contingunt , jam ruptura est . Sit corpus quodquam flexilissimum esse oportuerit , id alterne extendimus , & laxamus , uti hortulani solent in arboribus , quas in figuram quamcumque flectere volunt . Quando vero elementa sibi invicem committuntur , tunc attrahent se mutuo , & a liquidis suis distendi non poterunt ; atque ad omnem motum fibrae ineptae fient , quia nullus motus fit , nisi fibra a succo nerveo repleta .

Velocitatem) Quia motus humorum soli cordis , & arteriarum robori committitur .

Concretio] Vivimus per solida adtrita , ita melius vocantur , quam fluida ; liquida enim humana sunt quasi solida , quae vero in illa quasi molendina circulationis adteruntur , & distrahuntur , ut fluida videantur . Hinc gutta sanguinis , quae ex naso destillat , continuo in placentam orbiculari fit , & in solidi speciem concrefcit .

Repletio) Quando cor solum liquores movet , sanguis ruber quidem per arterias rubras in venas rubras transit , nisi transierit , mors est . Serum vero propelletur quidem in arteria suas , non autem in venas serosas veniet , cum deficiat motus musculorum , quo eousque urgeatur ; idem vitium in reliquis vasorum generibus adest . Cum ergo pars liquidissima humorum in vasa lateralia transeat , quiescent liquores in minimis vasorum generibus , & eo derivari perget omne illud , quod in massa sanguinea fluidius est , neque quidquam in sanguinem redibit , crassescet , adeo sanguis , spissusque fiet .

Cellularum) Quae in eadem ratione replentur , qua liquida in vasis majorum generum minuuntur : quamprimum motus musculorum cessat , replentur cellulae , & fit obesitas . In bove pinguefacto vasa minora fiunt , quam in macilento , dum pinguedo cellulas expandit .

Απαισθησια) Confer exemplum citatum n. 8. ad DXC. medici , qui ex consuetudine dormiendi tandem in fatuitatem incidit , & in publico foro periit .

Vitae] Via ad vitam longam est in moderamine inrer peccantem motum , & peccantem quietem , ut neque nimiis laboribus corpus coneratur , neque oleo suffocetur . Ita meta suprema vitae humanae attingi potest .

§. DCCLXX.

Vix movet] Perspiratio Sanctoriana post somnum naturalem , qui in sanissimo , neque fatigato homine 7. est vel octo horarum , expellit de corpore liquida tenuissima . Si nunc nihil reficiatur , sublequitur continuo fluidius omne , & somno lungius protracto omne perspirat , quod vero humorum superest , id lentescit , reductio per venas tardior est , ex vasis lateralibus vix ulla , hinc oleum in vasa lateralia hiantia , & in cellulas deducitur ex sanguine . Qui pendulis cruribus , pedibusque somnum capit ,
tumen-

tumentes habebit subito oedemate, sed ambulet idem, & musculos moveat, tolletur oedema. Nempe liquida, quae in vasis lateralibus, & cellulis stagnaverant, hoc motu determinantur, ut in cor revertantur.

Excrementa] Quia per somnum non excernuntur. Homo vigilans vix retinet tertiam partem ejus ponderis lotii, quod dormiens absque molestiae sensu in vesica gerit: idem de alvi faecibus verum: ergo omnes faeces crassiores retinentur in somno.

Cerebrum] Animalia omnia dormiunt, & ipsi pisces. Videtur autem per contemplationem fabricae cerebri hominis, & brutorum animantium, circulum sanguinis non esse, nisi in pia membrana, & maximis vasis cerebri, reliquam vero corticem quiescere, & sanguinem brevissima circulatione perfecta in sinus refundi. Hinc videtur cerebrum in somno quali collapsum esse, & tunc somni oriri, quando cortex cerebri ita comprimitur, ut cavitas in corticis vasis deficiat, sive ea compressio fuerit a repletionem ventriculorum cerebri, lymphae turgentium, sive a quacunque alia causa externa comprimente, sive a collapsu cerebri.

Hebetat] Uti pulcherrime CELSUS expressit, quando de repletionibus cerebri agit, quae nimium somnum sequuntur: nemo vero est, qui non se hebetiorem percipiat, quando ultra morem v. g. decem horis dormiit. Sensus enim tardos, & caput grave percipiet: quia sanguis venosus eo tempore in cerebrum congestus est, dum minima vasa collapsa erant; rediturus idem versus cor, quando motui arteriarum vigor suus rediverit.

Proclives) Hos vigilare oportet, qui vero nimium vigilant, & alacritatem percipiunt, quae somnum arceat, iis dormire convenit, & somnum etiam arte arcessere; semper enim in his malis id salubre est, quod appetitus contrarium: nisi somnolentia a morbo inflammatorio fuerit.

§. DCCLXXI.

Animi adfectus sunt motus voluntatis nostrae vehementiores: non alia causa cogitationes nostras magis perturbat. Sed cogitationum sedes est sensorium commune: id ubique est, ubi cortex ad medullam connectitur: ergo adfectus animi vim suam in cerebro exerunt, & spiritus motores versus musculos celerius determinant; spiritus autem a sensoriis peculiaribus ad commune sensorium redeunt exagitant variis modis. Aliquando ideas aliquas ita fixant, ut delere nequeas; & ipse expertus sum certarum calamitatum memoriam non posse deleri, quodcunque moliti fuerimus, neque recedere etiam a dormiente, quod in primis de ira, & vindicta verum est. Quamprimum alia idea nascitur in sensorio, delatum est, & recedit ingrata illa idea.

Violenti] Qui subito hominem quasi in statuam transformant, & veram catalepsin imitantur.

Obstupui, steteruntque comae, & vox faucibus haesit.

Novi

Novi hominem fanissimum, aulae ministrum primum, qui cum summa gratia apud principem floreret, retulit de rebus nonnullis non bona fide. Princeps duobus verbis eum adgressus, abire iussit, qui se fefellisset. Continuo aulicus pondus in pectore percepit, & tertio die post haec tria verba extinctus est. Quid notius quam ipsas faeces ex terrore dimitti &c.

Diuturnis) Qui per temporis successione eisdem effectus producant, qui a prioribus subito succedunt.

Mutant] Homo tenerior videt crudelem aliquam operationem, labetur saepe defectus viribus mortuo similis. Facile est existimatum, si quidem adfectus terroris externam mortis faciem subito inducit, in visceribus eundem miras etiam mutationes producturum.

§. DCCLXXII

Coctionem) Aptissime DRELINCOURTIUS, deglutitam, & sanguini secundo mistam, tunc iterata cohobatione salivam optimam fieri, & in menstruum perfectissimum elaborari. Non alius certe inter humanos liquores salubrior est: deglutita repurgat inanem ventriculum, & visaponacea mucum detergit, resolvit, coctionis vero tempore digestionem, & assimilationem adjuvat. Ergo, quando deficit, oriuntur vitia prima coctionis, quae in nulla aliarum coctionum emendantur, cum tamen coctionum reliquarum vitia per primam integram corrigantur. Haec egregie tradit PEYERUS de ruminantibus.

Bilem atram) Senex medicus, nomine *Pbelippo*, Hispanus natione, a quo multa didici, retulit MIHI, in aula gallica aliquando Principi graveolentissimam animam fuisse, medicos contra hanc turpitudinem pastillos praescripsisse ex mastiche, & rebus odoratis, quos continenter manducaret, orisque vitium occultaret. Brevi factum esse, ut tota aula Principis exemplum secuta fuerit, neque nobilis palatium frequentaverit, aut nobilis virgo, quin inter dentes similes pastillos volutaret. Inde vero aulicos omnes incidisse in teterrimam atram bilem, cum per nimiam excretionem salivae, consumpta liquidiori materia reliqua humorum massa lentissima fieret, & phantasias mirificas passim invaluisse, neque alios aulicos mansisse intemeratos, nisi quibus corpus succulentissimum erat: denique cognita ratione morbi aulici una cum pastillis malum evanuisse. Dudum HIPPOCRATES, sputatores melancholicos esse, aut fieri. Qui tabaci fumum nimis frequenter ex fistula fugunt, exhauriunt corpus suum, & reddunt inertissimum, & in anorexiam, siccitatem membranarum, maciem, sitim, rabem, melancholicam denique se praecipitant, nisi maxime phlegmatici fuerint. Quando in Asia exercitus per steriles campos movet, exhibent militibus pillulas ex tabaci foliis contra famis morsum manducandas: ita famem quidem sopitur, sed totum simul corpus exhauritur.

ritur. Qui saepe salivationem passi sunt, plerumque solent in melancholias incidere.

§. DCCLXXIII.

Excretionem] Quibus bilis deficit, iis tumet abdomen. Hoc verum esse adparet in infantibus tumidos gerentibus aqualiculos, frigidulis, & pallida mingentibus, tum in cachecticis, virginibus, quibus frigus, debilitas, pallor leucophlegmatia, animi deliquia molesta sunt.

Acidum] Omnia enim officia desinunt, quae bilis corpori praestat, dicta ad IC. C. Recte contra hanc bilis dignitatem adseruit HELMONTIUS, & demonstravit, quamprimum bilis deficit, mutationem etiam ingesti cibi deficere, & facultatem chylum inde parandi.

Retenta) In vasis, quae valvulis carent; humores facile ad eam viam determinantur, quae minus resistit, quamprimum alicubi nimia resistentia nata est; ergo si calculus in ductu choledochi haeserit, oritur congestio bilis in toto systemate suo, deinde sequuntur anxietates, vomitus enormes, per quos motus, vi muscutorum abdominalium, & septi incumbentis, retenta bilis potest per poros bilarios retroire, ut in cavam venam, & sanguinem veniat, inde in totum corpus, tuncque icterus nascitur, & symptomata remittunt. Verum sanguis sanus densus est, & receptus in patelam coit in glebam. Quamprimum autem bilis in sanguinem viam sibi fecit, dissolvitur sanguis a vi bilis saponacea, ut fiat *χολαδης καιοχυμια του κίματος*: & icterus fit, in quo sanguis ex vena missus minime cogitur; urina vero ipsa flava est, & immissa lintea flavo colore tingit. Bilis enim eadem fere facit, quae mercurius, & in adulto malo sanguis secedit extra cordis imperium in vasa minora, stagnaturus ibi, & facturus hydropem, qui mortem post diurnos icteros praecedere solet.

Frigus) Quam primum bilis vel paullum abundat, calor nascitur in corpore, ut non adeo male veteres a phlegmate frigus, a bile calorem dixerint oriri. In vivo animale, dissecta forfice fellis vesicula mors ipsa sequitur, effusa in abdomen bile. Ita in homine adparuit, cui ense vesicula fellis perfossa fuerat, post triduum enecto subortis convulsionibus.

§. DCCLXXIV.

Nimia) Homines sunt, quibus saliva magna copia secernitur: eam autem deglutiunt omnem. Iisdem pancreas multum humoris adfundit, ut ex duodeno repleto aqua in ventriculum regurgitet, & queri soleant de aqua, quae ventriculum inundet, maxime jejunis; nam a cibo melius habent, & succus pancreaticus, cum cibo, per intestina descendit, & per anum exit. Non ergo mirum est, hos homines serosis diarrhoeis obnoxios esse.

Serosas) Cinericias, grauvve loop, quem Batavi nihilominus, quam pestem, metuunt. In hoc morbo humores pancreaticis, hepatis, arteriarum mesentericarum, saliva deglutita, omnes exeunt per alvum, unde summa debilitas. Vix enim aeger quater cinerea illa egressus, quin animo lingua- tur: inde convulsiones sequuntur, quia humores non ultra continuo fluente se sequuntur, incredibilis enim liquidorum vis per alvum effluit, inde oriuntur continua siccitas, sitis, marasmus, & hectica febris. Hinc adparet, errorem vulgi esse, quod in omni morbo diarrhoeam laudat, quasi morbi materiem excernat: nam quando ea, quae dixi, faecum materies est, totum corpus certissima atrophia exhauritur.

Compactas] Chylus in ventriculo generatur ex cibo solido, cujus pars crassissima in ventriculo manet, reliquum fluidum fit, ad lactis modum: hinc nunc succus per tractum intestinorum volvitur, & exhauritur parte liquidiori, sive chylo in venas lacteas resorbto, & tamen faeces in fine ilei non minus fluidae sunt, quam ad pylorum fuerant. Ergo necesse est interim, dum chylus extrahebatur, tantum per arterias adfutum fuisse, tantumve accessisse salivae, novique liquoris gastrici, quantum per venas lacteas absurdum fuit: deme hunc adfluxum, necesse est, ut materies faecum continuo lenta, & densa fiat. Aliquando in pueris hoc malum accidit, ut abdomen turgeat, & a morte omnia intestina crassa faece plena reperiantur.

Volvulum) Leidae vetula mortua est, quae per os scybala evomebat: in dissecto corpore adparuit scybala intestino ileo coaluisse, & insuperabilem certe morbum fecisse.

Durum] Hinc sanissimis, & robustissimis hominibus haemorrhoides familiare sunt. Dura enim, & scabra scybala & ob eandem rationem copiosa, quia difficulter egeruntur, non possunt excerni, nisi nixu fere, qualis est feminae parturientis: in eo vero nixu comprimuntur intestina, sanguis arteriosus promovetur, venosus retardatur, adeoque stagnat in vasis intestini recti, putrescit, sic nascitur dispositio ad haemorrhoides, quae plurima mala in cerebro facere poterit, nisi sanguis libere fluxerit.

§. DCCLXXV.

Anastomosis) Haec naturae vis est: NATURA nullum locum negligit, per quem possibile est, ut sanguis ex vasis integris neque disruptis effluat. Cutis sanguini effluxuro pro operculo est: nihilo tamen secius exempla reperias, in quibus purus sanguis per cutis integrae poros, ex variis corporis partibus, certis temporibus periodice excretus fuit: post excretionem vero sponte vasa iterum clauduntur. In hac urbe mercator est, vir honestissimus, qui quolibet mense plus sanguinis ex alvo egerit, quam sanissima ex utero mulier: quoties sistere conatus est, in metum incurrit apoplexiae. Haec vero ratio est, qua *αναστομωσις* fieri potest. In corporibus

ribus laxioribus sanguis ruber dilatat serofas arterias, per eas venit ad exhalantia vasa, quae quam solam transmittunt, ea dilatat, dum plethora urget, & distendit, supra vim contractilem parietum; ita sanguis effluit. Quamprimum plethora definit, urgere, etiam sanguis mitius per vasa laxata, & paralytica pergit equidem fluere, sed impetu perpetuo minori, donec ultimo vasa extendere non valeat, tuncque contracta eadem sanguinem coercent. Ea ratio est in cute, in hepate, in utero, in renibus.

Hepate] Hujus ubique eadem vasa exhalantia, propagines sunt venae portarum, debilissima sunt monente GLISSONIO. Ergo, si morbo magis adhuc debilitata fuerint, & sanguis urserit, poterit sanguis ipse in bilarios meatus transire, & per alvum plethora exonerari, & demonstrant experimenta RUYSGHIANA fluxum s. dysenteriam hepaticam nasci, quam primum resistentia in hepate aucta est, Haec species absque inflammatione est, & absque magno periculo.

Spiritus] Spiritus non secernuntur in cerebri cortice, uti alij in reliquo corpore humores: videtur ibi ea fere ratio esse, quae spongiae bibulae, ad quam liquor ex diversi generis particulis compositus applicaretur, & spongia sublimissimum quidque resorbet. Sed pulcherrime veteres, *πασων κινήσεων αιμα αιμα δέ πνδμα*. Quamprimum ergo sanguinis non satis adfertur ad cerebri corticem, necesse est etiam spiritus deficere: hoc autem utroque instrumento motus deficiente labascunt motus omnes, uti post vulnera fit, & succedit ultimo hydrops, quando chylus in sanguinem crassum minime fictus, in vasa minima secedit tenuitate sua, inque cellulas stagnat effusus.

Frigida) Inter summam vitam, & perfectam mortem innumerabiles gradus intercedunt medii. Excretio sanguinis, etiam quando non occidit, vires tamen prosternt. Vulnerati, & magnas haemorrhagias passi, hydropem patiuntur.

Pallida] Cum solus sanguis ruboris causa fit. LISTERUS in peregrinatione Parisiensi narrat, animalia repetitae venae sectioni adsueta in vasis succos albos, non rubros habere.

Capacitatem) Ea in arteriis minor fit, quo minus arteria distenditur, reliqua vero vasa minora, in quae ex majoribus humor tenuior transit, distenduntur prae copia liquidi.

Interruptus] Prudentissime HIPPOCRATES in l. de diaeta, Quando sanguis per haemorrhoides (consuetam aliquam haemorrhagiam) effluere adfuevit: hae autem haemorrhoides (aut alia haemorrhagia) sanantur, nunquam oportere vias claudere omnes, sed unam relinquere, per quam sanguis pergat evacuari. Per has enim adsuetas haemorrhagias viri fere in feminas mutantur, & perinde male habent a suppressa sua menstrua excretionem, ac puellae solent, quibus uterini menses emanerunt: uti exempla sunt in juvenibus, qui narium haemorrhagias vitriolo represserant.

Haemorrhagias] Hinc feminae, cui menses suppressi sunt, sanguis ex pul.

pulmonibus effluit, aut ex oculi majore angulo, aut ex ventriculo. Solve uterum, etiam haemorrhagia sponte desinet.

§. DCCLXXVI.

Seminis) Legitur in scriptis nonnullis medicis, aliquando semen sponte absque sensu effluere. Sed rarissimum hunc morbum esse oportet, & nunquam vidi semen effusum fuisse absque contagione venerea, non certe semen verum in teste secretum, & in vesiculis adservatum, licet prostatarum liquorem effluxisse viderim, in gonorrhoea vero virulenta cancrusus humor, aut pus ex ulcusculo in arethrae substantia nato effluere soleat. Verum est, in somno semen effluere. Sed eo tempore animae ludibria venerea semper obversantur. Haec vero gonorrhoea in literatis diligentissimis, & lienosis hominibus non rara est, & saepe tanta feminis effusio fit, ut atrophiam sequatur. Sed adest utique grata, licet fallax, Venus, & animus ad ea sacra paratus. Vidi morbum: oritur a lassitudine, & debilitate totius corporis, maxime circa lumbos, sequuntur subsultus tendinum, spasmus artuum periodici, & macies, ut corpus totum pereat: & in ipsis cerebri membranarum dolor percipitur, quem siccum ardorem aegri nominant, partes nobilissimas intus perpetuo urentem. Sed iste morbus rarius est.

Dorsalis] Etiam hanc speciem in formosissimo juvene vidi, qui saepe monitus, in castris tamen veneris non desit militare, & ante mortem ita deformatus est, ut ea torositas, quae ad lumbos eminent supra vertebrarum spinas, tabulae planae similis esset; quae vera est, HIPPOCRATI dicta, tabes dorsalis. Ipsum cerebrum videtur consumi, fatui enim fiunt. Deinde obrigescent toti, qualem non ex alia causa ita obstipam corporis immobilitatem vidi: oculi ipsi, qui in amore scintillant, atrophiam nervi sui affectu hebescent, ut facultatem videndi amittant. In iis frequentius accidit, qui a prima juventute in castris veneris militaverunt. Rarus tamen morbus est, miserrimus idem: nulla enim fere spes superest. Lac non retinent, equitatio non prodest; queruntur enim sibi vires omnes inde labescere; post musculorum enim motum etiam largius per nocturna ludibria & semen profundunt, & vires, & redeunte die sudore mandidi, atque ex ipso somno debilitati, lectum relinquunt. Sed neque aromata fuerunt, quorum eadem noxa est. Sola spes est in bono alimento, moderato corporis exercitio, cum pediluvii conjuncto, & frictionibus cautissime adhibitis. Hanc difficultatem sanandi hunc morbum saepe Graeci viderunt: priscis enim seculis frequentius malum fuit, quod balnea in quotidiano usu essent; ea enim & stimulant libidinem, & corpus resolvebant, [1732. Saepe vidi, neque unquam curare potui.]

§. DCCLXXVII.

Nimia] Haec est vel vera *diabetes*, sive excretio albae urinae, turbidae, & dulcis, & inodora, chylosae, causa est laxitas vasorum renalium tanta, ut aequae facile chylum transmittant, quam vasa galactophora mammarum. Vel fluxus est aquae urinae, limpidae fontanae familia insipidae, qualis in hystericis, & hypochondriacis, & teneris corporibus non infrequens est, & hydrops ad matulam solet vocari. Prior species brevi via ad atrophiam mortemque ducit: omne enim de corpore alimentum decedit. Altera alia corpori damna infert, maximum in primis torporem. Memorabile exemplum in domina vidi, cui absque manifesta causa incredibilis vis urinae effluxit; eam exstinxit suppurato cadaverosa in tota panniculo adiposo, per omne corpus diffusa. Nempe pars liquidior de sanguine decesserat, & reliquum immeabile stagnaverat ubique in vasis minimis.

Sudor) In homine sano nimius sudor eadem mala facit, quae nimia effusio lotii, inspissat, & omnia immeabilia reddit, atque occasionem dat ad omne genus inflammatoriorum morborum, & gangraenosorum. In omni homine, cui pulmo debilis, sudor frequens est. Agricolae, quamvis corpora laboribus exercent, non ita sudant, dum laborant; teneriores autem homines ad minimos labores, & noctu ex solo lecti calore sudore diffuunt. Hic sudor oritur a sanguinis ita adtenuato, ut ejus particulae non cohaereant, & liquidiores partes a reliquis sponte secedant. Nulla ergo sanatio expectari debet, nisi sanguini sua densitas restituta fuerit: incuratum vero malum in maciem abit, & cachexiam.

Suppressa] Haec est alia vera ischuria, cujus causa in vesica est, tuncque causa vel in vesicae collo, vel in urethra est. Alia ischuria spuria est, quando causa supra vesicam sedem habet. Haec iterum vel in ureteribus, pelvique est, tunc ren inflatur, & ureter: vel in vasis renalibus, aut vicinis partibus renem comprimentibus.

Putrefaciendo) Non acrimonia sua, dum in rene stagnat: in multis enim animalibus renes nullum urinosum aut saporem, aut odorem demonstrant, in pelvi vero urina acrior fit, & in vesica adhuc acrior fit; acerrima vero tum demum, quando aeri exponitur, a quo citissime putrefactionem concipit.

Alcalescentem) Urina est universale sanguinis lixivium, quod cum ab oleis rancidis, & salibus alcaliscentibus repurgat. Quando urina retinetur, etiam omnes istae excrementitiae particulae in sanguine manant. Tulerant fere per duodecim dies, quando vero malum diutius producit; lethale est, eo enim tempore tantum partium acrium in humorum massa generatum est, ut incipiat erodere vasa tenerrima cerebri, & in ventriculos ipsos effundi.

Vertiginis] Liquida subtiliora caput inprimis petunt ; uti de vino notissimum est ; ita & urina, quando retinetur, cum mobilium partium fit, ad caput agitur, somnia facit de submersione in aqua periculo, vertigines, apoplexiam, ipsumque denique mortem.

§. DCCLXXVIII.

Nimia] Quae ope staterae cognoscitur. Nunquam autem homo vehementius perspirat, quam in frigido aere, dum simul corpus velidum exercet: ut calore, quem motu generat, superet frigus externum. Exemplum in iis est, qui ferratis calceis super glaciem decurrunt: ab hoc enim motu, qui jejunus tentaverit, facile animo linquetur, & si nihil omnino chylosum consumendum reliquum fuerit, incidet in famem oscitatoriam, qua intra brevissimum tempus vires ita consumuntur, ut mors ipsa sequatur; hoc in borealibus non infrequens malum est.

Parcior) Causas noxae a transpirabili retento male explicavit SANCTORINUS. Ad duas classes haec mala referri possunt. Perspirationis utilitas prima est, uti cutis humida maneat: id efficit NATURA vasculis paratis, quae liquidis replentur. Obstructa vero pone vasa, quae paullo perspirantibus, majora sint, intelligis exarescere vasa minima, uti in febre ardente fit, quando liquidissima parte humorum dissipata, vasa minima cutis, destituta adfluxu liquidi satis tenuis, intra breve tempus exsiccantur, ut totam cutem squallere necesse sit.

Putredo) Altera utilitas est liberare sanguinem a subtilibus particulis, quae majori copia retentae, spiritibus se admiscunt, & eorum in cerebro actiones turbant. Pone nunc suppressi perspirationem, ergo materies, quam perspirasse oportebat, aut stagnat, aut sanguini remiscetur: inde multa mala, & eo promptior putredo, quo hoc perspirabile subtilius fuerit.

§. DCCLXXIX.

Frigida] Haec trium generum sunt: 1. Aer, qui sanguine nostro semper frigidior est; quando vero valde friget, tunc corpus nostrum veluti in balneo frigido ponitur. Toleramus equidem frigus ad gradum 33. thermometri FAHRENEITIANI: ad gradum vero 31. aqua jam congelata est. Verum aer longe frigidior redditur, cum Gedani a Cl. ROEMERO visum sit thermometrum descendisse ad 32°. infra 0. adeoque aer, qui 20°. sub 0. descendit, plus refrigerat, quam aqua etiam frigidissima. 2. Aqua, quae nunquam frigidior reddi potest, quam ad gr. 53. supra 0. infra hunc gradum jam glacies est. 3. Aqua sale saturata potest frigus inducere majus, quam 33. graduum, & tamen fluida manere, adeoque hujusmodi balneum frigidius reddi potest, quam si aqua pura fuisset.

Contrahunt] Pono hominem calidum esse, aerem vero frigidum, huic acri

aeri hominem nudum pectus exponere: dum denudatur, totus minor fit, & emergunt undique per universam cutem tubercula similia cuti deplumati anseris, quae fines sunt ultimarum arteriolarum exhalantium eminentes, quia liquor a tergo urgetur, neque per contracta exhalantium vasorum orificia dimitti potest. Redde calorem, evanescunt omnia tubercula. Omnia enim corpora per frigus minora redduntur: in ipso ferro hoc experimento confirmavit PARISINA academia. Ergo, quando summum frigus cutem contingit, omnia vasa cutanea constringuntur, & fluida sua repellunt ad interiora per venas, versus magnas cavitates, & cor ipsum, adeoque cum interiora caleant, *ασυμμετρικη* nascitur inter interiora, & exteriora. Intelligitur balnea frigida magnam cautelam requirere. Certum est, per eadem magnos effectus praestari: ut non omnino mirer hujusmodi balnea AUGUSTI aevo Romae magna in fama fuisse, commendante ANTONIO MUSA, & hodie adhuc a multis in Anglia in usum revocari. Sed omnino considerari debet, ab his balneis humores magno impetu in caput premi: totum enim corpus a frigido comprimitur, & caput solum non potest a frigore contrahi, ob osseam indolem, figuramque globosam, adeoque vasa in capite laxa, & libera ut prius manent, quo necesse est humores a partibus obstructis confluere, & cephalaeas facere. Objiciunt aegros monendos esse, ut etiam caput immergant; verum non vident, neque ea ratione vasa capitis angustiora reddi.

Laxant) Maxime vero omnia liquida ab interioribus ad exteriora trahunt. Hinc calidum animal continuo pondere minuitur, & in magno calore toti fere in aquam diffluimus. Sed vasa praeterea valde extenduntur, inde errores loci &c. Cl. BERNIER, dum aulam Imperatoris Indostanici in Cachemiriam sequitur, terrae illam paradysum, in ascensu montis Bember cum exercitu hanc caloris vehementiam expertus est, ita enim sitiit, ut perpetuo bibere cogeretur, ita vero sudavit, ut de potu intra semihoram nihil in corpore superesset. Peribat omne animalium genus, praeter camelos, qui soli intolerabiles ardores inoffensi ferunt.

Humida) Haec corpus totum relaxant, & debilitant, uti experimur in aere humido, toti enim torpemus.

Extrorsum) Undique per superficiem corporis humani patent oscula vasorum exhalantium, & resorbentium. Pone nunc huic superficiei humorem adplicari, dilatantur arteriae, ab humido relaxatae, & exhalatio copiosior fiet, quia fines dilatati minus resistunt: in aperta interim vasa venosa, pariter debilitata, liquida subeunt, ut corpus sensibiliber ad stateram augeatur, quod experimenta BELLINI docent in cap. *de balneis*. Ergo aer humidus respectu arteriarum humores extrorsum, respectu venarum introrsum ducit, & ex ea causa sanguinem diluit.

Sicca) Siccus aer, & pannus ficcus bibula corpora sunt, & aquam adtrahunt. Id demonstrant experimenta pulchra, quae ad hunc finem cepi,

cepi, & quibus mihi constat, hujusmodi pannos plurimas libras aquae intra breve tempus resorbere. Deinde id demonstrant fullonum experimenta, & pannificum. Nam panni madidi in quiescente, sed sicco aere, suspensi intra paucas horas siccantur: si vero aer ipse humidus fuerit, madorem diutissime retinent. Nunc considera, cutem nostram cum panno hujusmodi comparari, humido, dum sana est; nam nummus politus, qui cuti admovetur, continuo madet. Ergo aer siccus de ea cute humiditatem resorbabit; dum vero proxima cuti humiditas exhalat, sequitur proxima, quae denuo exsiccat, & sic intra horam balneo sicco homo occidi potest.

Qualitas] Longe alia efficacia est balnei, prouti ex vino fuerit, aut oleo, aut aqua marina, aut pluvia. In universum autem eo magis corpus mutatur, quo liquidi applicati particulae mobiliiores fuerint. Aqua balnei stagnans non valde efficax est, corpus autem idem suspende in vapore aquae calidae, centies certe potentius ab hoc vapore mutabitur, quam a quiescente aqua. Inde mirabile robur balneorum a substrato, & accenso alcohole, quae ipsos venereos tumores auferunt, quod ipse praefens vidi.

§. DCCLXXX.

Heterogenea] Ut vermes, calculi, & alia hujusmodi.

§. DCCLXXXI.

Media) Inter annum 18. & 48. quo tempore plethora viget.

Hybernum] Hujus efficacia est replere, simul autem viscerum actiones augere, & digestionem adeo copiosissimam facere: aestivi vero rarefacere, & vasa expandere. Vere, & autumno plethora parum augetur.

Artuum) In hominibus, quibus artus aliquis amputatus fuit, plerumque nascitur plethora. Quando robustissimi homines in bellis ambobus femoribus privati sanantur, ventriculum quidem eundem retinent, & pulmones aequae magnos adeoque eandem, quam prius sanguinis quantitatem perficiunt, sed vasorum sanguinem vehementium pars quarta sublata est, reliquae adeo partes superstites hanc quartam supra legitimam quantitatem admittere debent, si duo crura pro quarta parte corporis sumseris. His hominibus plethora certo nascitur, saepe funesta. Ergo monendi sunt, ut sibi caveant strictiori diaeta, parco potu, & frequentibus venae sectionibus, donec corpus novae, & non naturali proportioni adfuescat.

Minima] Plethoricus homo hoc quidem momento sanus est, sed augetur vel paullo sanguis, vel eadem agat, ac si auctus esset, jam morbum plethora faciet. Nempe minimus calor rarefaciet humores, & cum humores citius, quam solida expandantur, vasa nondum expansa ab humo-

ribus violente distenduntur. Hi homines nullas mutationes tolerant, quas tamen vitae ordo, & leges non sinunt evitare, quales sunt calor externus, corporis exercitium &c.

Laceratio] Quando impetus aliquis praeter naturam in vasa urget, rumpuntur, & sanguis per nares effluit: vero hae naturales viae resistentiam sanguini majorem obposuerint, poterunt internae, & funestae in ipsis visceribus haemorrhagiae fieri.

§. DCCXXXIII.

Motus] Quando omnes humores optimi sunt, tunc morbus simplicissimus, & frequentissimus est nimis velox motus sanguinis. Hujus effectus sunt, partes liquidorum propius ad se invicem premere, expellere quod subtilissimum fuit; deinde omnia eadem facere, quae plethora. Quando enim intra datum tempus duplum sanguinis ad cor venit, idem est, ratione vasorum, ac si duplo plus sanguinis continerent.

Αυθροσι] Hanc dicimus adesse, quamprimum globuli sanguinei ita incipiunt comprimi, ut se non in punctis, sed in planis contingant. Sanguinis enim materies tota figurabilis est. Motus sanguinis moderatus particulas globosas facit, nimius sanguinem in unam solidam massam compingit.

Nervosorum] Animi adfectus omnino sunt spirituum febriles morbi. Uti enim verae febris essentia ponitur in sanguinis arteriosi velociori per cor circulatione, ita in adfectibus id fortius agit, cujus ad motum proxima necessitas est, augetur ergo vis cordis &c.

Excretiones] Nemo negabit, in corpore humano omnes actiones reduci posse ad solidorum in humores compressionem, & humidorum motorum in solida impetum. Adparet adeo, liquorum motu aucto impetum in aperturas extremorum vasorum augeri: sed ea terminantur in fines teretes, qui plerunque aliquo quasi sphinctere circumdantur, congenerere cum majoribus illis sphincteribus oris, oesophagi, pylori, ani, vesicae, ductus pancreatici, choledochi. Verum hi sphincteres omnes a spiritibus reguntur, his ergo turbatis omnes in corpore humano actiones turbari necesse est.

§. DCCLXXXIV.

Nimia] Quando hoc in sanissimo homine fit, continuo humores a vis cordis, & arteriarum prementur in minora vasa; sed ibi resistentia minor est, stagnabunt ergo ibi vel excernentur.

Haec addere necessarium fuit, postquam celeberrimi medici scripserunt, (an. 1732. CRAANEN. & BONTEKOE) tun sanguinem optimum esse, & ab omni corruptione, morbive metu integerrime conservari, quando omnes humores corporis fluidissimi sunt. Haec opinio ita invaluit, ut
etiam

etiam summi viri eam publice propugnarent, & sanitatem unice profuso Theae, & Coffeae potu vellent reparatam. Verum EGO quidem miror homines esse, qui eo sapientiores esse velint, a quo leges naturae positae sunt. Hujusmodi sapientiae humanae conatus semper fatales effectus fortiuntur: & in ea ipsa, quam desiderant, sanguinis perfectione ponitur essentia consumptionis. Haec enim est cohaesio nimis parva humorum in corporibus agilissimis: quibus haec natura est, ut homines praestant agilitate corporis, & meabilitate humorum, atque promptitudine intelligendi; verum iidem diffluunt undique, & nisi coerceantur humores, pereunt exhausti, neque unquam sanantur, quin sanguinis crassities legitima redierit. Tunc vero, si praeterea diaeta stricta usi fuerunt, & rusticatione, & equitatione in aere libero, & corporis fricationibus sanari poterunt: his enim remediis sanguis compingitur, & quamdiu non compingitur, medicus laterem lavat. Hinc adparet, quam male in his morbis argentum vivum exhiberi soleat. De sanguine enim pars fluidior ex arteriis rubris in vasa minora secedit, remanet pars crassissima sola, cum qua vix ullus humor se patitur misceri; hinc ex ipsa praegressa fluiditate sequuntur morbosae pessimae indolis obstructions. Quamdiu in flore aetatis vigent, & vasa plena sunt, fluxilitatem humorum utcumque tolerant; sed brevis est felicitas, herbae enim solstitialis similes sunt, quae mane floret, & sub vesperam exaruit. Fluiditas summa humorum agilissimam vitam facit, sed momentaneam: crassities vero constantiam in sapitate efficit.

Acrimonia] Haec fere humorum est conditio in scorbuto a causa alcalescente in navibus contracto.

§. DCCLXXXV.

Acrimonia) Chirurghi norunt, caustica sola cuti admota parum operari: quando vero super medicamentum vesicatorium emplastrum tenax imponitur, tunc vero violenter erodunt, summa enim vis corrosionis est, quia cum acrimonia tenacitas conjungitur. Tenacitatem hoc loco voco id, quod difficulter excutitur. Homo sanissimus miscetur prostibulo pessime infecto, suscipit ab eo coitu materiem, non lentam quidem, cum lues venerea omnes humores in ichorem dissolvat, sed singulari modo acrem: haec oleo humano, & offium medullae miscetur, & tunc ita tenax fit, ut inter tenacia excellat, neque possit ex nostris humoribus excuti. Eadem ratione pessimi morbi fiunt in acutis passionibus, quando dissipata parte fluidiori, crassior in extremis vasis stagnat, & stagnando acris fit, tunc enim omnia destrui necesse est, ab acrimonia cum tenacitate conjuncta, & inprimis, tenerrima illa cerebri vasa.

In homine sano sanguis adeo blandus est, ut optimum collirium sit, & nunquam viderim ullam partem corporis a sanguine instillato dolere,

cum potius recentissimus pipionum sanguis oculo instillatus dolores leniat. Quando vero sanguis per motum animale agitur, tunc adeo acris fit, ut ipse sudor faetat, putrefactus sanguinem, si retineretur: & ipse sanguis, adeo blandus, adeo lenissime falsus, aucto calore adeo putridus fit, ut manum, quam contigerit, cogat desquamari: id enim contingit iis, qui cadavera putridissima tractant.

§. DCCLXXXVI.

Verissime HIPPOCRATES,, in corpore humano non solum calidum; & humidum, & frigidum, & siccum reperiri, sed amarum etiam, & acerbum, & falsum, & oleosum: & in amaro quidem amarissimum, in falso falsissimum. Hanc antiquissimam doctrinam sequor.

Lactei) Praeter eos, quos hic enumeravi, non novi alios sales acidos, qui in corpore humano generentur.

Alcalescentes] In humoribus vitalibus nunquam alcali vidi, sed falsum ammoniacale; & persuadeor me alcali humanum debellasse. In viro clarissimo, Professore hujus academiae, qui ischuria sexto die extinctus fuerat, uncias aliquot lotii paulo ante mortem redditas recentissimas omni experimenti genere torfi; rubrum erat, faetidum, & acre, nullum tamen signum alcalinae indolis edidit. Neque unquam liquores humani in alcali transeunt, quin multo prius a tanta mutatione tenerrima cerebri, & cerebelli stamina destructa sint, & mors alcaliscentiam praeveniat. Tantum abest, ut verum sit, quod docent HELMONTIUS, SYLVIUS, OTTO TACHENIUS, & alii, humores humanos sanos alcalinos esse.

Insulsi] Quoties abundant, morbos faciunt.

§. DCCLXXXVII.

Pituita est humor lentus, qui in aqua difficulter diluitur, quod particulas mucosa quadam tenacitate connexas habeat. Hanc veteres, & vulgus pro frequentissima causa morborum habent, & plebs apud medicum vix solet queri, nisi de acido, vel bile, vel pituita. Falla certe pathologia, quam senior olim, prudensque medicus ME jussit deserere.

Insipida] Haec non nocet, corpori enim naturalis est. Omnis pars corporis humani sana pituita instruitur. Ipsi oculi non aquoso omnino liquido obliniuntur, sed ejusmodi, quod facile in pituitam concreascit. Neque os pura saliva madet, sed permisto cum saliva mucosum, qui sanissimis inter animalia ex ore perpetuo propendet. In aspera arteria, pulmone, ventriculo, intestinis, pelvi, urethra, vagina uteri, articulationibus ossium, ubique reperitur pituita. Nempe tres in corpore regiones sunt, in quas pituita disposita est: 1. Ubicunque aer externus cutem absque medio contingit, uti in facie, quae tota unctiosa est, & deterf
lindeo

linleo purissimo id flavo oleo inficit. 2. Ubi magnus adtritum est, ut ad nates, ad inguina, & juncturarum loca, quae magna pondera sustinent, pituita disponitur. 3. Ubi acrimonia aliqua regnat, in toto ore, faucibus, naribus, oesophagi cavitate, & ventriculi, & intestinatorum, & urinariae vesicae. Haec est sedes pituitae naturalis. Tristis adeo est triumphus medicorum, qui in sella pituitam expurgatam videntes, morbum devictum credunt. Nam pituitam simillimam in sanissimo homine a purgante adsumto egeri certum est, cujus ad vitam sanam summa necessitas est. Veras utilitates pituitae, & morbos ab ejus degeneratione ortos verissime recensuit CLOPTON-HAVERS, inter quos ipsa podagra est, & rhachitis, & arthritis. Ante HAVERSIUM observatum reliquit HIPPOCRATES, quando humor mucilaginosus circa articulationes artuum stagnat, neque motu expeditur, inspissari paulatim, & fluxionem ad eam partem facere. Optimus humor in pessimum degenerat, quando non ita adtenuatur, ut transpiret.

Acida) In corporibus hominum languentium, & virginum nascitur acida in ventriculo pituita, ab inertia vasorum, quae adtenuandae pituitae praefecta sunt: ea adeo languente vi vitae, morbos parit. Vegetabilia in acidum abeunt, & lac caseum generat, quem tenelli puerorum, & virginum ventriculi superare nequeunt. Inde haec pituitae species huic aetati propria.

Salsa) In scorbuto, catarrho, coryza, materies, quae destillat, salsa est. Qui per quatuordecim dies puro sero lactis absque ullo alio cibo, & potu vivunt, quod MIHI accidit, salem tamen in urina habent, uti fieret, si acria adsumsissent. Ergo NATURA facit salis certam copiam ex ingestis cibis, qui non habebant, nisi salis materiem. Ille ergo sal, quem NATURA corporis nostri ex cibis adsumtis parat, commistus cum inertii pituita, quae ad articulationes haeret, & incrassata stagnat, materiem componit, quae & tenacitate peccat, & salina acrimonia.

Vitrea) Hanc veteres descripserunt, & diu ignoratam, ex duobus casibus singularibus tandem perspexi. Civis erat urbis nostrae, a partu languida, pallens, ex sanguis, & frigida, ut vix vivere videretur, succis interim satis plena. In ea femina vidi, quod GALENUS descripsit, copiose per alvum excretam materiem, quae pellucidate vitrum aemulabatur, spississimam, instar gelatinae cornu Cervi, quae in frigore spissescit, & odore omni destitutam. Hanc pituitae speciem mortalem esse VETERES pronunciaverunt, neque ulla arte superari posse, cum tunc demum nascatur, quando jam integrae corporis vires defecerunt, & ipse calor naturalis. (1732. Vidi hujusmodi aegros, evadere ne unum vidi.

§. DCCLXXXVIII.

Flava] Naturalis hic color est bilis vesicularis.

Vitellina] Dilutior, qualis hepaticae bilis color est.

Porra

Porracea] Viridiuscula.

Isatodes] Ex nigro viridifcente, & flavicante colore.

Moru) Homo sanus, qui mari se commisit, vomit ingesta primum, tum bilem, ab initio flavam, deinde ejusdem, sed saturioris coloris, sensim magis, & magis viridifcentem. Color bilis eo deterior fit, quo magis malum urget. Ita sanissimus homo, cui caput percutitur, aeruginosa vomit, si internum caput laesum fuerit, ex antiquissima HIPPOCRATIS observatione.

Anxietates) In non alio vomitu graviore. Quamprimum enim bilis ventriculum subiit, molestissimum sensum excitat, donec vomitu ejiciatur.

Singultus] A diuturna nausea ventriculi, a qua non diu abesse solet.

Cardialgias) Non ab acido, uti in prima specie, neque ab aromatisbus plenius ingestis, quae secunda est, sed a bile, quae in sanguinem resorbta febrem excitat.

Dysenterias] Varia mala pro variis locis intestinorum, ad quae impetu fertur, In infantibus hujusmodi diarrhoeae virides a bile oriuntur, quas nemo sanaverit, nisi qui novit temperare bilis acrimoniam.

Acutos) Qui periculosi aestimantur, quando bilis sanguini se admiscuit.

§. DCCLXXXIX.

Atra] Humorem nigrum, vomitu rejectum, atram bilem dixerunt veteres, quod in systemate bilis habitat.

Aceti] Quae terram permista fermentat, uti oleum vitrioli, & dentes ad tactu stupere cogit. Talem HIPPOCRATES descripsit, & ipse vidi.

Putrefacti] Quae inter omnes species teterrima est, & mala insanabilia facit.

Dedit] Tunc bilis acris calescit, & ab intestinis premitur.

Mitissima) Quae vocatur humor atrabilarius, non atra bilis, & adustus sanguis est, qui oleosas, atque terrestres, sed acriores particulas continet, postquam particulae subtiliores diffatae fuerunt.

Exacerbata] Picea pars sanguinis. Haec humorum degeneratio malignitate inter omnes excellit. Veteres bilem atram motam dixerunt. Talis maxime aestivo tempore gignitur per nimium motum.

Corrupta) Omnium pessima, & tanto deterior sanguine corrupto, & acriori, quanto bilis sanguine acrior est. Oritur a bile in ipso hepate, cystico ductu, aut duodeno intestino putrefacta. Hujusmodi atra bilis aliquando in febribus epidemicis evomitur, quam nemo causa ignarus sanaverit, cum tamen diluentibus, & bilem temperantibus tractata paucos occidat.

Effectus) Vasa inprimis omnia erodit, per quae fluit, & febres vehementes excitat.

§. DCCXC.

Sanguis] Aggregatum omnium humorum: serum vero aggregatum omnium humorum excepto rubro. Quando in sanguine sero, vel bile sal praedominatur, hi humores cum sale moti, & agitati.... 1732.

Oleo] Olea putrefacta in cellulis, & sanguini subito reddita, & ad cor adlata mira mala faciunt.

§. DCCXCI.

Calculos] Materies dura friabilis, quae in nullo fere liquido solvitur, (praeter spiritum nitri) in cavitatibus vasorum nostrorum quiescens. Non oriuntur ex humorum degeneratione, & videntur ab ipsis corporis nostri oriri.

Urina] Centies haec experimenta repetii, & inter centum urinas vix unquam reperi, quae calculum non contineret; 1732. & in lectionibus publicis de calculo an. 1728. demonstravi, omnem, etiam sanissimum hominem semina calculi secum ferre. Ergo non monstrum in natura est, sed fit ex ipsis elementis corporis nostri, quae emerita, & ad functiones humanas pene inepta, specie minutissimorum flocculorum per urinam excernuntur, quod per microscopium adparet. Unus singularis flocculus non est calculus, centum vero forte flocculi uniti, cohaerentes, & concreti calculum faciunt fabuli grano aequalem, & ex millenis horum similibus ipse calculus major nascitur. Chemia demonstrat, calculi elementa ferè eadem esse, quae ossium, terram, sal, oleum, spiritum. Sed in ipso etiam sero, viisque salivalibus, & pulmonis vasis aereis, & bilariis meatibus calculi reperiuntur. Inter decem mortales, chronico morbo extinctos, vix unum reperies, cui non calculosa aliqua concretio circa bilis vasa infederit, aut in alia corporis parte. In sanguine tamen rarissimi sunt. Nascuntur quiete inprimis, vix in homine, qui agilem vitam vivit, aut inquietiori animo est; sed in iis, quibus necessitas quiescendi incumbit.

Sale] Raro vel marino sale, vel acido, vel alcalino fixo. Cl. SLARE demonstravit in Aëtis Britannicis, ex duabus uncis calculi calcinatis vix drachmam cineris superesse, reliquam molem omnem volatilem abire in oleum, & salem. Id confirmat. Cl. HALESIUS in *staticis in vegetabilia experimentis*, & invenit, calculum vesicae maximam inter omnia corpora vim aeris elastici generare.

Oleo) Sed putrido.

Mole) Primum malum calculi est, quod natus augeatur. Calculum facere facillimum est: si arenulam, vel minutissimum calculum in matula merferis, & saepe recentem urinam adfuderis, & teporem addideris, semper

per aliquid ad hunc quasi magnetem accedet, & increfcet additis fucceffive lamellis in magnum calculum. Huc refero afperitatem fuperfici, quae maxime corpus laedit.

Modus) Calculus ex fe ipfo, dum quiefcit, nihil mali facit, nifi ponderis fenfum, fed irritat, mole, pondere, afperitate; hinc irritatae partes mufculares, & membranae acute fentientes, quae oftem expellere conantur, fe ad calculum adterunt, & dolorem eo majorem excitant, quo magis calculum expellere conantur. Ita cui fabulum in oculum illapfum fuerit, ei palpebrae adeo fortiter, & convulfive claudentur, ut nequeas aperire etiam robuftiffimus: fic emunguntur lacrumae, quae fabulum eluant. Recte HELMONTITUS *de lithiafi*, membranam fe ipfam inflammare. Ergo ut dolorem calculi tollas, neceffe eft tollere adtritum, nempe fopienda eft veficae circa calculum constrictio.

§. DCCXCII.

Infeftorum] Omne animal, quod cognitum fit, generat ex aliis animalibus prius exiftentibus. REDUS in aureis fuis experimentis demonftrat, ex putrefactione nullum animal generari, nifi ovum ex animale in corpus putridum depositum fuerit; neque carnes putridiffimas vermes generaffe, quando aer accurate exclusus erat. Haec experimenta in aere Florentino fecit, in quo intra fex horas vermes in carne nafcuntur. Nullus unquam mortalium contrarium experimentum produxit: & omnia abfque exceptione animalia ex ovo, & ex ovo impraegnato prodeunt. Triplex autem eft generatio animalium: 1. nafcuntur ex mare feparato copulato cum femella feparata. 2. Alia animalia in eodem corpore partem mafculam, & femininam circumferunt, & illa alterius animalis femininam partem fubit, haec ejuſdem alterius individui mafculam partem recipit, uti in limacibus nudis. 3. Alia animalcula fimul funt mafcula, & feminina.

Aere) Experimenta demonftrant, femina pappofa, ovis animalium, & majora, & ponderofiora, defferri in turres, ibique in plantas adolefcere. In Chemicis l. de aere demonftravi, aliquando nubes vermiculorum in aere obvolitare. Cicadarum nubes fuper oceani altiorem alveum volantes vidit in itinere Lamaiceni HANSIUS SLOANE, quae ex Afia in Americam fuper immenſum mare iter faciunt. Non adeo magis in aere animalia rara funt, quam in aqua pifces. Pluvioſus aer plenus eft animalculis rodentibus, ut aliquando veſtes fubito erodantur a pluvia, quae fuper eas veſtes decedit. Eadem ratione vermiculi in nos ipfos irrepere poſſunt, & ibi ova ponere. In India vermes reperiuntur, qui in cutem humanam fe inſnuant, ut fuper fuſum extrahi neceffe fit. Non id quidem volo, quod KIRGHERUS, qui peſtis cauſam explicaturus, adfirmat, totam atmosphaeram undique vermiculis plenam eſſe, eoſque fanguinem noſtrum

nostrum inficere, ut pariter & ipse verminascat, atque hoc pestem esse. Nam huic hypothese experimenta repugnant. Id volo, omnium animalium, quae in hominis corpore latitant, primordia in aere fuisse.

Potum] Acetum vapidum animalculis plenum est. Cerevisia, & ipsum vinum verminascunt, & facilius aqua, quae tota verminosa est, eaque maxime, quae a vegetabilibus prolicitur. LEEUVVENHOECKIUS demonstravit potus nostros aeri expositos in veras animalium piscinas abiisse. Poma, pira, panis, animalculis plena sunt. In butyro; & caseo, diutius adservatis vermes adparent. ROTERODAMI terribile in puella exemplum existit, cui omnes sex sinus pituitarii vermibus plena fuerunt, qui de hora in horam crescebant. Hanc sanavi fumo leviori cinnabarino, & tabaci cum aqua decocto per nares adtracto, quo continuo coegi animalia, ut de naribus defilirent.

Rotundos) Teretes, albos lumbricos: simillimi eorum, excepto colore, qui rubri in terra reperiuntur. Sed & isti vermes arenae arefactae immixti, & tepido lacte irrorati, exalbescunt toti, uti per accurata experimenta constitui; ut manifestum sit, nos hos vermes cum cibo adsumisse. In foetu quamdiu utero materno continetur, nullus unquam vermis visus est, neque in infante, quamdiu solo lacte cocto, cibisque coctis nutritur. Tum demum vermes incipiunt generari, quando cruda adsumuntur.

Latos) Constat per certa experimenta huiusmodi vermes excretos fuisse aliquod centenarium ulnarum longitudine, qui convoluto corpore a pyloro ad colon usque intestinum tenue repleant. Ipse solo vitriolo matris cum melle dato ex Russo homine vermem trecentarum ulnarum expulsi. Taeniae vero ascarides sunt, quae se mutuo retinent.

Ascarides] In solo recto intestino: ibi saepe ante somnum intolerabilem pruriginem excitat. Hi sunt vermes corporis humani quasi propriae vermium species rariores sunt.

Terebrando] Intestinorum a vermibus perforatorum exempla prostrant.

Consumendo) Inde fit, ut verminosi homines perpetuo esuriant, & nunquam pinguescant, licet tota fere die edant.

Horrores] Maxime quando in ventriculum ipsum ascendunt; tunc enim infantes certissime convelluntur, adulti vero homines tantis nauseis adfliguntur, ut ne unico momento temporis perferre possint.

Maciem] Quia chylum interceptum, materiam nutritionis.

Abdominis] Pueri verminosi solent protuberantibus ventribus incedere.

Tumores subitos] Post cibum maxime, quando vermes ex intestinis ad ea loca properant, ubi bonorum alimentorum copia est. Hoc certissimum vermium signum est: in militibus observatio frequens est, cum id hominum genus plurimum crudis fructibus horaeis vescatur, crudamque, & corruptam aquam bibat. Talis morbus castrensis fuit, in quo tuebant, qui cibum sumissent, qui abstinebant, continuo deficiebant animo, &

peribat exercitus. In cadaveribus causa ignoti mali apparuit, intestina nempe veri vermium nidi erant. Hinc fere in omnibus acutis morbis, ubi vermes in intestinis adsunt, nisi comedant aegri, bestiae in ventriculo, & aliquando & ex ore per gulam erepunt, quod signum funestum est, & demonstrat bilem, succum pancreaticum, materiem ventriculi, ipsis vermibus nutriendis ineptam esse: haec enim his animalculis fugae causa est.

Flatus] Id imprimis in exercitibus observatur, in quibus milites saepe quasi ab adsumto veneno turgent: aliquando etiam pereunt ex eo malo, in cadaveribus reperiuntur intestina plena lumbricis, qui catervatim ad novi chyli sedem ascendunt: haec causa est flatulenti tumoris in intestinis; semper enim ab irritatione flatus sequuntur.

§. DCCXCIII.

Mechanica] Omnes sectae hinc acquiescunt; nam haec mala a simplicissima actione materiae pendent, neque referri possunt ad principia chemica, neque ad quatuor qualitates cardinales. Sola moles, & figura, & motus hic efficaciter operantur. Et tamen haec adeo simplex actio praestat eosdem effectus, quos medicamenta, quae ab omnibus pro remediis habentur. Manifestum est adeo, neque a calore, frigore &c. omnes morbos oriri, neque ab acido, vel alcali, quod tamen adfirmaverat F. SYLVIVS. Haec enim theoria neque acris olei, neque lanceolae actionem explicat. Sive acutus metallicus pugio ad corpus adigatur, sive instrumentum ex spina piscis, vel ex osse, vel ex ligno, vel ex lapide factum fuerit; ubique sequitur effectus, nempe vulnus, & sanguinis effusio.

Persuademur) Si in corpore humano rigida elementa nasci possent, sensibus invisibilia, parvorum telorum similia, ea pariter, ut pugiones, effectum mechanico agerent, & vasa destruerent. Eadem autem elementa, ut acuta, vel rigida fuerint, non agunt a morte. Culter acutissimus vaginam suam non laedit, nisi motus.

Simili) Multae causae invisibiles videntur modo mechanico agere. Exclamabat LULLIUS, CREATOREM nullum corpus fecisse, quod simplicitate, & indivisibilitate partium mercurium superaret. Ego ipse mercurium 25. annis torfi, ut secederent in duo principia, & nihil efficit. Verum mercurius iste decies ter gravior est sanguinem, ergo vehementer in eundem agit. Globus plumbeus cereo forte 185. gravior est, hinc, si ambo eodem impetu exploduntur, plumbeus aget vi 185. majori, quam cereus, qui ob levitatem vires, motumque continuo amittit.

§. DCCXCIV.

Adpellatur] Inde tumorum distinctio Chirurgis familiaris, in tumores a fluxione, & tumores a collectione. Fluxionem vocant subito orta mala,

male, v. g. quando calculus ex plevi in ureterem, inde in vesicam devolvitur. Collectio est, quando materiam paullatim in locum obstruentem congeritur.

§. DCCXCV.

Attractio) Ita dividit HIPPOCRATES, qui ait,, omnem partem corporis humani, quae plus calet, vel plus madet, vel fricatur, vel dolet, cito intumescere: quod in brachio experiri facile est, in quo aliquid horum feceris, & cum altero brachio comparaveris. Nostro seculo post inventam circulationem sanguinis, novimus humores ad omnes partes pro earum magnitudinis portione deferri. Quando vero aliquo in loco obstructio nata est, adeoque resistentia alibi major alibi minor est, tunc pelletur humor ad eam partem, quae minus resistit. Hinc ubicunque in corpore dilatatio est, aut laxitas, ibi fluxio nascetur, ut adpareat fluxionem ab obstructione non multum differre.

§. DCCXCVI.

Chemicæ] Ut alcali, & acidum, quae non ut alcali, & acida solum, sed etiam ut opposita operantur, & commixta propria phaenomena producant, alia ab iis, quae efficiunt, separata.

Incomprehensibili] Chemia multorum venenorum actiones explicat. Ita rationem reddit, quare alcohol venis infusum animal occidat. Nempe sanguinem coagulat. Ita explicatur, cur febres contagiosae pessime oriuntur, quando homines per fervidam aestatem carnes putridas edunt. Nempe sales sanguinis mutantur in naturam volatilem, & alcalinam. Omnia vero agunt, vel in solida, vel in fluida, vel in utraque. DEUS singulis corporibus impertivit proprias qualitates, quas PYTHAGORAS mundanas vocavit. Ita ego totus unum sum,, & singula mei pars v.g. digitus, unus vocatur. Sed denuo quilibet digitus componitur ex tribus articulis, quorum denuo quilibet unus est..... Talia corpora una singula suum habent essentialia principium..... Equus ex gramine nascitur, sed gramen in rerum natura nullibi in equum mutatur, nisi in equi corpore. Has nunc essentialia singularium corporum proprietates non possumus mechanice explicare. Qui conati sunt, eorum hypotheses vix per annum superfuerunt. Quae vero ex generalibus corporum proprietatibus pendent, ea mechanica exponit, v. g. actionem adamantis, indomabilis veneni, quia intestina perinde discindit, uti minutae lanceolae. Sed in priori classe nihil explicamus. Arsenicum necat omnia animalia. Si quaeras, unde ea vis deleteria sit? cum in cadaver nihil operetur, chemicus conabitur respondere,, sulfur arsenici hoc facere. Verum haec explicatio relinquit nos in tenebris. Aliquando tamen rationem reddere non licet ob minutiam particularum. Quando vipera

hominem momordit, nascuntur omnia symptomata februm acutarum; & flavescit ipsa cutis in loco vulneris; atque mors ipsa, irritis remediis, brevi sequetur. Id explicare nequimus, etiam si indagaverimus naturam veneni viperini. Experimentum in aula Hetrusca captum est, taurus ab irata vipera ad nares demorsus, cum brevi mortuus cecidisset, incisus est, & nulla mali vestigia aut in solidis, aut in fluidis partibus reperta sunt. Qui effectus veneni bufonis vidit, quod hominibus lethale est, & per anxietates, & convulsiones necat, nullam in cadavere mutationem reperiet, neque in veneno ipso adparet partes, quae tanto effectui pares videantur. Qui vini fermentati vaporem haurit, vel mortuus cadet, vel alia mala patietur: quorum triste exemplum in celebri anatomico Helveto fuit: is enim septiduo immobilis mansit, deinde hemiplegia adflictus est, denique amissa memoria ad plantae fere statum redactus est. Haec nemo explicaverit.

§. DCCXCVII.

Obstetricum] Frequenter omnino accidit, ut hae mulieres pueri cerea corpuscula deformant, & capitis figuram corrumpant, rudius adprehendendo. Inde adeo frequentes fatui, quorum capita semper male formata esse, oblonga, vel angulosa, vel aliter a naturali figura aliena, & EGO vidi, & WILLISIUS observavit. Saepe cogitavi, feliciores fore mulieres, si omnino obstetrices nullae essent. Nunquam enim convenit ars obstetrica, nisi quando aliquid partui obstat: sed hae mulieres non expectant naturae tempora, dilacerant ovum, & extrahunt puerum, priusquam veri doloris adsint, quos Graecis dixerunt *oduras*. Vidi in hac operatione artus puerorum luxatos fuisse, vidi fractum humerum. Quando artus luxatus est, manet tota vita miser, quia malum non cognoscitur. Quando fractus, tunc prodit se brevitae sua. Cui pes in partu fractus fuerit, & adulto curtus erit. Iterum in ea aetate epiphyses facile a capite ossis secedunt, inde plurimi claudi, quibus femur epiphyssi orbatum fuit. In centum claudorum cadaveribus, hanc unicam causam mali reperit DUERNEIUS, fracturam cervicis femoris. Hanc ergo VESTRAM, quando praxin exercebitis, principem curam esse jubeo, ut temerarias coerceatis obstetrices.

Custodis] Saepe fit, ut haec femina plurimum noceat puellis, dum eos in idem brachium, eundemque situm semper reponit, cum corpusculum in omnem situm poni, & undique aequabiliter premi oporteret: ex hoc vero pessimo more ea pars minus crescit, cui puer innititur; altera vero liberius, inde deformitas. Inde non raro femur alterum, aut brachiolum dobilitatur, aut omnino paralyticum redditur. Saepe etiam quando infans gestatus se reclinat, & super brachium retroflectit; illa vero pedes retinet lapsuri, ea actione caput ossis femoris a corpore secedit, dum ligamenta laxa sunt, & fit nova captis femoris cum collo articulatio, unde claudicatio perpetua sequitur. Aliis etiam pessimus mos est,

est; fasciis infantes obvolvere. NATURA foetum suspendit in media aqua tepida, ut flexio undique aequalibilis foret. Nunc matres pueros constringunt, a capite ad pedes usque, ut mumiae videantur, caufantes, ita bene forte corpora. Quando DEO sapientiores! In Asia pueros laxo tantum involucro tegunt, neque tamen ibi vel gibbi homines, vel claudi reperiuntur. Imaginationes vero materiae plerumque aliquid addunt, vel auferunt.

Producunt] Ut magna deformatio a praecedente κακοχυμια oriatur, quando acre cum tenaci miscetur. Id demonstrat Rhachitis, lues Venerea, quae bene natorum hominum ossa distorquent.

§. DCCIC.

Contorsiones] A masculis inaequaliter agentibus.

Hernias] Quae oriuntur a viscosa laxitate membranarum, & a pressione intenta majori.

§. DCCC.

Ignis] Universalis omnium corporum motor, & dissolutor, cujus ope, quando per speculum concentratur, vitra, metalla, lapides, in fluorem rediguntur. Sed in corpore humano, adeo teneriore, quanta mala facit. Omnia corpora volatilia reddit idem, sola terra excepta. Capillus in flamma alcoholis suspensus unico momento temporis comburitur: conservat tamen figuram, nisi distrahas, & manebit cohaesio, sed adeo levis, ut minimo adflatu in cineres dilabatur; sola enim terra capilli superest. Si idem cum frusto carnis tentaveris, perinde comburetur oleum carnis, exhalabit aqua, evolabit omne, quod non terrestre est: id vero remanet integrum, vimque ignis inconsumtum superat, sed friabile erit, & minima vi cohaerebit. Nam fabulosum illud Rabbinorum in lumbis ossiculum risu dignum est: id aiebant solum superesse in corporis ruina, & die novissimo adtracturum reliquas partes corporis: sic explicabant resurrectionem.

ΣΥΜΠΤΩΜΑΤΟΛΟΓΙΑ ΠΑΘΟΛΟΓΙΑΣ.

801. **I**D praeternaturale, quod ex morbo, ut causa, in corpore aegroti fit ita, ut distingui queat tamen ab ipso morbo, & ab ejus causa proxima, vocatur σύμπτωμα morbi; si autem eadem ratione morbi causa fluit, dicitur causae σύμπτωμα: at vero, ubi ex alio priore symptomate, ut causa, prodit, appellatur σύμπτωμα, συμπτώματος. Verum id ipsum quod morbo superaccidit ex diversa a praecedentibus origine potius dicetur ἐπιγένημα, ἐπιγεγόμενον, συμβεβηχός.

802. Unde

802. Unde efficitur ipsa haec symptomata priora revera iterum esse morbos, numero, varietate, effectu, admodum dissimiles; tamen satis commode ex placitis Veterum revocantur ad actiones laesas, Retentorum, & Excretorum vitia, atque qualitates corporis mutatas. Horum recensioi edjuncta causa incumbemus.

803. Prima igitur classis horum digeritur juxta seriem actionum imminutarum, abolitarum, auctarum, depravatarum; unde primo occurrit enarratio symptomatum appetitus in cibos, potus. Adeoque *δυσορεξία*, appetitus cibi imminutus; *ἀνορεξία* idem deletus; *ἀποσιτία* abhorrens fastidium cibi; hinc vita sine cibis; *βέλινος*, *ὄρεξις κυνώδης*, fames aucta, canina, vel bovina, *κισσα*, *μαλακία*, pica, appetitus vix superabilis eorum, quae in nutrimentum commutari queunt, vel eorum, quae neutquam apta huic operi.

Causae horum symptomatum plerumqueprehenduntur puerilitate iners, viscida; obruens, bilis absentia, salini suppressio, fibrarum laxitas, aut paralyfis; furdes a putrido, sanguinis aquosa indoles, obesitas, otium; acrimonia acida, salina, biliosa, atrabilaria, ad stomachum, & intestina delata, vermes, fibrarum in iis validum robur, motus assiduus; acer humor praedominans, vix nisi insueto assumpto compescendus, circuitus sanguinis mutatus, imaginatio depravata, gravidis inprimis.

804. Potus desiderium inexplebile, sitis nimia; solet oriri a nimia siccitate; a spissitudine humorum inmeabilium; a calore nimio; ab acri muriatico, ammoniaco, alcalino, aromatico, oleoso exusto; a venenis.

805. Manducatio laeditur vitio oris, linguae, dentium, maxillarum, salivae, muscutorum, quod pendere potest a vulneribus inflammatione paralyfi, spasmō, siccitate.

806. Deglutitio laeditur quoque vitio oris, linguae, palati penduli, tonsillarum, uvulae, laryngi, pharyngis, oesophagi, ventriculi superioris; atque illud accidit per vulnera, inflammationem, dolorem, tumorem, spasmum, paralyfin, siccitatem, *χονδρογενίαν*, luxationem partium laryngis, aut vertebra- rum colli, absentiam mucī.

807. Actio

807. Actionis stomachicae laesae primae species sunt *ἀπεψία*, *δυσπεψία*, *βραδυπεψία*, *Διαφθορά*, quando cibi ventriculo contenti, aut non coquantur; aut tarde, & difficulter; aut si in putrem humorem a bono chylo diversum commutantur: causae sunt eadem fere ac *ἀνορεξίας* (803.); maxime defectus, & inertia, salivae oris, & ventriculi; organa respirationis languida; fordes; vermes; tenacia ingesta; putridorum humorum affluxus. Celerior autem digestio, caeterum bona, raro morbus est, aut causa ejus jam in *βελίμω* explicata (803.)

808. Vitia vero expulsionis ex ventriculo recensentur singultus, nausea, vomitus, cholera, ructus. Quorum primum est, ut videtur, convulsio oesophagi ventriculum, & diaphragma sursum trahens, dum simul diaphragma subito deorsum convellitur; causa autem ejus deprehenditur celeris deglutitio copiosi ingerendi, copia ingesti; acrimonia ventriculo inhaerens; inflammatio oesophagi, ventriculi, septi transversi; spasmus a nimia evacuatione, vel ab excessu vomitus exercitati; venena acerrima.

809. Nausea, & vomitus videntur esse motus spasmodici retrogradi fibrarum muscularium oesophagi, ventriculi, intestinorum, simulque convulsiones validae musculorum abdominalium, & septi transversi; quae leniores nauseam, violentiores vomitum, creant. Fiunt autem hae a copia nimia, aut acrimonia ingesti, a venenis, laesione cerebri vulnerati, contusi, compressi, inflammati, ab inflammatione diaphragmatis, ventriculi, intestinorum, splenis, hepatis, renum, pancreatis, mesenterii; ab irritatione gulae; a motu perturbato spirituum per agitationes insuetas in rheda, mari, &c. ab idea rei, quae nauseam, vomitumve, saepe excitavit.

810. Cholera vero, violenta sursum, deorsumque expulsio ex ventriculo, & intestinis; est convulsio vomitum creans, (809) & simul fortis intestinorum deorsum spasmus; causae itaque eadem; at violentiores ut plurimum, maxime ingurgitatio fructuum horaeorum, & fervidum Augusto mense coelum.

811. Est ructus explosio materiae elasticae convulsiva contractione fibrarum oesophagi, ventriculi, intestinorum, compressae.

pressae, mox iisdem resolutis, liberatae; haec autem fit a cruditate, putredine, acore, fructibus horaeis, musto, liquoribus fermentantibus, venenis, morbis spasmodicis, omni acrimonia valida.

812. At expulsio & ventriculi, & intestinorum laesa quoque habetur in *λειενπερία*; quae est cita expulsio per alvum alimentorum, quae ventriculo ingesta, non mutatorum; cuius quidem causa est inertia humorum, ut in *ἀνορεξία*, & *ἀπεψία*; tum laxitas summa ventriculi, & intestinorum; respiratio interim satis fortis.

813. Si chylus una cum faecibus alvinis ejicitur, vocatur Affectio Coeliaca; ubi videntur concurrere pro causa constituenda stomachus, & humores satis validi, dum interim intestina nimis laxa, aut oscula vasorum lacteorum quacunquam de causa obstructa.

814. Diarrhoea est frequens, & copiosa, per alvum egestio excrementorum liquidorum, sive ex cibo, potuque, sive ex humoribus quibuscumque undecumque delatis in intestina, exorta fuerint. Ejus vero causa est vel acre intestina irritans, humores exprimens, ex hepaticis, pancreaticis, mesentericarum, & lactearum, obstructa; vel laxitas ingens fibrarum intestinalium; denique aliae excretiones impeditae.

815. Dysenteria est diarrhoea cum dolore notabili, cuius materies eadem, quae diarrhoeae, sed acrior, & praeterea ergo bilis, feri, cruoris, mucii intestinalis, puris, saniei, bilis atrae, fibrarum, caruncularum, membranarum. Inde & causam habet eandem, at violentiorem, quae saepe acrimonia quaecumque humorum, tum inflammatio ulcus, gangraena, vel intestinorum, vel partium suam colluviem in eam deponentium.

816. Ileus vocatur rejectio violenta per os eorum, quae cibi, potus, medicamenti titulo assumta; aut chyli, bilis, feri stomachici, pancreatici, intestinalis; bilis atrae, mucii, puris, ichoris; faecum intestinalium; clysmatum ipsorum. Cuius quidem symptomatis proxima causa semper videtur motus inversus fibrarum, intestinorum, ventriculi, oesophagi, accedente simul causa quacunquam

cunque (809. 810.), vomitu; remotior vero est inflammatio, volvulus, apostema, scirrhus, cancer, faex dura, calculus, hernia, convulsio, intestinorum. Ex his retentio faecis durioris in origine, causa, natura, effectis, intelligitur.

817. Si autem generatio, & excretio in intestina, Bilis laeditur, symptomata inprimis oriuntur haec; icterus, cachexia biliosa; calculus, gypfus, hepatis; obstructions; excrementa alvi alba, dura, ficca; appetitus deletus; ciborum digestio impedita; miscela impedita partium assumtarum; Tympanites; hydrops: pro causa agnoscit plerumque hepatis inflammationem, exsiccationem, obstructionem; humorumve ejus, & abdominalium viscerum, inspissationem quamcumque.

818. Si autem lymphæ pancreatis, hepatis, intestinorum, laeditur in sua confectione, vel motu, oriuntur symptomata quam simillima recensitis (817.); quin & causae erunt similes.

819. Sanguinis in corde mutatio, ejus est modo receptio, mora, expulsio; quae si nimiae quoad motum, faciunt febres continuas, ardentis, validas; sin vero remota longior, vel expulsio languidior, tum fiunt languores, concretiones polyposae, vel pituitosae, frigus, leucophlegmatia, hydrops, atque plurimi diversi alii hinc oriundi morbi.

820. Actio laesa pulmonum tam respiratoria, quam transmissoria sanguinis, consistit inprimis in augmento, vel decremento efficaciae ejus in sanguinem; a priori videtur oriri Διάθεσις φλογιστική; a posteriori αιματοποιήσιος impedimentum, & nutritionis, unde καχεξία, άτρφία, φθίσις, & infinita mala, causa autem illius actionis laesae est omnis labes organorum multiplicium, quae respiratione exercendae ferviunt.

821. Secretionis Urinae laesae symptomata praecipue sunt. 1. Γσχρία, nempe, integra retentio urinae nullo modo excretae; cujus causae primariae, plethora, inflammatio renum, ureterum, vasicae, colli vesicae, urethrae; earundem partium spasmus, pressio; tum & obstructio a lapide, pituita, pure, thrombo, caruncula, apostemate, tumore.

822. 2. Est Δυσσεμία nimirum urinae excretio cum molestia, Tom. V. R conatu,

conatu, aut dolore; cujus species *Συραγγαία* dicta, ubi habetur stillatim cum sensu ardoris emissum lotium, causa utriusque mali multiplex, nempe acrimonia inprimis retentis, fermentantis, cerevisiae; vini, aut faecum utriusque; acrimonia acida, falsa, alcalica, oleosa; aromatica, biliosa, humorum, excoriatio partium vesicae, aut urethrae ab inflammatione, ulcere quocunque, atterente calculo, causticis maxime infectis assumtis; calculus occludens, tumorve, in vesicae collo, ejusve urethra.

823. 3. Censetur urinae Incontinentia, quando sine voluntatis, respirationisve, nixu, sponte effluit; oritur ut plurimum a resolutis, dilatatis, discissis, suppurando consumtis, gangraena putrefactis, fibris sphincteris vesicae.

824. 4. Denique est *Διαβήτης*, quae est urinae chylosae, vel lacteae, frequens, & copiosa trajectio; causa ejus censetur nimia laxitas fibrarum in arteriis urinosis, concurrens simul cum humoribus valde dilutis, quae utraque ab aquosis.

825. Actio autem Vitalis laesa spectat maxime pro symptomatibus pulsum cordis, respirationis exercitationem, vel utraque simul.

826. Ita quidem, ut ergo 1. primo numeretur Palpitatio cordis, quae dicitur violenta ejus contractio una cum magna resistantia sanguinis a corde pulsi; causa ejus plerumque est inordinatus, & violentus, spirituum vitalium in cordis villos impetus, ut in summi animi affectibus, subito terrore, affectu hysterico, motu violento, & subitaneo, evigilatione praecipiti; aliquando est irritatio fibrarum cordis ab acri quodam stimulo facta, ut in cacochymica materie mota, inflammatione cordis, pericardii, hincve male affectis a calculo, vermibus, pilis, aneurismate; deinde a cruore spisso, polyposo, copiosiore; tandem ab arteriis cartilagineis, ossive, factis, aut his ad extrema obstructis.

827. 2. Pulsus arteriarum intermittens contingit aut vitio liquidi cerebellosi inaequaliter influentis in cor; aut vitio vasis transmittentis sanguinem, & humores; vel denique peccante humore illo, qui fluit per vasa; causa proinde hujus mali varia,

ut

ut convulsio, polypos, cacochynia pituitosa; inflammatio arteriosa, pulmonica, cardiaca, sanguis deficiens, arteriae osae, cartilagineae, aneurysmaticae calculo infarctae, cor male affectum vario modo.

828. 3. Pulsus crebrior oritur semper a celeriore contractione systolica cordis; haec autem a frequentiore influxu spirituum cerebelli, & difficiliore progressu liquoris expellendi; quo faciunt acre, & obstructum.

829. 4. Pulsus imminutio, vel deletio; quae reducitur ad *λειποθυμίαν*, ubi eo usque deficit, ut vires multum debilitatae corpus vix sustineant; *λειποψυχίαν*, quando haec eo usque increfcit, ut & naturalis calor multum labefactari incipiat; *συγκοπήν*, ubi cor eo usque deficit, ut calor, motus, sensus, fere deleantur, sudoresque frigidi exprimantur; *άσφυξίαν* ubi omnia illa quoad sensum deleta mortis imaginem simulant. Causae horum symptomatum variae, varioque gradu constantes, similes fere iis, quae (827.), inprimis ideae rei horridae, graviditas, animi affectus, spasmi, inanitiones quaelibet, maxime sanguinis in vulneratis, parturientibus, abortientibus, cancrofis.

830. Respiratio vero laesa symptomata primaria numerat
1. *Απνοίαν*, ubi integre definit; & agnoscit pro causa fere quae in pulsu imminuto recensita (829.); tum eo spectat aer vitiosus (746. ad 754.); venenati vapores, causticique acidi, vel austeri; paralyfis, vel spasmus organorum respiratori famulantium (602. ad 625.); ut & alii morbi, qui harum partium functionem omnino destruunt.

831. 2. *Δυσσπνοίαν*, in qua cum molestia, dolore, fatigatione, respiratio contingit; haec quidem habet easdem, ac prior, causas (830.), sed leviores, quo & mala facit prae caeteris peccat ris conformatio.

832. 3. *Αόθμα*, quae est frequens, molesta, sibilosa, respiratio plerunque orta a causis dyspnoeae pertinacioribus, sed maxime, ut viderur, a constrictione spasmodica fibrarum muscularium in pulmone.

833. 4. *Ορθοπνοίαν*, quae anhelosa, difficilis, stertens, sola

erecta cervice, & thorace absolvenda, respiratio; causae iterum eadem [830. 831. 831.], sed vario insultu agentes, recedentesque.

834. 5. Catarrhum suffocantem; qui videtur esse subita occidens ἀπνοία; habet & hic causas easdem (833.), maxime observantur frequentes, materiae eliquatae in fauces, & pulmones subita destillatio; nervorum summa vitia, ut in hysteriis; polypus cordis major subito in pulmones trusus.

835. Verum omnia haec symptomata (830. ad 235.) solent produci a causis quibusdam notabilibus per incisa cadavera, vel excretionem materiae, manifestatis; quae sunt primario Thoracis repletio per extravasatam lympham, pus, sanguinem, etiam inflammatio laryngis, asperae arteriae, bronchiorum; pulmonum, pleurae, mediastini, diaphragmatis, pericardii, musculorum thoracis respirationi servientium, ut & abdominalium, tum & materies diversa, polyposa, gypsea, pituitosa, calcea, calculosa, purulenta; tum quoque tumor circa laryngem, in ea, ut in pulmonibus, vel thorace, inflammatorius, suppuratorius, scirrhosus, cancriosus; tandem & lata accretio pulmonum cum pleura.

836. Visus laesi symptomata numerosa recensione causarum juxta diversitatem locorum optime distinguuntur; primo enim partes coercentes bulbum oculi male afficiunt premendo, protrudendo, extrudendo, erodendo, per tumores inflammatos, apostemata, scirrhos, cancrios, exostoses, caries ossium orbitam constituentium; inde enim figura, humores, circuitus, visus axis, collectio radiorum in debito loco depravantur.

837. Deinde etiam palpebrae inflammatae, suppuratae, inflatae, conglutinatae, concretae, grandinosae, visum mire turbant variis quidem de causis, sed maxime frequenter per glandulas sebaceas male affectas; etenim omnibus oculi fordescent, similia pati incipiunt, aciem amittunt, humores pervertunt.

838. Quin etiam peccato lacrimarum abundantium, exacerbantium, spiffescentium, ad lymbos palpebrae utriusque natantium guttatim, inde in genas ex oculis destillantium; sunt hic humiditates turbantes aciem, erosiones inflammato-
riae.

riae , obfuscationes , fistulae lachrymales ; contingent illa vitio laxitatis nimiae in glandula lachrymali , aut acrimonia , & motu nimio materiae lacrymosae , tum mala forte figura tarforum palpebraliū , aut malo habitu carunculae angularis , vel mala , variaque dispositione osculorum palpebraliū absorbentium lachrymas , fistularumque has deducentium in faccum lachrymalem ; iterum hujus quocunque recessu a statu naturali , & canalis nasalis , vel membranae nares intus succingentis illo peccato , quo exitum per hunc canalem in cava narium impedit ; sunt autem omnes causae , quae priores enarratas creant , quam plurimae .

839. Deinde vero depravatur , impeditur , aboletur , Visio , tunicae Corneae , atque Adnatae obscuratione , dealbatione , incrassatione , oedemate , ptychaena , inflammatione , ungue , sarcofi , perla , cicatrice , panniculo , albugine , cartilagine ; quae etiam ex causis variis , diversisque , accidere solent ,

840. Quando etiam humor aqueus deficit , fit oculi marcor , corneae corrugatio , si abundat , nascitur oculus elephantinus ; si stagnat non renovatus , putrescendo totam fabricam oculi pessundat ; si colorem accipit , spissaturve sive in mucī , sive in pituitosi , indolem , hinc suffusiones , cataractae , oculorum color alienus ; haec plerunque inter interiora uveae , & inter lentem crystallinam ; estque causa fere inflammatio , cacochymia , aut nimis coagulantium imprudens applicatio .

841. Si Uvea inflammatur , oritur ophthalmia maxime dolens , brevi perniciosissima visui ; si suppuratur , perditur acies & visus ; si immobilis fit , simulque contracta , oritur *ήμηνραλωπία* , quae & contingit , ubi cataracta minor , ad margines tenuior , in medio spissior , adest ; si autem immobilis , & simul valde aperta , tum *νοκτωλωπία* oriri videtur .

842. Verum etiam fit , ut Lens Crystallina opaca , inflammata , suppurata , hydropica , corrupta , atrophica , facta producat glaucoma , cataractam , visum hebetem , coecitatem opacam , *άμβλωπίαν* : si vero eadem laeditur in sua figura , mole , spissitudine , tenuitate creabit mulra , varia , & saepe mirabilia , mala , visui accidentia .

843. Imo & figura nimis sphaerica prominentis bulbi, quā etiam parvitas pupillae, & multae conditiones minus clare haecenus perspectae in longitudine oculi, in ipsa lente, ejusque situ, poterunt *μυωπία* variam afficere; ut contra in planiore oculo, aut longiore, tum & ex varia indole lentis, ejusque situ, *πρεσβυωπία* nasci poterit.

844. Sed vitreus humor iisdem vitiis jam enarratis (840. 842.) obnoxius mala fati similia pati, & producere poterit.

845. Membranae Retinae varia vasa multa pati, diversa efficere, queunt; etenim eorum hydrops, eodema, phlyctæna, inflammatio, compressio; ut & nervi optici ipsius, atque membranarum eum involventium, similes morbi; tum tumor, steatoma, abscessus, hydatis, lapis, inflammatio, extenuatio, exesio, corruptio, obstructio, cerebro accidens ita, ut libera communicatio intra nervum opticum, ejusque originem in parte medullosa cerebri impediatur, vel omnino aboleatur; omnia haec vario modo efficient imagines, floccos; scintillas *ἀμώρωσιν* dictam Guttam Serenam.

846. Et paralyfis, vel spasmus musculorum, qui oculum agitant horum distractiones variae ortae ex ossibus orbitae male affectis, tum etiam vulnera, ulcera, inflammatio, pressio, possunt facere *βινωπία*, strabismum, luscitatem, adspæctum truce[m], & talia mirabilia mala.

847. Tunica tandem Choroeides, Ruyschiana, Uvea, vasis sanguiferis abundantissimae, inflammationi, & suppurationi obnoxiae, valent *ὕπόπυον* tandem producere, quin & a variis admodum diversarum in oculo partium morbis alucinatio, fallacia, confusio, hebetudo, coecitas, produci poterit frequentissime.

848. Auditus laesi primaria symptomata quidem numerantur, ejus augmentum, imminutio, ablatio, depravatio.

849. In acutissimis cerebri, nervorum, membranarum, morbis, his ut videtur nimium tensis, saepe oritur intolerabilis fere *ὄξυηκοία* minimo sono validissime afficiente cerebrum, atque excitante aliquando convulsivos motus.

850. *Βαρυηκοία* dicitur, vel gravis Auditus, quando perceptio

tio soni minor est quam ejus magnitudo in sanitate requireret; oritur autem ex plurimis sane, iisque diversissimis profecto, causis, commodissime juxta varia loca affecta enarrandis, sunt enim auris externis nimis plana, vel ablata; meatus auditorius nimis rectus, angustus, obstructus a tumore quocunque, ab infectis, pure, sordibus, cerumine concreto; membrana tympani laesa, laxa, spissa, callosa, crusta adhaerescente fungosa spongiosa, & crassa reddita; concha interna impleta ichore, pure, pituita, tumoribus membranae eam undique investientis, pulvere illapso post ruptam membranam tympani, canalis Eustachianus impeditus, obstructusve; officula a nexu suo soluta, atque per meatum saepe rejecta, suppurata membranula colligante, ut post diros dolores inflammatorios auris internae saepe contingit, aut officula absentia per malam conformationem, exsiccatio, laxatio, spissatio, inundatio, nimia tensio, corruptio, exesio, induratio, membranulae fenestrae rotundae, atque ovalis; vestibuli, labyrinthi, cochleae, meatum ossis petrosi, vitia admodum varia, inflammatoria, obstructoria, paralytica, & quae ex his, ut causis, iterum enasci poterunt, tum horum mala structura auditui contraria; tandem omni impedimento, quo nervus mollis auditorius a suo ingressu in os petrosum, usque ad medullam oblongatam, vel hinc usque ad originem in medulla cerebri, media via impeditur, ut sunt inflammationes, tumores, exostoses, cerebri laesa functio, & plurima praeterea mala: unde perspicitur ratio difficilioris curationis horum.

851. Etiam vitio aeris externi, maxime humidi, & nebulosi; aut interni non potentis libere ingredi, exire, accidit depravatio Auditus; tum imprimis hic nocent morbi illarum arteriolarum, quae ornant membranulas in toto organo auditus ubique dispersas; inde enim facilis intellectus, tinnitus, bombi, echus, susurri.

852. Si tandem omnia haec vitia enarrata (849. 850. 851.) validissime increscunt, diu admodum persistunt, tum oritur κώφωσις vel perfecta surditas, hincque loquelae ignorantia, vel oblivio, cujus causa saepe concretio tubae Eustachianae saepe.

saepenumero in lue gallica exesit faucibus, deinde cruditate labiorum unita concretis.

853. Olfactus etiam minuitur, aut tollitur; 1. defectu, aut soliditate, quatuor officulorum spongiosorum, vel cavernarum in offei frontis, maxillae superioris, & cuneiformi offe; 2. membranae olfactoriae siccitate, humiditate, inflammatione, suppuratione, gangraena; 3. compressis olfactoriis nervis per tumores quoscunque hic enatos, exostoses, polyposque 4. a vitiis in cerebro ad originem horum nervorum, ut ante jam dictum in aliis sensibus, depravatur etiam a foetore materiae cujuscunque in locis his cavernosis stabulante, atque affiduo exhalante.

854. Gustus quoque minuitur, tollitur; depravatur; priora bina contingunt, si papillae gustantes linguae obducuntur crusta, fordibus, mucositate, aphthis, pelliculis, pustulis, verrucis; inflammatione, exsiccatione, laesione accedente saepe simul nervorum quinti & noni paris. Depravatur vero vitio humoris praedominantis, inprimis id saepe haeret in saliva ori infusa, quae sapore peccans multa hic producit effecta saporis biliosi, alcalini, acidi, salini, aeruginosi, oleosi, saccharini, cadaverosi, haud aliter, ac si res assumtae repraesentato hoc sapore donarentur.

855. Tactus laedi solet primo in stupore vix sentiente, vel admodum obtuse, & quasi per interpositum medium; quod contingit prae frigore nimio extremi organi, vel nervi, aut cerebri, vitio, ut ab interposito cujusdam sensui ineptae materiae; deinde in nimis acuta sensibilitate, vitio nervum non satis tegentis cuticulae, ejusve forte nimia tensione, & teneritudine simul; etiam in abolita plane Tangendi facultate ab omni causa, quae nervos; cerebrum, aut utraque, inepta reddit colendo huic muneri, ut profecto Apoplexiae, & Paralysis historia satis docet.

856. Pervigilium oritur 1. a nimia determinatione liquidi nervosi ad organa Sensuum; 2. a nimio ejus raptu versus cerebrum, obstructis inferioribus a frigore, aliave causa, ut in hypochondriacis, melancholicis, maniacis, inferius frigentibus;

bus; ab irritante quocunque, & ubicunque posito, quod organa Sensuum, maxime cerebri, vellicat; 4. a nimio motu humorum, cerebri meatibus adhucdum apertis; 5. a morbis, in quibus illa praememorata praedominantur, ut a febribus, phrenitide, melancholia, doloribus, suppurationibus, & similibus malis.

857. Sed nimia Somnolentia oriri solet ab omni causa, quae impedit liberum fluxum, & refluxum spirituum bonorum, & fatis copiosorum, a medulla cerebri per nervos ad organa Sensuum, & musculorum voluntati fervientium, iterumque ab iis ad originem horum nervorum in medulla cerebri; est quidem haec causa multiplex admodum, tamen referenda facile ad plethoram, obstructionem, humorum effusionem, vasorum compressionem, inflammationem, suppurationem, gangraenam, inertiam, collapsum ab inanitione, usum opii & narcoticorum, aromatum, spirituosorum fermentatorum, naribus nimis applicatorum, vel corpori ingestorum, cibos duros, pingues, copiosos, diuque in stomacho haerentes, magna nimis copia ingestos.

858. Κῶμα ἀγρυπνηῶδες; insuperabilis proclivitas in Somnum cum perpetua a terribili insomnio excitatione, agnoscit causas (857.) similes prioribus, accedente interim magna stimulatione ab ingenti plerumque inflammatione concurrente. Κῶμα ἀγρυπνηῶδες, assidua dormitio cum assiduo in eam post excitationem relapsu, causas habet plurimas fere easdem, & majores jam explicatis (857.) Κάρος, profundissimus somnus cum repentina sensuum, motuumque, abolitione, una cum febrem acuta, & difficili admodum excitatione, est Apoplexiae calidae genus levius. Ἀήθαργος, profunda, tranquilla, obliviosa, somnolentia, ex lenta, frigidaque, causa caeterum simili multis causis (857.) dictis, atque saepe ex concursu variarum talium orta. Καταφορά ab antecedentibus vix differt.

859. Ἀναίσθησις, facultas ablata percipiendi actiones objectorum sensibilium in organa Sensuum externorum; tum & variis gradus illius, stupor, hebetudo, confusio; memoria minor,

major

major abolita, confusa; iudicii facultas vacillans, deleta, confusa; ratiocinandi facultas vacillans, deleta, turbata; delirium, stultitia, furor, mania, imaginatio depravata; omnesque morbi huc referri soliti; pendent quidem ex multis, atque diversis plane causis, ita tamen, ut commode peti queant ex his, quae ordine explicatae jam sunt (836. usque ad 859.); in quibus tamen aetas, affectus, rigiditas, laxitas, concretio, deletio solidorum; inspissatio, acrimonia, inertia, fluidorum, ut principes inter caeteras deprehenduntur.

860. *Ἀποπληξία*, ablatio subita, integra, Sensuum exteriorum, interiorum, motuumque voluntariorum omnium respiratione, & pulsu perdurantibus, saepeque auctis, superstitionibusque functionibus, quae a prioribus immediate pendent; causam habet in cerebro id omne, quod impedit fluxum spirituum ab origine medullae cerebri per nervos cerebri; haec est multiplex, & referenda apposita satis ad omnes eas, quae comprimunt cerebrum externe, interneve, revocandas ad quinque classes primarias, quae 1. Fracturae, impressiones, exostoses, tumores, compressiones cranii, inprimis in juventute, & pueritia adhuc teneri. 2. Humores cruenti, serosi, purulenti, pituitosi, saniosi, stagnantes, effusi, iis locis, ubi possunt comprimere, vel erodere cerebrum, ejusque membranas, ut inter cranium, & meningas, inter has, & cerebrum, in ventriculis cerebri, ad medullam oblongatam, ad medullam spinalem. 3. Tumores inflammatorii, aquosi, serosi, purulenti, mucosi, sebacei, scirrhosi, lapidosi, iisdem in locis, & eodem effectu compressionis enati. 4. Impedimenta fluxus sanguinis appellendi, perfluxuri, ad cerebrum, vitio praecipue vasorum vulneratorum, compressorum, obstructorum vitio polyposi spissamenti, fideratorum. 5. Impedimenta similia nata in venulis, sinibus, venis in quae redit a cerebro humor sanguineus, nascuntur autem haec impedimenta quam maxime a compressione venarum.

861. *Παράλυσις*, immobilitas musculorum flaccidorum; causa impeditus influxus spirituum in villos musculorum, vel cruoris arteriosi in ejus vasa; contingit vitio cerebri, nervi, musculi ipsius, vel ejus arteriarum.

Παραπληγία, immobilitas omnium musculorum sub capite, qui habent nervos a cerebro, & cerebello sub cranio egressos, causa ideo plerumque haeret ad ventriculum quartum, cerebri, vel ad initia spinalis medullae.

Ημιπληγία, idem morbus, sed modo ad unum latus totius corporis; hinc causa eadem, sed uni modo lateri cerebri, aut medullae spinalis, applicata.

Παράλυσις partis singularis & hinc clare cognoscitur, atque intelligitur, cur in apoplexia simul adsit paraplegia, aut saltem hemiplegia valida? Item cur ablatae apoplexia alterutra harum fere ubique succedat, diuque restet.

862. *Ἐπιληψία*, Morbus Caducus, est subita, integraque, abolitio Sensuum externorum, internorum, motuumque voluntariorum cum reciprocis violentis convulsionibus, & resolutione: unde videtur hic concurrere causa duplex, & quasi opposita, partim apoplexiae, partim pervigilii, aut comatis vigilis (856. 858. 860.), vicissim agentes, nec adeo fortes, nec tandiu durantes, ut ibi.

863. *Δῖνος*, Vertigo, apparens rotatio objectorum, atque membrorum vacillatio, causae ut apoplexiae, sed leviores.

864. *Σπασμός*, Convulsio, est invita, violenta, contractio musculi, cum attracta simul parte musculo appensa; causa, liquidum nervosum fortiter, & diu in musculum influens, cujus causae infinitae, in sanguine, arteriis, menyngibus, cerebro, nervis, musculis, cranio.

Τέτανος rigiditas, convulsio invita, violenta, musculorum parti flectendae, & extendendae propriorum simultanea; quae hinc vel universalis omnium simul, vel singularis unius cujusdam membri.

Ἐμπροσθένος est spasmus musculorum, caput, collum, thoracem, lumbos, ad anteriora flectentium.

Ὀπίσθένος, est spasmus musculorum caput, cervicem, dorsum, retro flectentium: & liquet facile attendenti, quod posteriorum causa una & eadem ut spasmi, sed magis universalis, & fere semper subtilis, acerrima, venenata.

865. Hinc bene patet, cur vertigo, convulsio, inprimis uni-

versalis morbus caducus, resolutio, imprimis si majores, pertinaces, & ex interiori causa, fere semper tandem in apoplexiam transeant.

866. Excretorum, & retentorum vitia jam apposita in causis morborum praemissis (772. ad 779.), unde petenda tam haec, quam eorum causa: vermes, calculi, & similia insolita huc possunt referri.

867. Qualitas corporis vitiata dicitur, quae dispositionem in sensus incurrentem laedit; consideratur vero hic quammaxime quoad colorem, odoremque.

868. Cutis cuticulae tunicae, oculi adnatae, tunicae corneae, labiorum, oris, linguae, faucium, carunculae oculi, color pallidus, flavus, viridis, lividus ruber, ater, pendet a similibus corporibus per pellucida vascula translucens; & prout varia serie se mutuo exceperint, etiam varias causas agnoscunt; ut in phlogosi, gangraena, sphacelo &c. patet.

869. Offium pallor, rubedo, flavedo, fuscus aut ater color, a contusione, inflammatione, abscessibus, medulla morbosa, ablatione periostei, carie, spina ventosa.

870. Foetor autem oritur ab humoribus stagnantibus, affusis, corruptis, vel venenatis; ut & ab omni causa, quae olea, & sales nimium attenuat, & volatilia reddit, ut est inedia, calor, motus nimius, acrimonia nimia assumti.

§. D C C C I.

Morbi) Hoc est, una pars morbi seorsim considerata: & ex hujusmodi symptomatum congerie ipse morbus componitur; exemplum est ardor in febre ardente. In Pleuritide inhibita inspiratio est, symptoma morbi.

Causae) Effectus causae, quatenus causa a morbo diversa est, exemplum est in febre ardente effluxus sanguinis de naribus, cujus causa nimius adritus est.

§. D C C C I I.

Veteres) Volebant, medicum debere ante omnia definire nomen morbi, deinde causam, sive ea in ingestis, sive in medicamento &c. fuerit:

rit: porro considerare, cum quibus signis invaserit malum. Et certum est, si hac ratione novelli medici casus suos eadem severitate consignaret, ac si continuo novo examini subjiciendi forent, fructus hujus diligentiae per totam vitam futuros amplissimos. Porro adnotanda essent *excreta*, quo tempore, qua copia, v. g. perspiratio SANCTORIANA, sudor, saliva, faecum color, odor intolerabilis.

Qualitates) ARISTOTELES qualitatem vocavit id, ob quod entia vocantur talia. Nos in corporibus qualitates vocamus id omne, quod sensibus observatur. Ergo observandum, an albus color sit, an lividus, an faeces alvinae faeteant, malo omnino in omni morbo, quod putredinem demonstrent.

Incumbemus) SENNERTUS haec eadem tradidit, sed nimis subtiliter, ut difficiliorem doctrinam fecerit. EGO vero ausus sum haec perturbare

Id ipsum] Haec res maximi momenti est. Tres medici curant eundem morbum in tribus hominibus, tribus diversis methodis. Galenicus mittit sanguinem ad cessationem doloris usque, vel ad deliquium animi; & quam sanavit aeger, is per annos languebit prius, quam vires recuperet. Helmontianus nullum sanguinem mittit, ergo aeger patietur ea symptomata, quae ex inflammatione sibi relicta oriuntur. Tertius mittit sanguinis, quantum sufficit ad prohibendam subpurationem, & aeger intra 14. diem integre restituitur, Inde nunc nascitur enormis illa diversitas in observationibus medicorum practicis.

Συμπτωματος] Exemplum est tumor parotidum, productus ex sanguinis extravasatione, quae ipsa ex symptomate causae producebatur (hic error codicis subest). In Pleuritide symptoma symptomatis est, quando ab inhibita respiratione sanguis in pulmone congeritur, adeoque morbus non a morbo adeo, quam a symptomate symptomatis oritur.

Συμβεβηκος) Quae oriuntur; non ex morbo, sed ex aeris mutatione, ex adstantium errore &c. Ita in febre ardente peripneumonia post potum frigidae, non morbi effectus est, sed commissi erroris; vel, si pleuriticus vinum biberit, patietur alia symptomata, quae ab hoc potu ortum ducunt.

§. DCCCIII.

Depravatarum] Omnis actio in corpore humano pendet a causis suis, hunc neque alium, neque majorem, neque minorem effectum producentibus. Depravatas vero causas actionum necessario alia phaenomena sequuntur.

Δυσπεψία) Hac laborant quibus mucus inere in ventriculo est, vel bilis deficit, quae appetitum faceret, si in ventriculum veniret. Er-

go hic amara exhibenda sunt, vel salia, moderato usu.

Αποσιτισία) HIPPOCRATES ait, in omni morbo nihil deterius esse; quam appetitus destructionem conjunctam cum ciborum horrore.

Κίσιος) Ita vocamus appetitus abnormes ciborum, qui digeri nequeunt, v. g. gravidarum, aut virginum chlorosi laborantium, Talem vidi perire puellam, quae sericum kermesino colore tinctum deperiebat.

Pituitae] Quae nervos ventriculi papillas ita obruit, ut a saliva, motu jugorum, & ciborum reliquiis vix adficiantur. Oritur lenta congestione absque febre.

Salini] Uti fit in laxitate nimia abundantia aquae. Tunc amara conveniunt, quatenus bilem acuunt, pituitam incidunt, & fibras roborant.

Paralysis) Hinc pariter, & anorexia, & linteria oriri potest, delecto similiter & ventriculi & intestinorum robore. Tale malum aliquando ab extensione ventriculi nimia post convivia oritur.

Putrido) Vir nobilis post anorexiam incidit in ciborum horrorem, ut ad solum nomen cibi nausearet; nimia vero foetidissima erat. In cadavere demortui . . . putridum inventum est. Eadem a rancescente oleo mala contingunt. Nam ipsius certe ERISICHTONIS fames uncia una olei balaenarum epota destruetur.

Acrimonia] Salis ammoniaci drachma appetitum destruit: sal vere muriaticus cum succo limoniorum post horam egregium appetitum refuscitat.

Indoles] Tunc & fitis, & fames destruitur, quia corpus neque aqua indiget, neque cibo.

Acida] Haec appetitum auget, & homines voraciores reddit.

Salina] Haec famem auget, quando in saliva, bile, succo pancreatico dominatur. Hinc voracissima animalium falam in ventriculo aquam habent, qualem in falconis stomacho invenerunt CIMENTINI ACADEMICI. In olore, struthiocamelo idem viderunt.

Biliofa] VESALIUS incidit voracissimum latronem, invenit ductum biliosum ventriculo insertum: & GALENUS confirmat, homines, quibus bilis in ventriculum adscendit, voracissimos esse.

Attrabilaria) Quae homines pene infatiabiles reddit.

Vermes] Maxime, quando magni & multi ad ventriculum morantur, & cibum intercipiunt. Homines, qui lumbricis teretibus abundant, solent voracissimi esse.

Peristalticus] Hinc veteres Graeci hominem quemdam *χλληετιρον* dixerunt, quasi aenea habentem viscera. Nempe uti motus, ita cibus est, inquit HIPPOCRATES: rustici, qui aestate manuum labore se exercent, ea aestate anni duplo plus cibi, quam hyeme adsumunt. Si horum hominum ventriculum debilitare volueris, propina aquam cum saccharo.

Compefcendus] Calcem de muro, limaturam ferri ex officinis fabrorum devorant, quam plurimam nancifci potuerint: & id ipfum fumum in his hominibus famis remedium eft. Qui magno appetitu in absurda aliqua feruntur, & coercentur a medico, vix fanantur, facile, & fpontè fanitatem recuperaturi, fi appetitui indulgeretur. Amftelodami homo ditiffimus erat, qui nullius cibi appetitu movebatur, ut cum omnibus divitiis miseram vitam viveret: nihil proderant medici. Incidit tandem in halecum appetitum, & aliquod centenos pifces voravit, ita convaluit. Gallinae, quae granis folis vivunt, acidum generant, hinc lapillos appetunt, fi nullos invenerint, pereunt. Res ipfa facile explicatur: in pueris enim, & debilibus virginibus acidum ventriculum torquet, ergo abforbentia calx, creta, & alia acido oppofita famem fedant, neque creta nocet, quamdiu in acido vitium eft; & in univerfum picae oriri folent ab humore aliquo in corpore dominante ignoto, qui a nulla alia superatur, praeter eam, in quam fertur appetitus. Olim HIPPOCRATES medicos iuffit obfequi his defideriis ciborum absurdorum & genio morbi repugnantium.

§. DCCCIV.

Nimia) Hujus caufae perderent totum corpus, nifi polus adfumeretur. Sitis fidus corporis custos eft, quamdiu mens non laborat, cui femper oportet obfequi.

Siccitate) Quia nempe ficcitas demonftrat materiem immeabilem, inflammabilem.

Spiffitudine) Nempe prius fitis fedabitur, quam humores diluti fuerint.

Calore] Hinc enim diffipat omnes in corpore tenues liquores, ut ablato fluidiori fiffamentum in vafis fuperfit. Ignis omnia exurit, hunc aqua exftinguit: aegro tamen non dandum eft tantum aquae, quantum ad ignem reftinguendum fufficit. Nam ignis 600 graduum comburit, centum vero occidit.

Alcalino) Haec in hydrope caufa fitis eft, quando aquae putrefcere incipiunt, & una omnis pars fluidior ex vafis fanguineis in minora vafa fecedit.

Venenis) Haec res admirabilis eft. Parvus ille ferpens, qui Ifraelitas pungebat, infligit minimum vulnus, inde incredibilis fitis nafcitur. Huic malo oportet tantum aquae dulcis opponere, quantum diluendo veneno fufficit. Alius aquam falſam bibit, folaturus malum, fi infulfam biberit.

§. DCCCVI.

§. DCCCVI.

Deglutitio) Haec actio adeo composita est, adeo multa organa requirit integra, & plura certe, quam ulla alia in corpore humano actio, ut necessario ex plurimis causis impediri possit.

Penduli) Paralytici, convulsi; exesi corruptive.

Tonsillarum] Inflammatarum, scirrhosarum.

Uvulae] Vel ablatae, & tunc perit directio potus, vel pendulae, inde de nausea in deglutiendo.

Laryngis &c.) Quatenus per musculos moveri debent. Quando enim, vel unicus Mylohyoideus inflammatus est, tota deglutitio supprimitur.

Spasmus) Qualis in hominibus hypocondriacis, & feminis hystericeis est, & deglutionem impedit: jurant sibi corpus aliquod per gulam ascendere, quod etiam digitis, & oculis usurpari queat. Verum uno ructu emisso totus tumor evanuit. Nempe flatus calefacti intercipiuntur a spasmō, neque possunt per oesophagum descendere, ob constrictum cardiacae sphincterem, inde collum miris modis intumescit &c. sed soluto spasmō, & flatu exeunte, partes continuo subsident.

Χορδορρυεσία) Primus NUCKIUS, & post eum passim alii observaverunt, cardiacam & oesophagum aliquando in senilibus subjectis in cartilagine mutari, & nihil aut admittere, aut emittere. Hoc mali genus non infrequens est, videtur oriri a potu aquae fervidae.

Tumorem) Nonnunquam in oesophago impotentia deglutiendi nascitur, qualem aliquoties sanavi, alias autem sanare non potui. Fuerunt: qui ad primum nixum deglutionis cibos adsumtos per nares rederent, faucesque. Alii deglutiebant, sed angebantur miserrime, donec summo conatu rejicerent omnia. Morbus iste videtur sedem habere in glandulis dorsalibus VESALIANIS, quando tumentes, & scirrhosae oesophagum comprimunt, quem circumfusae amplectuntur. Hi miseri, nisi cito succurratur, fame pereunt enecti. Hinc, nisi malum cito remediis cesset, mercurium continuo oportet adhibere, qui sanguinem dissolvat, ut omnes canales aperiantur. Experimentum felix fuit, quod RUYSCHIUS recensuit.

Laryngis) Hujus cartilagine definitis articulationibus committuntur: si inde dimotae fuerint, impeditur deglutitio. Exemplum vidit CONVERPERUS.

Muci) Hinc fauces illae glabrae, & splendentes aphthosorum nihil deglutiunt, dictae HIPPOCRATI, & SYDENHAMIO. Adde salivae defectum.

§. DCCCVII.

§. DCCCVII.

Βραδυπεψία) Quando cibus intra 24. horas nondum mutatus est, sed aliquot demum dierum spatio subigitur.

Διαφορα] Quando cibi in ventriculo mutantur, sed in suam, non corporis humani naturam: panis nempe acefcit, carnes alcalescunt &c.

Salivae ventriculi] Certa est salivae liquoris gastrici efficacia, quae in sale penetrabili, per calorem actiuo, residet. Quando hic succus deficit, deletur & appetitus, & digestio. Hi aegri adjuvantur per remedia bilis similia, qualia sunt elixir proprietatis, tinctura absinthii &c.

Respirationis] Horum enim magna ad digestionem efficacia est.

Vermes] Quatenus motum ventriculi mutant, & absorbent liquidiora. Hi appetitum inanem absque concoctione faciunt.

Celerior) Divites de hoc morbo non conqueruntur, & ERYSICHTON facile famem perpetuam ferebat, cum regnum haberet: pauperibus vero fames gravissimus morbus est. Arabes historiolum habent feminae, qua a medico contra mariti famem medicamentum petiit.

§. DCCCVIII.

Cholera] Est abdominalium contentorum violenta sursum, & deorsum ejectio.

Singultus) Obscura morbis causa est, effectus manifestissimus. Hunc vulgo pro diaphragmatis convulsione habent. Sed ad singultum pertinet etiam contractio fibrarum longitudinalium oesophagi, quae gulam ad fauces elevant, dum simul ventriculus, & diaphragma deorsum trahuntur. Hinc a diuturniori singultu in ventriculo superius, & inferius dolor percipitur, ex irritato superiori ventriculi orificio. Lethalis est, quando a vitio diaphragmatis oritur.

Caloris) Saepe helluonem singultus prodidit, quando majorem bolum subito deglutiebat.

Copia] Hinc pueri saepius singultiunt, quibus pastus vulgo immoderatus est.

Venena] Dum abradunt oblinientem mucum, & tunicam nervosam, stimulant. Hic fere omnium venenorum acrium effectus est.

Evacuatione] Quando tanta fuit, ut nervi denudati adordeantur ab acri pharmaco. Haec species singultus fere funesta est, uti olim ab HIPPOCRATE observatum est.

§. DCCCIX.

Retrogradi] Quando homo sanus simplex filum deglutit, & subito iterum ex gula protrahit, jam nausea oritur: & si linguae radicem digito deprefferit, ventriculus totus subvertitur. Ergo videtur nausea tunc fieri, quando motus naturalis ventriculi, & intestinorum ab inferioribus retrogradus ad superiora tendit. VVEFFERUS, BRUNNERUS, PEYERUS, egregii illi viri docuerunt, bene omnem actionem digestionis perfici, quamdiu motus peristalticus successive deorsum agit. Quando vero animalia aperuerunt, quibus emetica medicamenta propinaverant, videbant motum peristalticum inversum esse, ab ano nempe sursum. Quando ad hunc inversum motum, diaphragmatis, & musculorum abdominis convulsio accedebat, tunc ventriculus quasi inter duo prela compressus contenta sua expellebat, vomitus oriebatur. Qui hanc causam habet, nunquam perpetuus est, sed alternis recidivis post violentas convulsiones recrudescit.

Copia) A nimio, etiam saluberrimo, cibo ingesto, primum nausea oritur, deinde vomitus.

Acrimonia] Ipse sal absinthii, quo medici passim vomitum compefcere solent, idem malum nimia copia adsumtus excitat.

Cerebri) Quando vertigo adest, non longe abest vomitus: si v. g. effusus sanguis cerebrum compresserit.

Rheda) Homines huic vehendi modo non adsueta, nauseant & post praecedentem nauseam vomunt, quoties praeunte dorso curru vehuntur. In mari vero agitato nemo non vomit, ut nausea ipsa a navibus nomen habere videatur. Ab initio nihil mali sentiunt, paulatim dolorem in cardia percipiunt, tum nauseam, tunc ingesta evomunt, deinde salivam aquam, bilem ultimo.

Copia] Alium, cepa, porrum, raphanus rusticanus, piper, Zingiber, in minori justaque copia sumta, roborant ventriculum, & compefcunt vomitum, eadem majori copia adsumta vomitum movent.

Idea] Video homines firma, & integerrima ratione valentes, quos medicus jufferat continuis octo diebus purgans pharmacum adsumere. Ultimis diebus, vix viso poculo medicamento respondebat stomachus. Haec res mirabilis est. Qui exiguam quantitatem cicutae aquaticae C. GESNERI deglutivit, bolumque in ventriculo retinuit, patietur saevissimas convulsiones omnis generis, tetanos, ipistonos, & mors ipsa succedet. Si vero frustulum radicis vomitu potuerit rejicere, jam salvus est, & brevissimo tempore ad se ipsum redibit. Inde demonstratur maximam ventriculo, ejusque nervis, cum cerebro & communi sensorio adfinitatem esse.

§. D C C C X.

Cholera] Ita vocamus materiae biliosae per vomitum, & diarrhoeam violentam explosionem. Hic morbus vehementissimus est, & plerumque intra 24. horas necat. Quando ventriculi irritati ora clauduntur, potest, (& visa est dirupisse] materia fermentans ventriculum disrumpere, vel certe hominem per convulsiones occidere. Quando vero dimittitur eadem, tunc tota massa cibaria convulsa tantum facit confluxum bilis succi pancreatici, & saliva, ut summa debilitas, & mors ipsa sequatur: totum intra hoc tempus hepar egeritur, cum prius liquor ejus omnis bilisque, flava ab initio, cystica, tunc hepatica, tandem viridissima ejiciatur. Effectus idem est, ac si antimonium, asarumve nimia copia quis ingesserit; neque enim haec medicamenta magis vomitum movent, quam alvum, si vis eorum ad intestina fuerit determinata.

Horaeorum] Hi fructus tempestate summe calida in loco humido, & calente fermentantur adsumti, rarefiunt, & materiem elasticam generant, qualem vinum fermentans, unde illi mirabiles per ventriculum & intestina tumultus. Felices, si ructuum specie hoc venenum exhalare datum fuerit. Quando vero eo tempore ventriculi orificium firmiter clausum est, tunc tumet ad crepaturam usque ventriculus, uti cerevisia aliquando, dum fermentat, lagenam suam displodit. In ACTIS BRITANNICIS exemplum hominis est, qui a nimio potu fermentantis cerevisiae intumuerat, & perierat. Incisum est cadaver, & intestina duodecuplo solita mole turgidiora inventa sunt ex hujus elastici vaporis potentia.

Coelum) SYDENHAMIUS contra plerosque medicos adfirmat, ex propria observatione, hunc morbum etiam absque ingestis horaeis fructibus nasci a calidiori tempestate, quae humores fundit, & ad intestina, per calorem laxata, minusque resistentia deponit; sive augustus mensis eo tempore decurrat, qui in hoc morbo producendo reliquis antecellit, sive alio mense idem aestus saeviat, qui augusto mense solet dominari. Adeo caeterum atrox est, ut robustissima corpora intra unam horulam solvat, atque a nimia ^{καταρρηξία} convulsivam mortem inducat.

§. D C C C X I.

Est) In omni statu concurrunt semper 1. materies elastica, quae ex vegetabilibus nata se ipsam rarefacit. 2. Spasmus, qui fistulam constringit supra, & infra eam materiam. 3. hujus materiae nixus in libertatem

& 4. violenta eruptio, postquam vis constringens spasmodica resoluta fuit. Quanta vero caloris in his malis producendis potentia sit, adparet consideranti, ignem pleraque corpora millies & ultra se ipsis majora facere. Tartari crudi uncia una dimittatur in vas chemicum, educatur aeris copia, deinde vas obfignetur, & addatur tantum caloris, ut Tartarus fundi possit, diffringetur vas etiam fortissimum cum summo impetu, nihilo minori, quam si pulvere bombardario plenum fuisset.

Musto) Dolia, quae fermentantes liquores continent, rumpuntur saepe a flatibus, quos fermentando generant, nisi spiraculum aliquod apertum relinquatur.

Spasmodicis) Quando intra intestina sanissimi hominis elasticus aer majori copia gignitur, poterit ita intestina, & ventriculum mutare, ut penitus in aliena loca migrent. Vidi a flatibus intestina penitus inversa, ut dorsum, quo mesenterium respiciunt, in inferius poneretur, & omentum posterius esset, quod ante intestina pendere oporteret. Conferatur D. de S. ANDRE observatio, quam ACTIS BRITANNICIS inseruit. Inde etiam mirifici illi a venenis adsumtis tumores. Fuerunt mortales, qui medii crepuerunt, cum a venenis ventriculus ipsis diffiliisset, & hoc genus mortis a veneno in omnes linguas vulgi consensu transit *Zerbersten*. Inde etiam mirificae illae anxietates sapientum, quibus pituita molesta est.

§. D C C C X I I.

Lienteria) Quando adsumti cibi absque ulla mora egeruntur. Frequens malum, oritur a paralyfi ventriculi, vel pylori: nam interea vis respirationis pergit operari, & contenta ex resolutis neque resistentibus ventriculo, & intestinis expellit. Id semper fieret, etiam in sano homine, nisi vi contractili harum partium cibi retinerentur. Ex hac morbi idea hoc malum saepe feliciter sanavi, unice enim a debilitate, & resolutione harum partium pendet.

§. D C C C X I I I.

Coeliaca) Rarus morbus est vix certo a ME visus unquam, certe qualis ab auctoribus medicis describitur. Is enim morbus supponit bonum ventriculum, pylorum vero nimis amplum, ut chylus praeparetur quidem, sed non guttatim destillet, verum cum chylo una faeces alvinae exeant. Adde obstructionem in lacteis vasis, bibulisque, ut nihil admittant, v. g. in aphthis: quando crustae ipsa intestina obfident. Tunc faex alvina vix putrefacta eliminatur (1732. hanc ipsam causam lienteriae solam proposuit.)

§. D C C C X I V.

§. DCCCXIV.

Diarrhoea) Quamdiu neque dolor accidit neque tenesmus, tandiu diarrhoea est, disenteria vero, quamprimum tenesmus conjungitur.

Vasis] Liquores corporis humani possunt pene omnes per vasa sua in intestina deponi, v. g. obstructo hepate, quando sanguis per portarum venam, ejusque ramos nequit transire, tunc enim ipse purus sanguis per aetomosin ex vasis mesentericis effundi potest, quorum oscula dilatata sunt. Verum ea via, quae sanguini patet, omnes alios humores etiam facilius transmittet. Hinc diarrhoeae salivosae variae, & aliae salivosae, & mucosae, & sanguineae. Ipse denique acidulae spandanae copia majori adsumtae per alvum effluunt.

Laxitas] In homine robusto, cui copia humorum major in has partes confluit, nunquam diarrhoeae nascuntur licet, aquam biberet, sed requiritur conjuncta fibrarum paralysis. Tunc lympham quidem pergit secerni, neque tamen in vasa resorbentia premitur, interim urget vis respirationis, & lympham effusam expellit. Curatio est, cutem raram facere, ita enim alvus stricta fiet HIPPOCRATE teste.

§. DCCCXV.

Tenesmus] Dolens & irritus conatus egerendi absque effectu: causa est inflammatio intimae membranae extremi intestini recti.

Dolore) In intestino ileo, si in colo haeserit, idem faciet conatum egerenti perpetuo molestum, & irritum. Videtur in diarrhoea crustam illam, quae nervos oblnit, integram manere, in dysenteria vero abradi, ut nervi denudentur. Hinc HIPPOCRATES, a diarrhoea dysenteria: a dysenteria tenesmus, a tenesmo mors. Nam dysenteriae materia acrior est, quam diarrhoeae, & ex hepate venit, aut splene, aut pancreate, aut systemate gastrico, ex ulcere, cancro, scirrho crescente, circa has partes.

Inflammatione] Neque tamen haec perpetua dysenteriae causa est, nisi denudationem nervorum *καταχρηστικως* dicere velis inflammationem. Aliquando tamen vera inflammatio est, & funesta gangraena sequitur.

§. DCCCXVI.

Violenta) Enormis intestinorum dolor cum anxietate & vomitu omnium quae ad tenuia intestina pervenerunt. Materies enim vomitus est omnis illa, quae ad sedem Ilei pervenit, perque eam partem transire nequeens magis, & magis accumulatur, vim infert acriter sentienti intestino & dolorem, a qua irritatione convulsio fit, & motus intestinorum

norum peristalticus retrogradus redditur, & omnia per superiora expellit. Incredibilis hic copia nervorum est, ut minus mirum esse debeat volvulum adeo multos mortales occidere. Primus RUYSCHIVS observavit, vulnera nervorum mesentericorum, etiam absque sanguinis jactura, intra tertium diem occidere: observavit autem in nautis, quorum triginta ad minimum quotannis cultro occiduntur, a RUYSCHIO totidem autem aperti fuerunt, ut legitime in vulnere naturam inquireretur. Cum autem in hoc casu dolor a vulnerato nervo vitam auferre potens sit, non vides, quare non idem possit effectus esse doloris in ileo vehementissimo. Intestinorum enim superficies exterior verissimum mesenterium est.

Clysmatum) Testes sunt gravissimi viri, non scybala sola, sed ipsos aliquando clysteres per os ejectos fuisse (verum stercus alvum ipse per os excerni vidi 1732.) Hoc quidem explicationem non videtur admittere. Nam ileus quidem explicatur ex obstaculo, quod transitum faecum impedit: sed clysmata non possunt per os emitti; nisi intestina meabilia fuerint. Verum si meabilia sunt, cur demum per os egerentur clysmata, potius quam per anum? Deinde oportet, ut scybala clysteresve hanc viam relegant, valvulam coli vel paralyticam, vel ruptam esse.

Inversus] Qui naturaliter cibos a superioribus deorsum pellit, nunc praeter naturam sursum determinatur. Verum, cur rejiciuntur ex crassis clysmata, cum in his intestinis nunquam, in numerosis vivorum animalium sectionibus viderim motum peristalticum.

§. D C C C X V I I.

Icterus] Laticis aquosi sanguinis a bilis adspersione decoloratio, hinc flavedo totius habitus corporis.

Excretio] Supra valvulam, obturantem emissarium ductus choledochi, via liberrima est per totum corpus humanum, sed bilis deorsum fertur ad intestina, quamdiu sibi resistantia minor est, neque redit ab intestinis in ductum choledochum. Quamprimum locus resistantiae mutatus est, & resistantia ad intestinum major, tunc bilis aut stagnat, aut retrorsum it in sanguinem, eumque dissolvit, uti sapo, ex natura sua tenaci, plastica, nutritia, in merum aquosam laticem. Hinc ex Ictero nascitur biliosa cachexia, ex ea hydrops, quod ante tot secula recte vidit HIPPOCRATES. Si vero diu stagnaverit, exhalata parte liquidiori, reliquum in calculum cogitur gypseum, quod obstructo ostio duodenali non infrequenter contingit: & in iis reperitur, qui frequenter icteri, recidivas passi sunt.

Impedita] Pereunt effectus bilis recensiti ad IC. & C. & tenax pars ciborum non resolvitur, neque adeo coquitur chylus in materiam teneram,

neram, sed serofus manet, & a sanguine secedit aquae specie: neque unquam oleum ex cibis ad sanguinem venire potest, nisi bilis pituitam detergeat.

Tympanites) Consumtis hinc inde intestinis, visum est materiam flatulentam in abdomen exiisse, & fecisse siccum hydropem. Quomagus autem venter intumescit, eo magis comprimuntur intestina, neque eorum vasa quidquam admittunt, unde pessimum genus tabis oritur. Alias idem malum ortum est a lumbricis, qui intestina perrosferant.

. D C C C V I I I.

Simillima) Chylo tantum liquidi restitui debet, quantum inde absorbtum fuit, nisi hoc fiat, exsiccabitur, & in scybala abibit. Ergo quando in intestino tenui humoris diluentis adfusio desinit, nascuntur ibi sicca scybala, & poterunt cum intestinis connasci, volvulumque facere.

§. D C C C X I X.

Polyposae) Qui saepe animi deliquio, & palpitationibus cordis laboraverunt, dissecti a morte solent fere polypos in corde ostendere.

Frigus] Quando pars partem pellere desit. Tunc id, quod in vasa lateralia abiit, non ultra in cor compellitur redire, sed stagnat, & nascitur sensim *Diabesis* ad hydropem.

§. D C C C X X.

Pulmo] Agit in sanguinem, quatenus omnes humores in sanguine continentur, hinc in omnes omnino humores nostros agit, atque materiem crudam omnem omnium primus accipit, primusque coquit, nempe aptam redit, ut per omnia corporis vasa fluere possit, & fingit in naturam humanam. Quando ergo pulmonis actio vel increscit, vel decrescit, tunc etiam increscit, vel decrescit actio corporis humani in humores suos. Quando decrescit, labefactatur totum corpus, destruitur adsumtorum conversio in bonum sanguinem. Sed vis omnium fistularum humores transmittentiam pendet ab adplicatione actionis cordis, prementis in vasa certo modo figurata, & se ad suos humores constringentia. Ergo diminuto officio pulmonis minuuntur omnia. Sed omnia liquida, quae in corpore humano praeparantur, in pulmone necesse est prius praeparari. Ergo aucta vi pulmonis omnia nimis cito assimilantur, nempe corpus ducitur ad putredinem: & quidem id in omnibus humoribus fit simul, quia pulmo vasorum corporis humani quod-

quoddam compendium est; inde perpetua necessitas novorum ciborum ingerendorum, crudorum, qui putredini resistent. Diminuta vero actio pulmonis omnia nimis tarde, aut nunquam assimilantur, inde cruditas, adsumptorum cacochymia &c.

Organorum) Nihil in corpore humano majori admiratione dignum est. DEUS duplex quasi homini corpus fecit. Prius est solus pulmo, qui habet prae reliquis omnibus corporis partibus tot, & talia vasa, quot reliquum corpus. Ut adeo liquores ex crassissimis in tenuissimos mutari queant in pulmone, neque detur ullum genus vasorum humanorum, ad quod non accommodetur. Ergo pulmo laborat pro toto corpore.

§. D C C C X X I.

Plethora) Quando arteriae sanguine turgidae canales uriniferos comprimunt.

Inflammati] Hinc in febribus ardentibus, cum acutissimo ad lumbos dolore, saepe nulla secernitur urina.

Ureterum] Hi ipsi inflammari possunt; demonstrat NUCKII observatio, inflammantur autem in vasis a RUVSCHIO per injectionem detectis. Inflammantur autem maxime a calculo intus retento.

Urethrae] Haec saepe oritur post luem veneream, quando post gonorrhoeam locus inflammationibus obnoxius relinquitur. Hoc mali genus frequens est.

Pituita] Mucilaginosa, qualis in vermium speciem protrahi potest, tuncque teneras illas vias obstruit.

Spasmus) Hinc in summis animi adfectibus homines vix urinam reddunt, nisi admoniti.

Pressio) Quando arteriae turgidae ductus urinarios comprimunt, aut calculus eadem facit. Hinc respondetur, cur saepe lethales ischurias patiantur, quibus alter ren solus obstructus est, alter integer, nempe tunc in renem integrum sanguis majori copia irruit, & inflammationem facit, & in eo casu, in cadavere ren alter calculo obstructus, alter penitus destructus reperitur: & hoc malum incurabile est.

Thrombo) Quando sanguis in pelvem renalem effusus in grumos coit, hinc in ureterem, deinde in vesicam propulsus, vel ureterem, vel urethram obstruit, Vidi sanguinem ibi coactum vermium speciem adsumpsisse, ut hamulo eximere necesse fuerit. Hoc morbo periit magnus ille anatomicus CAROLUS DRELINCOURTIUS.

Caruncula] Fuerunt inter recentiores, qui negarent, posse in urethra hejusmodi carunculam nasci, & proprium in hanc sententiam exstat opusculum BRUNNERI. Verum IPSE vidi aegros, quibus ad insertionem prostratarum, & feminalium ductuum, & Coevperianorum, excitaban-

tur ex urethra verrucae venereae, similes earum, quae in pene externo nascuntur, vulgo notae: has excutiebam usu turpethi mineralis efficacius applicati. In corona penis idem malum frequens est, & nemini ignotum, in urethra vero obscurius, simile tamen. Saepe etiam ab ulcusculis purulentis, cicatrice obductis, caruncula nascitur, urethram obturans, quod cicatrix protuberet. Dudum ipse HIPPOCRATES pronuntiavit, carunculas in urethra nasci, quae subpuratione solvantur: sed nostrae carunculae suppurari nesciunt, diversae ergo sunt a morbo HIPPOCRATICO. Sed hoc genus non est carnosa excrescentia, uti in priori casu. Malae tunc adhibentur medicatae candelae mercurio sublimato imbutae; sic enim ulcus apertum tenetur, & nocetur aegris. Alias ex superficie interiori urethrae exulcerata vidi incredibile malum natum fuisse, intra octo nempe vel decem somni horas, quibus aeger a potu abstinuerat, partes excoriatae concreverant, uti solent palpebrarum limbi, aut labia, aut exulcerati digiti: & hoc mali genus aegre curationem admittit.

Adde nunc causis ischuriae diuturniorem cohibitionem lotii, quae vim infert musculosae fabricae vesicae, eamque paralyticam reddit. Aliquando canem, destinatum ad anatomen, incluseram: & lotium continuerat verecundum animal; in aperto corpore vesicam plenissimam reperi, quae pressa nihil amittebat, levi vero vulnere pertusa in sphaeram se ita contraxit, ut nihil per collum transire posset. Miserum, animal potuisset catheteris ope sanari.

§. DCCCXXII.

Σπραγγυρία) Urina guttatim cum dolore, & summo conatu emissa. Oritur saepe ab haemorrhoidibus intestini recti.

Cerevisiae) Maxime quando coctione spiritus suos amisit: idem malum facit vinum vappidum, nempe altero die stranguriam. In hominibus meliori potui aduetis aliquando cerevisia recens similia mala facit, & visum est, mucum vesicae in junioribus hominibus ab hac causa ita abrasum fuisse, ut vera gonorrhoea videretur.

Excoriatio] Quando calculus in vesica haeret, maxime si asperior fuerit, premit perpetuo vesicam, & ad excretionem stimulat, detergit humorem mucilaginosum, sic dolorem facit, ubi calculus est, & perpetuum tenesnum vesicae, haec constringitur expulsura urinam contra durum calculum, inde dolor quasi urens, similis effectui corporis rodentis caustici, quod in vesica moraretur. Vidi miseros a calculo collo vesicae impacto, ita tortos, ut capiti insisterent, pedesque sursum protenderent; sic calculus relabebatur in fundum vesicae, & urinam reddebant, non ali-

ter se hoc onere liberaturi. Possideo tales calculos piriformes, qui ostium urethrae perfecte obturaverant.

Cautisticis) Fuerunt medici, qui absurdo certe, & vix condonando errore cantharides laudaverunt ad gonorrhoeam, malum solis blandissimis medicamentis sanabile, & iis, quae sanguinem absque acrimonia dissolvunt. Sed cantharides, & intus sumtae, & cuti applicatae faciunt, urina difficilius emittatur, atque prae intenso conatu non raro sanguis ipse sequatur: vidi hujusmodi morbum natum a tinctura Bartholiniana, quae cantharides, & nitri spiritum recipit, & adfirmare possum, expertus, hanc tincturam, aut similia medicamenta malum semper exacerbare. Multa enim animalia venenata habent proprium quasi membrum, in quod molestam suam efficaciam exercent. Dipsas, & Vipera hepar adficiunt, & icterum excitant: lepus marinus pulmonem, cantharides vesicam urinariam.

Adde causis stranguriae ipsum senium. Juvenes pleno filo urinam expellunt, senes repetito impetu, cum tenesmo, & aegre vesicam exonerant. Causa est in vesicae debilitate, & musculorum urinam exprimentium paralyti, imparium expellendae urinae, acrimonia lotii &c. Hos oportet digito ad perinaeum posito lotii ultimas guttulas exprimere.

§. D C C C X I I I.

Incontinentia] Quando sphincter vesicae non clauditur. Semper enim clausus est, nisi vis externa superior eum aperiat, & clauditur, non voluntatis imperio, sed sponte sua, absque animae arbitrio.

Resolutis] In homine sano ne unica quidem gutta liquidi per anum exit. Quando vero lapis infernalis, sub nomine Hydragogi ANGELI SALAE aut antihydropsici Boyleani ingeritur, tunc ignaro homini aqua de alvo effluet, ut manifestum sit, hoc medicamentum non solum alvum solvere, sed etiam laxare vim sphincteris ani, ut resistere nequeat. In Vesica similis dispositio nasci potest. Quando a destructis partibus incontinentia nascitur, nihil in arte medica praesidii est; quando vero ab ipso partu pueris hoc malum inhaeret, ex laxitate sphincteris ortum, adjuvantur, quando singulis horae quadrantibus mingunt, donec vesicam maxime irritabilem reddant. Nunquam per semihoram integram urinam retinere debent, quandiu vigilant, per noctem vero bis aut ter excitari, ut mingant expergefacti.

Discissis) Post calculi sectionem, qualem veteres excogitaverunt, fere semper urinae incontinentia sequitur, quia instrumenta ingentia per incisam urethram immissa, nempe conductor, & forceps, & calculus denique forcipe comprehensus, tum vi summa e ductus, ut saepe vix duorum hominum robore forceps extrahi possit, vesicae sphincterem laceraverunt, ut porro non integre claudatur. Idem malum etiam feminis accidit, quibus

quibus equidem vix unquam urethra inciditur: sed immititur catheter, super eum conductor, super conductorem forceps, qua calculus educitur: ita dilatatur urethra, ut nunquam in tota via urinam continere possit. Solus Clar. RAVIUS, summa peritia situs, artisque dextero exercitio fretus secabat feminas in ipso perinaeo, uti viros, atque tollebat hujus incontinentiae metum. Idem ab ulcere venereo accidit; tum a luxatione spinae dorsi, & contusione medullae spinalis, quam plerumque faecum alvi, & urinae incontinentia sequitur. Malum vidi in aurifabro, cui vertebrae lumborum luxatae fuerant.

§. D C C C X X I V.

Lactae] Ita ut vasa renalia in mammaria vasa transmutata fuerint. Tunc, quae emulgentia vulgo dicuntur, vere totum corpus emulgent. Harum urinarum copia magna est, sapor dulcis, lactis color, & consistentia.

Dilutis] Omne vas dilatatur pro ratione virium prementium, & laxatur adeo omne vas, per quod nimia humorum copia transmittitur. Inde hoc malum frequens factum est, postquam D. BONTEKOE potum Theae commendavit: nam hi diuretici potus duplici modo nocent, cum & humores adtenuent, & vasa laxent. Spes sanationis maxima est in diacta siccissima, abstinencia ab aquosis, exercitatione corporis, & sudore. Non ideo quilibet copiosior urinae fluxus continuo pro diabete haberi debet: qualis post nimium Theae Coffeaeve potum, aut aquarum spadanarum usum sequitur. Diabeten enim veteres dixerunt fluxum urinae lactae. Hunc morbum vidi in juvene, qui noctes, diesque studiis incumbere. Somnum arcebat perpetua pocillatione Theae, & Coffeae: incidit miser in deplorabilem tabem, ut siphon hominis videretur; & ultimo cum intolerabili, & inextinguibili sitis tormento expiravit.

§. D C C C X X V I.

Palpitatio) Ita vocamus cordis contractionem validissimam, contra summam resistantiam nitentis.

Spirituum] Quando cor palpat, sensim dilatatur, & fit aneurysma. Quamprimum enim plus accipit sanguinis, quam dimittere potest, vis ejus in eadem ratione diminuitur, in qua adfluxus liquidi, adeoque capacitas augetur, cum fibra muscularis quaelibet debilitetur, quando longior fit. Ita v. g. cui noctu, subito, lux explosi pulveris pyrii oculos perstrinxit, is perturbatur, & cor palpat, quia sanguis omnis ad cor confluit, quod tantum onus nequit expedire. Adde vim inaequalem spiritu, ex qua hystericae, & chloroticae palpitationes oriuntur.

Vermibus) In ipso pericardio vermes LOYVERUS vidit, qui mirificas ibi palpitationes excitaverunt.

Aneurysmate) Mulierculae, quae frequenter animo linquantur, extinguuntur ultimo per palpitationes cordis: in eo enim statu sanguis quidem ad cor refluit, cor autem quiescit, & dilatatur, ita sanguis stagnans polypofus redditur, viasque iterum arctat, & majoris dilatationis cordis causa est, & nascitur ad inevitabilem mortem dispositio. Hunc morbum oportet Medicis, & Chirurgis probe notum esse, ne ex ignorantia verae naturae mali aegrum occidant. Vidi aneurysma capitis infantilis magnitudine sub axilla sinistra in homine Graeco: huic homini, quoties noctu quiescebat, sanguis exibat ex sacco aneurysmatico arteriae subclaviae, & inanem relinquebat cavitatem: quamprimum vero expergefactus situs mutaverat, reddebatque liberum sanguini aditum, continuo spatium nactus sanguis in saccum patulum se effundebat, ut nihil ad cerebrum veniret: atque adeo, ex somno surgens in animi deliquium incideret. A morte tumor apertus est, repertus plenus intus lacertis, quasi columnis.

Spisso] Qui etiam ad arteriae pulmonalis principium haerens hujus dilatationem impedit, adeoque dextri cordis evacuationem. Inde frequentes illae eruditorum palpitationes, tunc quando ad quietem se componunt, molestiores, ut proprium cor palpitare audiant. Nempe prius sedebant erecti, nunc quando recumbunt, sanguis ab omni parte corporis subito majori copia ad cor refluit. Hae tamen palpitationes non ultra unam, alteramve horam solent molestae esse.

Copiosiore] Palpitatio a spirituum vitio non periculosa est: quando vero humores ad cor retropelluntur, tunc caute agere oportet. Qui polypofi sunt, iis hujusmodi palpitatio familiaris est: fit per minutum horae integra *αποξία*, deinde redeunt ad se ipsos: sed interim stagnat sanguis, & potest in thrombum abisse. Vidi hunc morbum, jussi ut aeger bono victu sibi prospiceret: alius vero medicus commendavit falem volatilem oleosum Sylvii infelici ausu; protrusit enim polypum sursum in aortam ascendentem. Neque unquam in polypi suspitione hi sales volatiles concedi debent.

§. D C C C X X V I I.

Intermittens) Signum periculosum in omni morbo: designat enim deficere vires vitales.

Liquidi] Polypofi, obstruentis.

Inflammati arteriosa] Hujus primum exemplum in bove vidi, qui, cum ad macellum deduceretur immolandus, fuga se proripuerat, & vehementissimo cursu libertatem quaesiverat: receptus tamen, & mactatus est; aorta vero reperta nigerrima. Sed RUVSCHIUS demonstravit, aortam arteriam ramos per superficiem suam distributos a coronariis accipere: his tumentibus compressio mediae cavitatis &c.

Pulmonica) Lethalis in peripneumonia.

Cardiaca) Talem morbum descripsit HIPPOCRATES, cor inflammatum, & gangraenosum, in latus alterum prolapsum.

Deficiens) Pulsus post majora vulnera deficiens solet lathalis esse.

Aneurysmatica) Cor dextrum rarius, frequentius vero sinistrum, ex LANCISII experimentis, aneurysma patitur, atque in maximam molem dilatatur: maxime quando sanguis in corde quievit, quod in deliquio animi contingit, tunc enim congestus cor extendit, ut diminuta ejus vi contractili ab iisdem causis postea facile dilatetur.

Offense) Hae dilatationi resistunt, adeoque sanguis, qui a corde advenit, nullum spatium invenit, inde palpitatio.

§. D C C C X X V I I I.

Celeriore] Quamprimum corpus celerius movetur, impediuntur venae jugulares, ne in subclavias se exonerent, hinc caput titubat.

§. D C C C X X I X.

Λειψθυμία) Quando vires ita deficiunt, ut corpus nequeat se sustinere.

Λειποψυχία] Haec gravior est quam *λειψθυμία*, quando etiam anima deficit, tenus nempe delinquant, ut neque videat, neque audiat.

Συγκοπή) Adhuc gravior casus, quando pulsus cordis non percipitur.

Ασφυξία] Quando deficit respiratio, & cordis actio. Ab hoc statu mors non nisi duratione majori distat. Quando homo perfecte sanus sub aquam demergitur, mortuus est perfecte, similis boni horologii, in quo omnia perfecta sunt, solo elatere excepto, qui quiescit. Reddite motum, incipiet vivere.

Horridae] Poetae ipsos heroas terroribus pannicis obnoxios fecerunt: in eo statu cor fere sistitur, & corpus totum contremiscit. Ita pio AENEAE.

per ima cucurrit

ossa tremor

Inopia) Quando neque arteriosus sanguis, neque venosus cor adluit. Hinc frequentes ex haemorrhagiis nimis lipothymiae.

§. D C C C X X X.

Απνοία) Status morti proximus, & in mortem abiturus, si vel duobus continuis momentis perduraverit.

Pulsus) Quamprimum cordis actio deficit, respirationem deficere necesse est, & quamprimum cor sanguinem non accipit, omnes actiones hominis desinunt.

Venenati) Fortissima animalia fumo accensi sulfuris hausto continuo suffocantur.

§. DCCCXXXI.

Difficuler] De inspiratione dico, nam exspiratio facillima manet, cum ea sponte fiat, & elatere costarum, neque actionem organorum respirationis requirat. Hoc malum nascitur ab aucta vi contractili musculorum pulmonalium, ita valida, ut distendentis atmosphaerae pondus eam superare nequeat.

§. DCCCXXXII.

Spasmodica] Pulmo nunquam est, nisi in violento statu, nempe magis dilatatus, quam foret, si in libero aere, & in aequilibrio relinquere-tur. Ergo pulmo semper vi aliqua propria resistit dilatationi suae. Quando nunc haec vis contractilis duplo major fit, atmosphaerae vero vis distendens eadem manet, tunc fieri non potest, ut pulmones dila-tentur. Naturalis enim ratio est virium distendentium atmosphaerae ad vires contractiles pulmonis: hac sublata effectus idem, qui in sa-nitate sequi non potest. In eo malo homines corpus erigunt, hume-ros elevant, scapulas ad se invicem adducunt, & cubitis innixi in fe-nestram aliquam vehementissime cum stridore inspirant, pectore quan-tum possunt dilatato. Quando proxima jam instare videtur suffocatio. [cum sanguis per pulmones non transeat, turgeantque venae jugulares pene ad crepaturam, neque cor sinistrum aliquid accipiat, neque aor-ta, neque adeo encephalon, neque pulmo ipse], tunc resolvuntur mus-culi mesochondriaci, & libertas respirationis redit. Hoc malum inpr-imis patiuntur, quando venti ex boreali plaga spirant, qui fibrarum omnium robur, & elaterem augent, in ipsis certe horologiis. [Con-trarium I. GESNERUS, melius nempe valere spirante borea, quod tunc atmosphaerae vires majores sint] Hoc asthma siccum est, quod sola equitatione cum lactis usu conjuncta superatur, frequens certe, & fal-lax morbus.

§. DCCCXXXIII.

Οπθοννοια) Respiratio stertens, quae peragitur cervice & scapulis: HIPPOCRATES meteoricam vocabat.

Eadem) Inprimis empyema, hydrops pericardii, & alia hujus gene-ris mala: quibus respiratio sublimis sequitur. A solo etiam pulmone humido, aqua repleto, nasci potest.

§. DCCCXXXIV.

§. D C C C X X I V.

Απνοια) Quando homo subito suffocatur, nullis magni mali indicis praegressis: quam primum vero cadaver obrigit, materia sanguinea, vel pituitosa, vel purulenta magna vi ex ore, & naribus exundat. Hoc malum fit, quando rupta per validam inspirationem aliqua vomica, materia subito in meatum pulmonum effunditur. Quando una puris uncia ex vesicula disrupta in bronchia evacuatur, sufficit ad subitam mortem, & ne verbi proferendi libertatem aegro relinquit: cum bronchia repleat, & respirationem perfecte intercipiat: post mortem vero partibus a frigore contractis, materia per asperam arteriam ascendit. Aliquando idem malum a causa externa oritur, quando una thoracis camera pure plena est, aut aqua, & subito mediastino exeso etiam altera camera effuso liquido repletur: inde enim suffocatio inevitabilis succedit, cum nunc uterque pulmo opprimatur; prius autem pus in altera camera sola effusum orthopnoeam fecerat.

§. D C C C X X X V.

Thoracis) Imo pus in ipsa pericardii cavea repertum est; & inter sedentes mediastini laminas, ex inflammatione ibi nata, alias visum est: quod sanari potest sterno trepano perforato. Haec operatio Amstelodami in Theologo instituta est, cui plurimum ex foramine pus effluit, & cor ita nudum reliquit, ut opposito speculo cor in proprio pectore pulsans contemplaretur, uti heteroclitus erat homo: is enim BECKERUS fuit, cujus scriptum contra daemonum existentiam existat.

Polyposa) Saepe vasti polypi excernuntur, quos nemo crederet ex creati posse.

Gypsea] Quae induratur, quando liberum aerem adtigit.

Calculosa] SEBASTIANUS VAILLANTIUS, clarus ille botanicus, quadringentos lapillos ante mortem screatu reddidit, rotundos omnes, & exiguos. Asthmate vero laborabat ex materie calculosa, quae in pulmonum vesiculis collecta erat. Vidi asthmata pessima, in quibus aegri perpetuo tussiebant absque requie, donec post aliquot septimanas calculos ex aspera arteria rejicerent, tunc vero respiratio liberior fiebat, donec novi calculi regenerarentur. Vidi alios aegros, qui integras pyxidas plenas gestarent calculorum, quos ex pulmone ejectos adservaverant. Hujusmodi aegri fere ex sanguinis sputo pereunt, mollis enim pulmo ab eo nixu destruitur, quem ad excludendum calculum edunt. [Haec in codice I. GESN. ad VAILLANTIUM referuntur.]

Laryngem) Vidi eruditum virum, quem tumor paroridis, capiti aequalis, suffocavit. Celebrem statuarium etiam vidi, cui a pulvere deglu-

deglutito omnes glandulae faucium scirrhusae factae erant: cum subita mors abripuit.

Accretus] Tunc pulmo dilatato pectore non potest descendere, neque diaphragma sequitur: hinc minuitur liber aeris accessus, & δυσπνοια immedicabilis sequitur. Neque mirum est, hos morbos raro sanari, cum diver sissima mala uno nomine vulgo includantur.

§. D C C C X X V I.

Numerosa] Ut olim D. GUILLEMEAU Parisiis trecentos oculorum morbos numeraverit. Verum haec jactantia est, & supervacua subtilitas, quae confusionem potius, quam methodum parit. Mihi videtur eos tantum morbos describi oportere, qui ex diversis causis oriuntur, & diversas curationes accipiunt. Satis vero & hi numerosi sunt. Oculus enim visum perficit per concursum fere innumerabilium instrumentorum. Sed generale axioma est, quo plura organa ad functionem aliquam concurrunt, eo frequentioribus & magis multiplicibus malis obnoxiam esse. Si centum organi partes fuerint, non difficulter intelligitur morbos trecentos esse posse.

Premendo] Quando glandula innominata intumescit, ossei quidem parietes, & bulbus oculi cedere nequeunt; adeoque oculus solus spatium compensare debet, quod aucta glandula possit, comprimeretur adeo, figuram mutabit, & alucinatio nascetur, & hebetatio in oculo sano, sed ab externa causa compresso. Ita oculum extra orbitam protuberare vidi in puella: inde vero sequitur, ut palpebris etiam adductis oculus tegi nequeat. Vidi etiam glandulam istam ita tumidam, ut in genas exiret.

Inflammatos) Tota orbita ab oculo musculis, & pinguedine accurate repletur, comprimitur adeo, quam primum aliqua pars orbitae majus spatium occupat.

Caries) Quando nasus a venerea lue intus corrumpitur, & erosa membrana mucosa, canalis nasalis incipit detegi, qui sacci lacrumalis parietem osseum efficit, tunc os unguis & planum intus, in parte nares respiciente, denudantur, cariola fiunt, oculus inflammatur in tunica sua, & denique vel uterque perit, vel saltem is oculus, in cuius latere os corruptum fuerat. Ergo in hominibus, quibus nares a malo venereo computruerunt, quam primum inflammatio levis oculi cum lacrumatione adest; oculus in praesentissimo periculo versatur: finis enim mali est oculi ipsius erosio.

Depravantur] Hoc malum signum est, & fero plerumque medicina paratur, neque unquam leviter contemnendus est tumor a causa externa in orbita ortus. Legi potest hac de re HILDANUS in observationum centuria prima, & HEISTERUS de sectione & extirpatione cancri oculorum.

Circuitus) Qui a minima causa depravari potest, quia per minutissima vasa fit, & per membranas, & aqueum humorem, & ductus ciliares, lentem crystallinam, humorem vitreum, & retinam.

§. DCCCXXXVII.

Inflatae] Non alibi membrana cellulosa in morbis magis intumescit, quam in palpebris: hae enim saepe ita inflantur, ut oculus medium occultent: & in variolis plusculis diebus non finant aperiri; neque defunt exempla, perfectam caecitatem inde secutam fuisse.

Conglutinatae] In puero vidi marginem palpebrarum ita exulceratum, ut omni nocte concreverent, & eas interposita lamella plumbea, vel aliquando cultello separari necesse est. Haec *συμβλεφαρωσις* est.

Grandinosae) Quando granula destinata inungendo limbo palpebrarum obstruuntur, & oleo flavo replentur, ita tubercula nascuntur, *χαλαζαι* veterum, quae visum impediunt, & excindi debent.

Sordescent) Oculi perpetuo obvolitantibus corpusculis faedarentur, nisi a palpebris detergerentur: ergo quando hae palpebrae inflammatae sunt, aut aliter immobiles, necesse est munditiam, & nitorem oculorum perire.

Similia) Quoties palpebrae inflammantur, idem plerumque malum etiam oculos invadit.

§. DCCCXXXVIII.

Hoc numero magna continetur vis observationum, PETITUS integrum tractatum de his malis scripsit, neque tamen rem acu tetigit [1732.] Glandula innominata oculorum fecernit ex arterioso sanguine lacrimas, eas per proprios ductus hygrophthalmicos MEIBOMIANOS effundit super oculus, inter eum, & palpebram superiorem, ita oculus lavatur, & nitorem conservat. Deinde ad puncta lacrumalia determinantur lacrumae, neque sano homini ex oculo stillant, nisi ex animi adfectu tristi uberriores fecernantur.

Abundantium) Quando perpetim ingentes stillae de palpebris cadunt, tunc oculus in humore natat, neque objecta accurate cernit, nisi detensus fuerit. Cum hoc malo spiffescentia lacrumarum plerumque conjungitur, molesta literatis viris.

Spiffescentium] Id ex vitio circulationis jam suppressae in moribundis contingit. Tunc corpuscula in aere obvolitantia inviscantur in eo succo, & oculos pulverulentos faciunt.

Erosiones] Maxime quando lacrumae acres redduntur, quod vitium ipsi narium muco in subtili coryza non raro accidit.

Fistulae) Has adesse dicimus, quando ex quacunque causa homini

lacrumae perpetuo ad oculos adfluunt, inde vero in genas destillant. Non video hos morbos alio referri posse, & praemeditatus hoc nomine ita utor, etsi diversissima mala eo comprehendere cogar.

Laxitate] Quando idem vitium in glandula lacrumali nascitur, quod salivalibus in melancholicis hominibus accidit: ut nempe lacrumae perinde uberius, & perpetim secernantur, ut in istis aegris saliva solet.

Tarforum) Nemo geometrarum duas lineas cum summa mobilitate aptius junxerit, quam in limbis palpebrarum factum est. Quando vero hic vitium aliquod nascitur, ut v. g. inter limbos rima superfit, tunc per eam rimam lacrumae exstillabunt. Hoc malum videntes chirurgi saepe causam in angulo majori oculi quaerunt, quod omnino in tarforum inaequalitate est. Vidi hujusmodi rimulam, ab erosione natam, in aegro, cui lacrumae non ad angulum majorem confluebant, sed per eam rimam exstillabant, & oras palpebrarum erodebant. [a. 1727. Vidi in milite hoc vitium a vulnere, glande plumbea inflictio natum.]

Carunculae] Haec caruncula rubrum, & pilis minimis conspersum pulvinar est, quod ad angulum oculi internum adpositum, ad eum locum defectum palpebrarum supplet. Nam haec desinunt prius, quam ad angulum internum pervenerint: ergo adposita caruncula hoc spatium replet, ne oculus ibi claudi possit: eo ergo defertur omnis lacruma, quia oculus totus clauditur. Dum hoc solum spatium apertum manet; ibi retinetur ad carunculae pilos, quod viscosum est, & crassius, liquidior vero pars lacrumae subit puncta lacrumalia. Quando nunc caruncula exesa fuit, fovea manet, per eam effluunt lacrumae, neque sistuntur unquam, & fistulae lacrumalis species nascitur, absque fistula, vel ulcere.

Osculorum) Ad extremum limbum palpebrarum ponuntur duo oscula, instructa propria cornuta valvula: haec oscula haustrorum more, quibus utuntur fullones, excavata absorbent lacrumas. Quando nunc lacruma pone haec haustra in ductum lacrumalem venire nequit, nascitur etiam fistula, sed quae κατὰ πύλωσιν ita vocatur.

Deducentium) Quando ductus a punctis ad saccum lacrumalem inflammantur, aut exulcerantur, aut comprimuntur, tunc lacrumae ad saccum lacrumalem venire nequeunt, & per genas effunduntur.

Nares) In initiis gravedinis membrana narium intumescit, & canales nasales comprimit: tunc lacrumae per genas defluunt. Idem malum a polypo, aut a lue venerea nasci potest.

Ex his paucis verbulis apparet, quam sint hujus morbi & multae, & compositae causae: quam varias curationes poscant, & quam impossibile sit sanari ab alio; quam perito causarum Medico: quam male adeo oculorum morbos sanandos suscipiant homines imperiti anatomes. Non quereret, si sola aqua rosarum uterentur, aut auro contra cara aqua lapidis scissilis: quae enim medicamenta non nocent, nisi crumenis, id queror, quod

quod chirurgicas operationes audeant administrare. Vidi chirurgum os nasi perterebrare voluisse, & ea parte viam facere, cum exiguus tumor receptacula lacrumalia, a punctis ad faccum ducentia, unice comprimeret: quod malum emollientibus fomentis facile cessit. Sed caustica in primis & erodentia medicamenta maximas cautiones requirunt, & rarissime adhiberi debent. Haec contra Parisinos chirurgos dico, quibus adeo proclive est ferro pugnare & igni.

§. DCCCXXXIX.

Oedemate) Vel hydropes corneae. Ante hos viginti annos, cum de morbis oculorum praelegerem, corneam vidi, in qua plurimae exiguae vesicae erant, aqua plenae, pellucidae: tendebam corneam, & cuspidem subtilis acus chalybeae pungebam bullulas, exstillabat liquor pellucidus, & supererant alia interiora strata: tunc alteram vesiculam aperui, & sic alias porro aliasque. Oedema erat, in quo aqua collecta erat.

Pblyctæna] Vidi studiosum, qui ME consuluit, querebundus, quod subito visum amisisset, inspexi oculum, inveni vas lymphaticum in tunica adnata intumuisse, ut aegro trabi simile videretur, & visum adimeret: sanatus est eo vase puncto, deinde oculo eloto vini spiritu cum decuplo aquae temperato.

Sarcosi] Quando aspera verrucula ex superficie adnatae eminent, tunc, cum palpebrae dies, noctesque perpetuo nictitent, interna palpebrarum tunica irritatur, & inflammatur. Vidi hoc malum ortum fuisse ab arenula in oculum illapsa, quae inter globum oculi, internamque palpebrae faciem haeserat: dolores inde tanti orti fuerant, ut aeger pene convelleretur: adeo facile ex minimo vitio maximi morbi nascuntur.

Perla] Stigmate corneae albo, semipellucido. An callus est vasis lymphatici, quod crepuerat?

Cicatrice] Ita non raro post variolas in oculo per aliquot septimanas clauso concretio, & cecitas facta est.

§. DCCCXXXX.

Corrugatio] Oculi fracti, quales in moribundis sunt, & plani, qui sphaerici erant, collapsam corneam, ex defectu liquidi, a quo eam extendi oportet.

Abundat) In anteriora a copioso humore protrudi necesse est, quae parte non adest sclerotica, sed mollior cornea, atque adeo resistentia bulbi minima est.

Colorem) Uti in ictero, ubi omnia flava videntur, quia aliquid bilis se humori aqueo admiscuit. Vidi etiam, cui ab ictu pugni effuso in aequum humorem sanguine, omnia rubra adparebant.

Stagnat) Nam aquae, nisi moventur, vitium contrahunt.

Suffusiones) Recentiores medici non ita acerbe inter se pugnassent de hoc morbo, si omne ejus naturam perspexissent undique. Vidi aqueum humorem vere opacum. Idem contingit fieri in extrema senectute. In modo natis animalibus, sed canibus inprimis & felibus, aqueus humor ex naturae providentiâ turbidus est, ne eo tempore videant, & teneri oculi ab insueta luce ita adficiantur, ut totum animal convellatur, & paulatim demum incipit pellucere. Ergo omnino hoc vitium vere accidere potest aqueo humori, ut concreseat in speciem lemae mucosae: sed haec tamen cataractae species rarior est. In eo malo iris non potest ab intuente conspici, & colores oculi evanescent. Hunc morbum *hypochyma* dicere possemus, vel etiam accensere cataractis; quae vox in universum obicem fluento oppositum designat. Verum tunc moneri debet, hanc speciem non sanari acus ope, cum ante iridem positus sit, retro corneam, cornea vero non debeat perforari. In vera autem cataracta acus introducitur retro iridem; nam in legitima cataracta malum pone pupillam est, ideoque color pupillae manet inmutatus [PR. a. 1732. tertiam classem cataractae constituit, quando in humore aqueo, sed retro uveam, ante lentem membrana concrevit, & addit, etiam tunc iridem bonam adparere.]

Inflammati] Ita oculus diu in variolis clausus tandem opacus redditur, & visus tollitur, non tamen absque spe restitutionis.

Coagulantium) Per experimenta notum est, vini spiritum, & adeo etiam aquam reginae Ungariae, & multo magis alumen, vitriolum, aut saturni saccharum, aut aquam chelidonii cum salis ammoniaci spiritu, intra unicum temporis momentum aqueum humorem in albuminis speciem cogere. Inde intelligitur, aegros saepe intra unicum oculi ictum caecos futuros, si medicamenta empiricorum integris viribus ad aqueum humorem pervenire possent. Quanto sapientius Aegyptii, qui solis oculis mendendis totam vitam inpendebant, uti in politicis scribit ARISTOTELES. Neque unquam medicamenta dolorifica oculo admoveri debent, nisi cum maxima prudentia.

§. DCCCXLI.

Inflammat] Vascula tenerrima a RUYSCHIO primum, deinde ab HOVIO in uvea detecta, inflammantur. Sed iris contrahitur ad quoscunque radios lucis illabentis: atqui muscoli inflammati, quando operantur, dolent magis, quam ut tolerari possit, adeoque hic morbus cum summo periculo conjungitur, atque continuo oportet cum summa cura medicamenta antiphlogistica adhibere, oculum vero obligari, ne ulla lux adfulgeat, & iris moveatur: nisi hoc fiat, oculum suppurari necesse est. Quando radios lucis tolerat: bene est; quamprimum vero ad minimam lucem

lucem acerrime dolet, tunc malum in iride, sive pupillae musculus est. Hoc signo etiam cognoscitur internum oculum aegrotare, non palpebras, eae enim inflammatae lucem non formidant. In tenebris hi muscoli quiescant, sed contrahuntur accedente luce, & excludunt radios, cum acerrimo dolore.

Visus) Vidi contigisse viro, qui Britannicam linguam docebat: collyriis exceptum est malum, cum medici in cornea malum quaerent, & utrumque oculum per hanc curationem funditus amisit. Nullus hic locus est negligentiae, sanguinem oportet ad animi deliquia usque emittere, fomenta adponere mollissima, & ea omnia facere, quae in pleuritide ex arte fiunt, ne malum in suppurationem abeat. Si enim abierit, actum est de dulci lumine.

Ἡμεραλωπία) Vesperi pupilla maxima est, ut superficiei amplitudine radiorum paucitatem compenset. Quamprimum radii majori copia adpellunt, tunc iris contrahitur, & excludit superfluos. Quando nunc pupilla immobilis facta est, & perampla, tunc oculus in luce nihil videt, non magis quam aves; quae noctu praedam quaerunt, bubones, & ululae, quae solem fugiunt, quia pupillam amplam immobilem, & absque iride habent. Quando vero pupilla pariter immobilis est, sed contracta simul, tunc, contrario modo oculus non videt, nisi in summa luce. In eo vero perfectio oculi est, ut luci se accommodet, & pariter ad lucem nimiam constringi possit, ad minorem vero in tenebris dilatari, solaque mora aptitudinem ad videndum acquirere. Haec tamen facultas felibus major est, qui & interdiu vident contracta pupilla, & noctu eandem ita dilatant, ut minimum musculum eminus speculentur.

§. DCCCXLII.

Inflammata) Lens conponitur ex innumerabilibus stratis parallelis membranaceis: quae ipsa constant vasis pellucidissimis, & pellucidissimum liquidum vehentibus, juxta se invicem adpositis. Quando nunc humor in aliquo horum vasorum stagnat, continuo opacus fit, & incipimus alium in aegri oculo colorem videre: hoc cataractae initium est. Possit vero opacam reddi, vel ex fervida apparet, cui injecta lens continuo opaca redditur, & alba. Alias lens atrophica exarescit, & ex ea causa opaca redditur: eademque sanata facultas videndi redit.

Glaucoma) WOOLHOUSIUS, & WOOLHOUSII adversarius CEL. HEISTERUS germanus, petierunt a ME, ut de lite sententiam ferrem, quae utrisque intercedebat: ego vero nolui his litibus me inmiscere. Verum puto eos, si rite considerassent, quae hic scripsi, mentem meam satis fuisse intellecturos. Quando lens cristallina opaca fit, relinquit sanam iridem, sed loco nigerrimi coloris, qui sani hominis pupillam obscurat, corpus aliquod albidum pone pupillam adparet: lens est, non pellucida, qualem esse oporteret.

In

In eo statu aegri incipiunt alucinari, & *αμβλυωτες* fiunt. Quando malum durat, & increfcit, tunc hoc coloratum corpus ob colorem album, aut perleum, veteribus glaucoma dicitur; fed haec vera cataracta eft, quae acu deponitur. Quando nunc homo TE convenit, & quaerit, num acu fibi mederi liceat, pone aegrum in averfa luce, tunc oculum infpice. Si tunc color iridis naturali fuerit, oportet fub iride feorfum, & deorfum circumfpicere, donec lentem cryftallinam invenias. Quando ea opaca eft, tunc licet utique eam acu introducta excutere; & in locum, quem depreffa lens reliquit, humor vitreus protuberabit, ut adeo radii lucis ad retinam viam liberam inveniant. Sed non ideo videbit aeger, nifi perfpicillo valde convexo utatur, quo convexitatem anteriorem oculi fuppleat, ablatam per adminiftrationem chirurgicam. Viduae magni DRELINCOURTII RAVIUS cataractam depofuerat, neque vifum potuerat reftituere: ergo juffi eam uti fphaera, five perfpicillo craffiffimo, globoso: cum hoc praelidio, poft quindecim, vel fexdecim annos a deputatione nunc commode legit.

Quando vero non in lente vitium eft, fed aqueus humor opacus eft, tunc iridem non poteris videre, & nunquam oportet acum oculo admovere; neque tunc quando lens ad iridem adnata eft, & iris immobilis. Si tunc conatus fueris deponere cataractam, poterit aeger convulfus perire: lens enim non poterit feperari, nifi quamplurimis nervis lacertatis. Repetito moneo, ut in omni cataracta fub iridem introfpiciatis: fi vacuum videritis retro iridem, inter uveam, & lentem, tunc lens libera eft, & deprimi poteft. Si vero nullum fpatium retro iridem adparet, & aufus fueris acu uti, convulfiones certe lethales excitabis, aut alia mala fupervenient, quae non ante ipfam vitam finientur.

Figura) Quando utcunque finditur, ut in multa plana abeat, tunc toties aeger objectum repetitum videbit, quot mutatae lentis latera funt.

§. DCCCXXXIII.

Alii) Homines objecta proxima non recte vident: fi vero objectum ad certam diftantiam removeris, in qua diftincte vident, poteris ulterius in infinitam diftantiam remove, & femper clare videbunt. Hos vocamus Presbyopes; iisque oculi planiores funt, quales in fenio funt, quando cornea validius contrahitur, quam ut expandi poffit ab humoribus. Alii homines proxima objecta diftincte vident, remota confufe: hos Myopes vocant, & inter juvenes frequentiores funt, cum ipfa vero aetate vifus, qui peffimus fuerat, emendatur, & eo melior fit, quo aetas major eft, ut fenes aequae bene videant, ac homines mediae aetatis faniffimis oculis inftructi, neque unquam ad legendum perfpicillis egent. Utrunque vitium perfpicillis corrigi poteft. Myopibus lens nimis rotunda eft, & radios cogit convergere ante, quam retinam adtingant, ut iterum

rum divergant, multisque in punctis retinam feriant: hic nimiam convexitatem lentis compensat vitrum concavum. Presbyopes vero, quibus radii ob oculum nimis planum non convergunt ante retinam, medelae est vitrum convexum, qua radii citius cogantur convergere.

§. DCCCXLV.

Hydrops] Non mirum est, cum RIDLEYUS demonstraverit, in retina vasa lymphatica esse, quae amaurosin facere possunt, si ita intumuerint, ut nerveas retinae fibrillas compriment.

Inflammatio] Et tumor arteriae MARIOTTIANAE, vel inflammatio in vasis arteriosae retinae RUYSCHIANIS, jam EUSTACHIO notis.

Pblyctæna] Vasis lymphatici tumor.

Optici] In fundo oculi, sub ipso axe visus explicatur mucilago productorum thalamorum opticorum: in ea pictura si imago rei visae representatur, & inde per nervum opticum defertur ad cerebrum, & sensorium commune, ibique ex visa imagine idea excitatur: id est videre. Si nunc punctum fuerit, in quo objecta non possint depingi, in eo puncto utique oculus caecus est. Quando v. g. effusa guttula sanguinis in nervo haeret, nihil ibi videbit, & ne vitium quidem oculi sui, sed in haemisphaerio coelesti foramina nigra videbit. Si millena talia puncta caeca fuerint, in mille etiam punctis oculus nihil videt, & mille puncta nigra in aete videt saltantia. Huc pertinent flocci; omnis generis, & spectra, quae omnia ex PITCARNII, & pridem CHRISTOPHORI WREENII demonstratione nunquam in lente, neque in vitreo humore, sed in oculi fundo sedem habent, & in vasis quidem sanguineis, quae rubra, in pellucidis, quae diaphana [1731. Hoc naturale vitium esse, cum oculus in parte vasculosa, rubra aut lymphatica naturaliter caecus sit; quando vero vasa intumuerunt, tunc partem caecam oculi majorem esse]. Neque mirum est, haec vitia nobis extra oculum apparere, cum vulgo imago rei visae semper in retina pingatur, & tamen extra oculum sita adpareat.

Αμαυρωσις] Caecitas ex vitio nervi vel communis sensorii, absque adparente oculi vitio, cum perfecta tamen immobilitate pupillae, etiam ex tenebris in summam lucem translatae. In hoc morbo stulti est externa medicamenta applicare.

Compressio] Quando sinistrum oculum ad dextrum latus converto, & eodem tempore digito comprimo, video flammam ingentem. Dum enim retinam inverto, & partem inferiorem cogo superiorem fieri, eadem eam fere ratione adfacio, uti ab igne adfacitur: inde flamma, quam in oculi fundo video. Pone nunc arteriam in retina esse, centies capillo minorem, eam pulsare, retinam premere, intelliges, etiam tunc hominem scintillas perpetuas visurum esse. Haec mala cum rotationibus, & coloribus iridis, solent epilepsiam praefagire.

Cete.

Cerebri) Sive impedimentum in nervo optico inter oculi bulbum, & cerebrum fuerit, sive in ipso cerebro. Hæc postremum contingit in apoplexia, ubi perfecta caecitas ex vitio cerebri accidit.

§. DCCCXXXVI.

πύοπτιαν] SENNERTUS celebrem historiam tradit. Homini musculus abductor oculi integre dissectus fuerat, hinc adversarii adductores oculum paulatim ita introrsum traxerant, ut punctum visum juxta carunculam lacrimalem esset, & quidquid intuebatur, sub nares cogeretur ponere: adeo ad nares tractus erat, & inversus oculus. Deinde eidem homini casu vulnus infligitur, quo nasus ipsi perforabatur. Is homo tota vita sua per vulnus & nasum, tanquam opticum tubum, objecta vidit.

Strabismus] Dantur homines, quibus axis visorius non idem in uno loco est, qui in altero. Id observavi, cum mensurarem angulos ab axi visus, cum naso interceptos, quando jusseram, ut utroque oculo idem objectum intuerentur. Inde diversa genera strabismi oriuntur: cum alii oculos, dum objectum intuentur, ad se invicem inclinent, alii ab invicem convergentes faciant; alii uno oculo sursum, altero deorsum respiciant. Haec mala oriuntur a musculis oculi convulsis aut resolutis, si v. g. auferri posset actio musculi obliqui inferioris, mirifice certe oculus in oppositas partes traheretur. Si superbus laeditur, oculus detrahitur, si humilis, tunc oculus adtollitur, & coguntur aegri caput eo inflectere, quoties in aliquid tumentur. (1732. Strabismus est, quando uterque oculus ad exteriora conversus est, luscities, quando introrsum ad nares.

Trucem) Quando omnes musculi conjunctis viribus oculum extra orbitam protrudunt, & prominere cogunt. Ita PLATO ait, SOCRATEM eum brevi antem mortem de anima differeret, *taurinum* inspexisse. Omnes hi morbi nunquam intelliguntur, nisi cognitis conditionibus, quae ad visum requiruntur: neque ulli oculus tractandus committi deberet, nisi horum omnium gnaro: huic autem tota res facilis est.

§. DCCCXLVII.

Videatis, quam multiplices morbi hinc generari possint. Antequam verbū definiatur de morbo, summa cura adhibenda est in tanta errandi occasione. Considerare oportet singulatim omnes partes, quae ad visionis organa pertinet: ita judicare poteris, num morbus sanabilis sit, num sanationem repudiat: & si sanabilis fuerit, remedia, per quae sanari poterit, facile definies.

§. DCCCXLVIII.

§. DCCCXLVIII.

In auditu etiam numerosiora vitia occurrunt, quam in visu, cum plures partes sint, earumque multae ossae.

§. DCCCXLIX.

Ὄζυρκοια] Quando sensorium commune, & nervi ad hoc sensorium pertinentes ita tensi sunt, ut ad minimam actionem nimis valide adficiantur. Hoc fit in omni morbo acuto, brevi abituro in phrenitidem: hi aegri ne quidem lenissimum strepitum hominum focco calceatorum ferre queunt, qui dum ministrant, per cubiculum obambulant. Exempla habet ILL. BOYLEUS. Idem etiam malum hypochondriacis, & hysteriis nonnunquam accidit.

§. DCCCL.

Βαρυκοια] Quando sonus perceptio minor est, quam in sanitate.

Ablata] Hoc malum opposita cava manu, aut cornu sonoro emendari potest.

Angustus] In Virgini nobili adeo arctum vidi, ut vix aciculam admitteret.

Ruyschiana) Quia ex meris vasis componitur, utique inflammari potest.

Ἰ ποπυον] Quando omnia vasa oculi in pus convertuntur.

Tumore) V. g. carne post laesionem tunicae eminente.

Sordibus] Cerumen bili cognatum, viscidum, facile concrevit: inde turundae cum pulvere fiunt, quae totum meatum obplent. Haec species furditatis sanatur ab empiricis per injectos liquores saponaceos, quorum primarius est ipse Sapo venetus, in lacte dissolutus, cum melle & syrupo... Ipse huiusmodi aegros eadem methodo sanavi.

Crusta) Talis crusta in homine modo nato est, cui vix ullus meatus auditorius est, sed in loco meatus, membrana fungosa, crassissima, tympani meningem obducit, ne tenerrimum cerebrum a sono laedatur: uti in oculo humor aqueus puerorum modo natorum ideo turbidus factus est, ne a nimia luce convellantur. Cum aetate demum meatus in longitudinem, & profunditatem extenditur, pannus autem ille subpurat, nudamque & siccam, tenuissimam relinquit membranam. Si eadem membrana adulti hominis tympanum obduxit, vitium in auditu sequetur.

Eustachianis) In gravissima angina, quae fit a pleuritide, vel a peripneumonia sicca ad fauces ascendente, & in vena lue, premitur

emissarium tubae Eustachianae, quae ex tympani cavea ad nares patet, inde quando totum clauditur, perfecta surditas, quando non integre, auditus gravior succedit. Tunc enim aer rarefactus in concha interna, non renovatus, trudit extrorsum tympani membranam, ut nullus sonus percipi possit. Hoc malum vix capit medelam. Exempla tamen aliqua prostant, sanatum fuisse injecto liquido in ipsam tubam.

Soluta) Rupta membrana tympani, aliquando ossicula cum pure prodierunt. Inde gravis auditus necessario sequetur, & postremo surditas.

Inflammationes] Nervus acousticus intra calvariam, inter cerebrum, & os petrosum, vestitur pia meninge, quae vasa primi generis continet, obnoxia inflammationi. Si vero inflammatio vera ibi nata fuerit, premetur sentiens nervi medulla, & morbus nascetur in auditu, quem in visu *αμυρωσις* vocamus, a natura, non ab arte sanabilem.

Hinc intelligitur, neminem surditatem sanare posse, nisi cognitae habuerit omnes conditiones ad audiendum requisitas. Absque hac cognitione in tenebris palpabit, & forte fieri poterit favente fortuna, ut ex centum adhibitis remediis, unum conveniat. Denique, ne cognita quidem vitia auditus sanari possunt, praeter obstructionem, & paralyin, & inflammationem membranae, quam antiphlogistica methodo tollere possumus 1732.] Ad illam princeps remedium est illapta guttatim in aurem aqua thermarum Aquisgranensium, si frictions una administratae fuerint, & hanc methodum Ego soleo commendare, aegrosque Aquisgranum mittere. Veteres Embrochen vocabant. Caeterum ad haec vitia remedia vix possunt directe adplicari.

§. DCCCLI.

Humidi] Vulgo notum est, caelo sereno, & gelido, & flante borea, contentus musicos magis penetrabiliter resonare; austro vero spirante, & coelo humido omnia instrumenta, & ipsam vocem humanam vires suas amittere, ex aeris vitio, qui levior, humidior, organa nostra minus valide adficit, & ipsam tympani membranam relaxat. Aliqui surdastri tempore nebuloso vix audiunt, optime vero adspirante borea: his a laxitate malum est. Alii austrino caelo medius audiunt, his causa mali a siccitate est.

Interni] Tympanum plenum est externo aere, cum quo per meatum EUSTACHIANUM communicat. Impediatur hoc commercium, surditas certe sequitur, quia aer internus poterit compressus esse, dum externus rarus est, & vicissim. Num vero etiam in vestibuli cavitate aer verus adfit, qualem congenitum ibi habitare ARISTOTELES docet, id quidem dubium est, cum nulla per ossa durissima via pateat, & in infante citissime omnia aeque perfecta sint fere, quam in adulto.

Inflam.

Inflammatorios) RUYSCHIIUS demonstravit, membranam tympani inter duas lamellas media vasa habere, quae ex centro tamquam radii ad ambitum abeunt; haec inflammari possunt: & inde pulsatio oriri, atque tunc mens singulos pulsus tamquam mallei ictus percipit. Sed & officula periosteum habent, & obstupuit DUVERNEYUS, cum Luteriae audiret, RUYSCHIIUM vasa plurima in officulis, auditus demonstrare.

Tinnitus] In apoplexiae initiis, & acutis morbis, & post capitis plagas solet molestus esse. Causa est in subsultatione alterna arteriarum, quae membranas audientes concutiunt.

Echus) Hoc vitium in nervo est, quando sonus post aliquam temporis successione percipitur. Causa est laxatio, aut discessio demum connexorum ossium.

§. DCCCLII.

Oblivio] Qui surdi nati sunt, nonnunquam discunt certum sonum. edere. Mirificum est, omnia animalia suum proprium sonum nata esse, non vero hominem, ut duo homines surdi nati nunquam eisdem sonos edant. Quando vero homo loqui doctus, & auditu praeditus, per infortunium obfuscescit, etiam tunc facultatem audiendi amittit: ut cogatur denuo addiscere voces, & loquelam, si post multos annos auditum recuperaverit. Eadem certe ratione musicus usum instrumenti dediscet, quo per viginti annos nonnumquam usus est.

Causa) Concretio a lue venerea frequens surditatis causa est.

§. DCCCLIII.

Cavernarum) Qui sinus frontales nullos habent, nullo olfactu praediti sunt, estque insanabile vitium

Absentia] Tunc minor est membranae olfactoriae tensio.

Siccitate] Hinc fit, ut, qui per arenosa obambulat, auditum pro aliquo tempore amittat.

Humiditate) A copioso muco in gravedine: magis autem ab inflammatione in coryza pessima, & maxime a gangraena venerea, qua olfactus destruitur absque ulla spe restitutionis.

Polypos) Vidi in puella polypum, adeo magnum, ut ossa maxillae extrorsum cogeret, & sensum olfactus tolleret, cum totam membranam olfactoriam comprimeret.

Factore] Vidi virum praestantissimum eadem patientem, ac ille, qui putridissimum cadaver sibi adligatum haberet: lavabatur aqua per nares resorbta, sed a somno idem redibat intolerabilis factor, ut vitae miserum poeniteret. Causa erat caries ossium nasi. Finis mali est perfecta.

αοσμία. Alius ex lue venerea, querebatur se lardum odorare. Eiusmodi

homines jubeo melle, aqua, aceti, & salis paullo nares eluere, & fauce, gargarismo purgare: ita ulcus mundatur.

§. DCCCLIV.

Papillae) Quando muco obducuntur, uti fit in catarrhorum initiis, ubi materia pituitosa totam membranam Schneideri occupat, & foramen occludit, quod a naribus ad palatum patet, & viam aeris per os obturat.

Exsiccatione] Quando aer per paucas horas per os solum hauritur, uti fit in obstructione narium, linguam exsiccari videmus, gustumque perire.

Nervi) His duobus nervis multa certe vitia inter sensorium commune, & linguam accidere possunt.

Biliofi] Tunc omnes cibos amaroris postulant, uti in ictericis videmus.

Salini] Qui a febribus ardentissimis convalescunt, in omni, etiam maxime insulso cibo, detestantur saporem salissimum: his nervi diu ficci, & crusta testis, subito liberi, humidi, & nudi, validius adficiuntur, & dolent, a ciborum etiam modica acrimonia. Potest etiam a salivae vitio fieri.

Saccharini) Qui saccharum admorsit, deinde continuo acidum vinum bibit, longe alium saporem vini, quam extra eam successionem, percipit. Qui ob luem veneream mercuriali curationi se submittunt, carnes caesantur foetidissimas. Sed putredinem, quam in cibis percipiunt, in propria anima habent.

§. DCCCLV.

Obtuse) Hoc signum est nervi & cerebri pessime adfecti, & saepe futuram apoplexiam praefagit.

Frigore) Manibus congelatis nihil accurate tangi potest.

Cuticulae) Principem quemdam Polonum (Lithuanum 1732.) narrant absque cuticula natum esse, aliumque Amstelodami hominem. Ita, quando ungues accuratius, & propius ad radices refecantur, ab omni adtactu dolens adfectio, & molestia percipitur, quod papillae non satis defensae, nimis exquisite sentiant.

Torpedinis] Huc etiam referri potest stupor a torpedine excitatus: quae contacta formicationem molestissimam infert, & ipsa denique cardialgiam. Haec veteres dudum viderunt, quos a junioribus praeter rem derisos, experimenta MALPIGHI, & BORELLI vindicant: ex his enim constat, ab adtactu torbedinis subfilire nervos tactiles per totum corpus, eadem ratione ac si digitus supra mensam cum tremore fricaretur,

cur, (aut culter super vitrum raderet, quod multis ingratum in dentibus stridorem excitat) & idem in omni digito, & in toto denique corpore contingeret: eosdem certe effectus vere se vidisse, adfirmarunt MICHII homines ex Indiis reduces. Haec agitatio systematis nervosi ultimo ipsos nervorum ad praecordia plexus adficit: inde cardialgia.

§. DCCCLVI.

Frigore] Si obtinueris in hypocondriacis, ne pedes frigeant, neque caput caleat, sanasti molestas ipsorum vigilias.

Irritant] Sive dolor, sive cura, sive alius animi adfectus.

Motu humorum] Ante aliquot annos, cum ex acuto morbo decumberem, percepi me majori mentis acumine gaudere, & velocitate cogitandi, quam in sanitate, hinc timui MICHII de delirio, neque metus vanus fuit.

Somnolentia) Somnus est quies sensorii communis. Quae hanc quietem faciunt, ea somni causae sunt.

Plethoram] Plethoricorum hominum sanguis aestivo tempore rarefcit, & vasa, pridem distenta, tenuissima facit esse. Verum totum corpus resistit, cerebrum vero neque sanguini extrorsum cedere potest, neque resistere, totum ergo augmentum distensionis impenditur in comprimenda vasa, mollemque cerebri medullam. Inde somnolentia, & aliquando funesta apoplexia oritur.

Usum] Opium operatur dum in ventriculo adhuc retinetur. Canem invitum coegi devorare opium, deinde cum jam ex medicamento fere convelleretur, incidi; & opium adhuc in ventriculo inveni. Ergo efficacia opii non eget longa illa per lactea vasa via.

Opii) Si aliquid vi specifica in certam partem corporis humani agit, certe opium est: id enim non in vitales, sed in animales spiritus vires exercet. Quando homini non adueto mediocris opii dosis propinatur, mutatur ita, ut non dormiat, sed dulcedinem quamdam percipiat, ut qui in elysios campos translatus fuerit, & tunc maxime gratam, si prius dolribus probe maceratus fuerit. Novi, qui ob podagram opium adsumserant, jurarunt, se status illius perpetuitatem omni re, quae sibi pretiosissima esset, libenter redemturos, si liceret manere talibus, quales fuissent post opii praebium. Ergo opium non operatur comprimendo, neque sopiendo, sed per gradus in spiritus agit, & minori copia datum blandam quietem, majori somnum infert. Ita neque maxima voluptas absque animi deliquio diu sentiri potest.

Aromatum] Pharmacopoei narrant, se in somnolentiam vix superabilem delabi, quando cistas ex oriente acceptas, & aromatibus plenas aperiant.

Naribus] Homo, qui fortissimum vinum diu olfecit, neque & inebriatur,

briatur, & dormit inebriatus, uti fieret, si vinum bibisset.

Copiosas] Et duros digestu, v. g. carnem bovinam, quia plenus ventriculus aortam descendentem comprimit, & sanguis majori copia ad cerebrum adscendit.

§. DCCCLVIII.

Αγρυπνῶδες] Videtur ponere collapsum magnae partis cerebri, dum reliquum liberum est: adeoque humores, qui per illam transire nequeunt, ad istam majori copia determinari. Hinc saepe definit in cerebri inflammationem.

Τπνῶδες) Sunt qui ita obdormiunt, ut in remota loca transferri possint, neque excitentur, non magis quam scapha vecti a navis motu expergiscimus.

Easdem] Homo, cui caput percussum erat, inciderat in somnum perpetuum, ut nulla arte excitari posset. Vidi in cadavere incredibilem vim sanguinis sub cranio effusam fuisse.

Καρος] Profundus somnus cum febre acuta; denotat cerebri inflammationem, ut nulla pars superfit, quam spiritus libere possint permeare.

Λιθάργος] Oritur ex causa frigida, lenta, obstruente vasa cerebri, ut nulli spiritus generari possint; inde enim somnum perpetuum sequi necesse est. Quando in sanguine illud liquidum deficit, quod per minimos canales fluere debet, naturalis somnolentia nascitur, quia id subtile liquidum non reparari potest, nisi per somnum. Ita gallina incubans ovi albumen, quod sibi tenax subposuit, elaborat, ut per testas volatile avolet. Eadem ratione per somnum, moderato, & aequali calore, partes humorum subtilissimae redduntur; & neque albumen absque calore incubantis gallinae, neque humores nostri corporis absque somno ad illam necessariam subtilitatem elaborari possunt.

§. DCCCLIX.

Αυκισθισία) Ille sensorii communis status, in quo vel anima ad ideas corporeas sibi oblatas non advertit, vel sensorium commune ipsum ita vitiosum est, ut nullos ab objectis motus recipiat, aut nullos menti repraesentet. Lex humanae naturae est, non explicata, sed inventa experiundo, partem esse in cerebro, non totum cerebrum, cui adligentur cogitationes, uti ad res aliquas arbitrarias. Historia est, latino sermone scripta, tristissima, facti alicujus saevissimi a tyranno perpetrati. Offer hanc historiam Arabi, ille videt lineas, circellos, figuras, chartam, nihil praeterea. Sed offer eandem homini perito latini sermonis, videbit certe oculis suis non alia praeter ea, quae vidit Arabs, sed per-

turba.

turbabitur animo, & orientes in anima commiseratione, iras, indignationes patietur. Ergo ipsae literae cogitationes non producant, & tamen ex consuetudine adligandi ideas ad characteres arbitrarios, oriuntur hae cogitationes; neque necessarium est adeo mutari totum corpus, ut sanae mentis homo incipiat desipere; sufficit minima mutatio in sensorio communi.

Memoria] Aliquando nimis fixa est, uti in melancholicis, quibus eadem idea perpetuo menti praesens manet. Hac deperdita omnia pereunt, intellectus; iudicium, & sui denique conscientia. Homo se ab ea aera incepisse credit, a qua primum recordari coepit; idemque definit esse, quamprimum memoria eum destituit. Nam meminisse est, conscientiam esse praesentis cogitationis, cum concogitatione cogitationis prioris. Hac memoria ablata ideae nexu destituuntur, & anima fit cogitans atomus, quae boni, & mali iudicio, & sui denique ipsius cogitatione caret; nam etiam ista cognitio idea est, quae priorem subponit. Sed haec memoria, quamdiu vivimus, a corpore pendet, & cum eo pariter & crescit, & definit. Infantes, & senes pene memoria destituuntur, & illis plurima est, quibus in cerebro nervi tenuissimi, vasa plurima, pauci vero calli sunt. An ergo non cogitamus a morte? Dubito. De his omnibus in *Critone*, pro more sapienter disputavit SOCRATES.

Confusa) In convivio ALCIBIADIS bonus SOCRATES insolita boni vini copia percussus, ita turbatus est animo, ut citharoedam juberet lurdicrum aliquid cantare, ad quod saltaret, neque temperaret saltando. Medico certe conviva egebat, qui paucum illud acre a vino corrigerit.

Delirium] Res incredibilis est, sed verissima, nihilo incertior mathematica demonstratione. Homo sapiens inter papaveris semina adsumsit aliquantum seminis hyoscyami, post pauca horae minuta delirare cepit, mirifica & nunquam visa deliria. Prudens medicus exhibuit drachmam unam vitrioli albi, vomuit aeger, & continuo sensum, mentemque sanam recepit eiectionis feminibus nihil adhuc mutatis. Hoc paucum, quod de his feminibus in cerebrum venerat, sustulerat ipsi *identitatem*, & *egitatem*.

Stultitia] Depravatus nexus prioris ideae cum sequente: quando post unam ideam, altera discors animae obvertitur. Nam stultorum ideae seorsim positae non sunt stultae, nexus autem, & concogitatio praecedentis ideae cum praesente laborat.

Affectus] Qui amat, nihil nisi puellam suam videt, & cogitat, Geometra nihil praeter lineas suas cogitat, reliqua omnia nihil facit, & se quasi solum in orbe considerat.

Multis, & diversis] Adfectus animi a quadam conditione corporea plerumque pendent: in sano homine vix potest tristitia produci, & si necesse fuerit simulare moerorem, semper eminebunt laeta sanitatis signa. In melancholico vero vix excitabitur laetitia, nisi corpus prius mutaveris.

Laxin

Laxitas] In Leucophlegmatia plerumque memoria, & sensus pereunt. Hos aegros oportet robustiores reddere. In phrenitide contraria curatio convenit, nempe relaxatio tensionis nimiae fibrarum. Ita in his stimulum addere, in alis sedare convenit.

Concretio] Inde pendet anaesthesia senum, quorum anima speculum mundi esse desinit. Perit paulatim perceptio & sensibilitas, & anima in se ipsam se obvolvere cogitur, atque de suo vivere, nempe de ideis praecedente tempore acquisitis. Hanc senum miseriam pulcherrime BARSILLAI descripsit, quando ad mensam DAVIDIS invitatus hunc honorem deprecatus in filios transferri petit, nam bona haec omnia nihil se juvare, addebat, neque dignoscere se bonum a malo, neque gustare, qui edat, bibatve, neque audire vocem cantorum, & cantatricum &c. [L. SCHEMUEL. II. C. XIX. v. 36. seqq.] Ita porro etiam animi affectus majorem partem a corpore pendent; nam hypochondriacus inter laetissima spectacula, & omne genus deliciarum serius manebit. Quem vero natura ad laetitiam finxit, ille vel inter publicos luctus vix poterit joci temperare.

§. DCCCLX.

Cerebro) Non potest alibi esse, cum nihil sit, nisi impedita praesentia facilis & adfluxus, & transfluxus spirituum animalium in nervos sensorios, & motorios. Haec causa proxima est, remotae possunt innumerabiles esse, quae tamen omnes unicum producant proximam. Ipsa vero multiplicitas facit, ut eas ad classes reduci necesse sit. (Eadem est BELLINI observatio, post aliquot unicas sanguinis e vena missi deliquium animi, & somnolentiam, & stertorem succedere, quia sanguinis ad cerebrum pressio sublata est: perire vero hominem, quamprimum etiam cerebellum nihil accipit.) In apoplexia videtur etiam sui conscientiam deleri, cum omni actione, quae ab anima pendeat, sensu, motuque, conservata interim vitali facultate, & homine pro aliquo tempore plantae quasi vitam vivente.

Fracturae) Spatium inter encephalon, & calvariae ossa secundum naturam nullum interest, ne guttulae quidem capax. Si nunc vel os depressum, vel effusum inter os, & cerebrum liquidum, spatium aliquod in cavitate cranii sibi fecerit, necesse est diminui encephalon, ut huic augmento cedat, & comprimi, donec spatium paratum sit; & haec est ratio apoplexiae chirurgicae. Vidi apoplexiam in puero recens nato, suspicatus sum caput ab ostetrice compressum, ab ancilla aliqua nimis constrictum esse, jussi omnia vincula solvi, & mirum dictu, vix ad 20. numerasses, cum infans sanus ad me rediit.

Exostoses] Vir nobilissimus post insultus epilepticos apoplexia estinatus fuerat. RAVIUS MECUM cadaver secuit, invenimus tumores, protuberantes

berantes in cranii caveam, ut necesse esset spirituum irritationes, & irregulares motus, & denique apoplexiam sequi. Hujusmodi mirificae apoplexiae accidunt in venerea luce, a tabula vitrea in exostofin tumente, quae cerebrum comprimebat.

Vasorum] DRELINCOURTIUS in canicidiis demonstrat, si cani majori altera carotis ligetur, animal vacillare: si utraque, stertere, si praeterea vertebraliū altera, apoplecticum cadere, & cor incipere laborare, si utraque demum cum carotidibus vertebralibus adstricta fuerit, mortuum procumbere. Hinc ferocissimum molossum, aut leonem compescere non difficile est, dummodo abfiliēntis jugulum amplexus comprimās, continuo enim vires bestiam destituent.

In venis) Si venam jugularem externam cani ligaveris, eodem DRELINCOURTIO observante, animal male habet; si & altera, aegrum erit, & stertet, tumebit, rubebit, spumabit, suffocabitur: cum sanguis venosus impediatur, ne a cerebro refluat, arteriosus interim per liberās carotides in caput ascendere pergat. Haec apoplexiae species est, qua strangulati moriuntur.

Spiffamenti) Vidi apoplexiam hujusmodi in puero ex annosa matre modo nato: adhibui ad nares spiritum salis ammoniaci, ut cerebrum fortius movere, & malum evanuit.

§. DCCCLXI.

Paralysis] Impotentia motus muscularis cum flacciditate partium.

Paraplegia] Est apoplexia, cujus sedes est in medulla spinali: tunc omnes partes, quae a dimidia parte medullae nervos habent, una resolvuntur.

Singularis] Quae semper vel in arteria est, vel in nervo, vel in cerebri parte, ex qua is nervus provenit. Nunquam in corde est, hujus enim paralysis est mors: quam in peste acutissima subitissimae mortis causam esse suspicor. Historias in peste Londinensi legi. Musculorum autem animalium paralysis chronicus morbus est, qui diu superstitē vita tolerare potest.

§. DCCCLXII.

Epilepsia] Est subita abolitio actionum animalium, cum motu violento spasmodico omnium musculorum conjuncta.

Caducus] Licet in initio paroxyfmi aliquamdiu in circulum decurrant, aut aliqui recta etiam procedant, amissa conscientia, neque mementuri, quid secum actum sit: quamprimum tamen morbus invaluit, procumbunt omnes.

Reciprocis) Causa proxima epilepsiae est is cerebri status, in quo eae cerebri partes clauduntur, quae ad sensus respiciunt, apertis manenti-

bus, quae ad voluntarios morus pertinent, & celerius a spiritibus animalibus perfluxis. Hinc omnis epilepsia in apoplexiam abit, quando remittit, nempe in profundissimum somnum, ex quo nequeas excitare aegros, eo vero sponte soluto sensus, & ratiocinium non continuo, sed paulatim, & lente restituantur.

§. DCCCLXIII.

Δίπνος) Haec alias cum tenebris est, peior eadem: alias absque tenebris, quando corpus unice vacillat, ut se nequeant sustinere, sed ad obvium aliquod corpus apprehensum firmare, quod omnia ipsis in gyrum circumferantur. Hujus vertiginis deterior gradus est, quando aeger colores iridis conspicit. Hujus phaenomeni causa admirabilis est: v. g. pueri, quando apertis oculis corpus celeriter in circulum rotant, sensus amittunt, & cadunt apoplecticorum similes, si lusum diutius urserint. Oculis vero clausis circumgyratio non proinde vertiginem facit: nam equi caeci nihil patiuntur, quando molendinam agitant. Alii homines ne facem quidem celeriter rotatam absque vertigine adspicere possent. Deinde plerique ex alio loco despicientes, vertiginem patiuntur. IPSE ab esu cicutae tantas vertigines passus sum, ut omnia MICH I celerrimae circumire viderentur, neque fere stare possem: sumto vero medicamento vomitorio malum abiit. Sed tantum praecedenti eam plantam, & robusto hortulano, idem incommodum accidit. Idem etiam aquatica illa GESNERI cicuta facit. Sed & vinum, & hesternae crapulae similiter vertiginem infert. Ergo vertigo saepe morbus ventriculi est.

§. DCCCLXIV.

Σπασμος) Facultatis trahentis ad unum musculum prae reliquis determinatio: ut pars appensa vehementer trahatur. Simillima actioni animae, sed animae inobediens. Huic morbo prae reliquis histericae tenerrimae feminae etiam ex levissima causa obnoxiae sunt, redit autem quies spirituum, si aliquid violentius, quam morbi causa, nervos adfecerit, qualia sunt faetida oblata, aut ammoniaci salis spiritus.

Tetanus] Vehementissimus spasmus, qui artum aliquem immobilem reddit. Est quando uterque musculorum antagonistarum spasmodice constringuntur, nempe flexor pariter, & extensor partis. Vidi hunc morbum in musculo temporali, qui mensa durior erat. Sed in gastrocnemio, & soleari etiam vidi, ita contracto, & indurato; ut ferri simillimus esset. Causa validior est, quam in spasmō. HIPPOCRATI notissimum fuit.

Universalis] Si causa in cerebro haeserit: in his terris rarissimus, frequentior in Graecia; deinde in metalli fodinis, maxime ubi argentum vivum, aut arsenicum eruitur: ut recte eum morbum PARACELSUS metallicum dixerit: cito aegros enervat.

Singularis) Quem *Crampum* vocant: est incommoda musculi tractio, orta a tendine ex orbita sua devio, & convulso. Quando homini sano musculus extra propriam sedem est, continuo distorquetur, aliterque partes trahentur, quam in sanitate. Huic malo luxatio maxillae similis est, quando per oscitationem inferior mala ita deorsum trahitur, ut processus condyloidei extra verum situm propendeant: tunc coroneideus processus acumine suo musculos pungit, & una musculi maxillae inferti horrendis modis convelluntur. Hoc malum sanatur, maxilla neque sursum, neque ad latus deducta, sed deorsum primo, & antrorsum, deinde sursum tracta*. Vidi qui integris diebus in restituenda maxilla sudaverant.

Εμπροστωτος) Quo totum corpus ita antrorsum trahitur, ut pedes ad caput accedat, totumque corpus in circulum flectatur. Est spasmus flexorum colli capitis, thoracis, lumborum. A cicuta aquatica GESNERI aliquando nascitur, & a metallicis vaporibus.

Οπισθωτος] Quando musculi colli, dorsi, & lumborum extensores, femoris, & tibiae vero flexores eodem tempore omnes convelluntur, & caput ita retrorsum flectunt, ut calcem feriat. Haec mala intra 24. horas occidunt, & cadavera Aethiopo nigriora faciunt: tunc vulgus imperitum venena, aut incantamenta, ipsumque daemonem accusat. Haec vero mali naturalis ratio est. Musculus contractus repellit sanguinem arteriosum, venosum exprimit: quando nunc diutius contractus manet, redit venosus sanguis ad cor, & redit per arterias, & stat ante musculus exclusus, & aggeritur, donec nixu summo viam in panniculum arteriosum perumpat: tunc parte liquidiori diffusa, reliquus cruor aterrimus redditur, quasi totum corpus ex ictibus liveret, nato ecchymomate. Vidi hunc effectum in pistoris filio, ad cuius corpus vicini ΜΕ advocaverant, ut exhibiti veneni testis essem: musculi certe etiam a morte rigidissimi erant.

§. DCCCLXVII.

Qualitatem] Ita vocamus omnem apparitionem corpoream, quam sensibus externis percipimus.

§. DCCCLXVIII.

Oculis) Quia humores per pellucidos vasorum parietes microscopio videre licet. Sed haec loca rara sunt: cute nempe soli oculi non teguntur, & palpebrae, & labia, & lingua. IPSE in sani hominis oculo ad lucem obverso humores, in vasis pellucentes, vidi moveri, & judicare licet, qualis sanguis, & quale serum in aegro circulum obeat.

Pallidus] Significat aquosam cacochimiam; & ex hac oculorum observatione totam morbi historiam praedicere licet. Nam sanguinem rubrum deficere vides, adesse adeo vitia omnia, quae hunc defectum sequuntur:

quantur: securus potes praefagire v. g. aegro post motum corporis paululum auctum cor palpitare &c.

Flavus) Qui hepar obstructum denotat, adeoque anxietates hypochondriorum, faeces albas, urinam croci colore tinctam. Viridis, bilis vitia majora indicat. Ita vatem Te facies, & miraculum imperiti vulgi.

Ruber] Abundantiam boni sanguinis, & διαθεσιν φλογιστικην, & dolores capitis, pulsus valentem. Sed etiam successiva mutatio hic multa docet. Ergo merito monent medici clinici, ne unquam ab aegro acute laborante discedat medicus, nisi oculis prius, & lingua lustratis: liquidissimam enim διαγνωσιν praestant. Veterinarii, vel periti bubulci, dum boves, oves, equosve emunt, neque falli volunt emto morbofo pecore, hoc artificium bene norunt: ad oculos nempe respiciunt, ubi praefagia integrae, fractaeve valetudinis inveniunt: & credibile est, similibus notis uti eos, qui homines mercantur, ex oculis nempe, labiisque judicare, num sani sint, ferendisq; pares laboribus.

§. DCCCLXIX.

Os per infortunium detectum est colore semipellucido, e rubro coeruleo, fere qualis unguis est. Si palluerit, jam sanguis per ossa desit moveri, uti unguis pallentes paroxysmum febrilem, & imminentem synopen praefagiunt. Sed in sano homine ossa nullibi nuda sunt, ergo ibi dentes inspiciendi sunt, qui ne quidem periosteo teguntur. Quibus in scorbuto, in rachitide, dentes flavescunt, post breve tempus similia mala nascuntur in ossibus.

Propria vero dentium mala, in molaribus quidem interne initium capiunt, a carne, aliisve cibis in intervallis putrescentibus, & dentem cavantibus. In caninis vero, & incisoribus vitia plerumque externa sunt, & lapilli maxime, sive tartarus, ex vasis epodonticis * effusus, quem diligenter oportet deradere, ne dentem corrumpat, faciatque caducum esse.

§. DCCCLXX.

Factor] Nullus est in sano, & integro homine factor, solo excepto intestino recto, faecibusque crassorum intestinorum, [nam in urina valde exiguus factor est] inde in abdomine aperto nidor ingratus percipitur; sed in thorace minor factor, in cranio resecto fere nullus est. Ergo quando factor in aliqua parte corporis est, certum indicium est, humores degenerare, sales calefcere, olea in rancorem inclinare. Qui ex ore exhalat, vel ex foribus oris, & neglecta collutione oritur, vel ex pulmonibus ascendit, vel ex ventriculo denique. Ad pulmonum malum equitatio, ad ventriculi vitium aqua spadana, ad oris vitia aqua cum decima parte vini, & salis octava.

Nimia

Nimia adsumti] Animalia, quae solis vegetabilibus vivunt, excrementa alvi factore destituta habent. Homo, si solo pane, & aqua vixerit, excrementa egeret parum olida, foetidissima vero qui plurimis carnibus, ovis, & piscibus vivunt. Qui de factore excrementorum queruntur, & me consulunt, solent levari ex usu aquosorum, acidorum, salforum alimentorum: & quoties in faecibus flavedo naturali straminis coloris major est, eadem audacter commendari possunt. In phthisi cum factore, jubeo abstinere omni carne, plurimo succo limonum uti: idem consilium bonum est, si in urina factor molestus fuerit. In hydropicis eadem regula est, carnes ferunt, quamdiu excrementa non foetent, abstinere oportet, quam primum olida fuerint, & ad acida confugere.

ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗΣ GENERALIA.

871. **Q**UUM Morbus fit effectus a sua causa pendes, ens est singulare, ab omni alio distinctum, ideoque in sua propria singulari natura accurate cognoscendum, ut curari queat. Quod idem de Sanitate, ejusque statu vario sentiendum erit.

872. Natura autem praesens vel sanitatis, vel defectus ejus, morbi, raro per se apparet sensibus, hinc nec per se tam conspicue, ubi praesentes in corpore sunt, possunt cognosci: quinimo utriusque ratio saepe latet.

873. Sed ex praesentia utriusque fiunt quaedam effecta pendentia a functionum salubrium exercitatione, vel a laesione earundem; haec quidem distincta sunt ab illis causis, sed tamen ita ab iis pendent, ut earum indolem manifestent, & quum sensuum acie observari possint, magnam his indagandis lucem affundunt.

874. Praeterea vero notitia applicationis causae notae ad corporis partem quamcumque prius cognitam in Physiologia docet naturam effectus, qui inde sequetur; sive ille salutaris, sive perniciosus, futurus sit. Nec multum refert, an causa haec corpori externa, interna, naturalis, accidens, salutifera, morbosa, vel lethalis, sit.

875. Porro

875. Porro haec memorata effecta (873.), atque hae dictae causae (874.), quatenus sensibilia habentur ipsa, vel inde quam proxime deducta, vocantur *φαινόμενα*: haec autem solent appellari signa, quando ex iis sensu notis, lege justis ratiociniis demonstratur praesentia, natura, status, eventus, tam sanitatis, quam morbi, & mortis.

876. Quae vocantur *Διαγνωστικά*, vel *Δηλωτικά*, quando denunciant praesentem conditionem corporis vivi, sani, aegri, morituri, moribundi; si vero praenunciant ea, quae in his futura sunt, tum *Προγνωστικά* appellantur; ubi tandem praegressa in cognitionem revocant, tum *Αναμνηστικά* dicuntur Medicis.

877. In morbis autem designandis id signum, quod proprium est morbo, & ab eo inseparabile, utpote ex natura ejus ortum, vocatur *Παθολογμικόν*.

878. Cujus proinde cognitio est necessaria quammaxime, utilissima, indagatu saepe difficillima, semper tamen praesens morbo, quandiu genium servat; quin & frequenter constat aggregato plurium concurrentium signorum.

879. Illa autem signa, quae docent mutationem, variatasque conditiones, morbi, nomine dicuntur *Επιγεγόμενα*.

880. Quorum tanta est vis ad bene cognoscendum, & curandum, ut vix aliud sit, quod plus emolumenti in praxi afferat: unde etiam summa nocumenta oriuntur his neglectis.

881. Quum vero omnia illa sint effectus producti a causa morbi, morbo, & symptomatibus affiduo mutatis, notant ergo in morbis quolibet tempore conditionem praesentem ejus materiae, quae primo produxerat malum, vel & ejus, quae a malo producta fuerat: quare & solent revocari ad has tres classes, quae sunt:

1. Cruditatis, coctionis.
2. Exitus in sanitatem, morbum, mortem.
3. Secretionis, & excretionis, materiae coctae, quae ideo vocantur *Decretoxia*, vel *κριτικά*.

6. DCCCLXXI.

Ens) Quilibet morbus est ens creatum, distinctum, physicum, quod perinde, uti planta, vel animal, ab omni alio ente diversissimum est, & per sua signa dignosci potest. Nomen est a *σημειον*, signum cujus origo est Hebraica vox *עו*

In medicina signum vocatur, apparitio sensibus percepta, ex qua percepta medicus dignoscit aliquid a signo diversum, & quod nesciret, nisi hanc apparitionem percepisset. Ita v. g. quartana cognoscitur ex externis phaenomenis, lassitudine &c. In homine signa desumuntur ab iis, quae adsunt, & ab iis, quae adfuerunt: inde vero intelliguntur, quae adsunt, quae erunt, & quae fuerunt. Medicus enim scit non praesentes tantum conditiones corporis, sed etiam potentias. Quando per signa novi hominem plethoricum esse: & simul ex physicis praevideo, crastino die magnum aestum futurum; & ex politicis, eadem die eundem hominem majorem vini copiam ingestorum; tunc certe praedicere possum, eum hominem, eo tempore, in praesentissimo periculo apoplexiae fore. Hanc artis medicae partem prae reliquis excoluit HIPPOCRATES, & non alia ipsi divini nomen meruit. Hunc praeceuntem secuti sunt Graeci omnes, quorum scripta exstant; omnium enim librorum quatuor quintae partes unciae versantur in signis tradendis: & in his fere propositionibus, post hoc signum fiet haec definita mutatio, ergo hoc remedii genus adhibendum est. HIPPOCRATES morbum tamquam ens incognitum consideravit, DEUM vero instruxisse nos organis, quibus phaenomena perciperemus, omnem morbum cognituri, si phaenomena externa rite perspecta haberemus. Nam symptoma morbi pars est, omnia vero symptomata conjuncta efficiunt totum morbum, hinc medicus omnia praestitit, quae in mortalium potestate sunt, quando ex observatione symptomatum omnium, cum observatione effectuum a similibus symptomatibus olim productorum collata, concludit ad statum morbi praesentem, & futurum. HIPPOCRATEM secutus SYDENHAMUS creditit, ex perspectis omnibus signis medico perfecte innotescere, quid agendum sit, & persuasus fuit, omnes morbos, si cogniti essent, facillime sanari, tantillum vel adjuvando naturam, vel coercendo. Adeo commiseratione digni sunt medici, qui, cum novam PROSPERI ALPINI *de praesagienda vita, & morte* editionem viderent, contemtim dixerunt; quid adeo placuit BOERHAAVIO in hoc, quem edit, libro? praeter signa enim nihil habet. Certe medico nihil magis interest scitu; nam per haec sola potest addiscere, quis morbus sit, a qua causa, qua in parte, quos humores, & quomodo adficiat. *Curari queat*) Quaeruntur signa distincta, quibus ducamur ad talem morbi ab aliis morbis cognitionem, qualis est gemmarum, gemmam unam ab alia per certa signa dignoscentis.

§. DCCCLXXII.

Raro) In apoplexia non vides sanguinem, qui effusus cerebrum comprimit: sed neque integerrimam valetudinem, nisi per anatomen, in te ipso cognoscere potes. Nihil adeo vides eorum, quae in te aegro agantur, (praeter sola vulnere) nisi phaenomena quaedam extus apparentia.

§. DCCCLXXII.

Fiunt] Et morbus, & sanitas perinde entia aëtuosa sunt. In sano homine certi motus contingunt, certae functiones; quae in mortuo vel aliter fiunt, vel omnino absunt, & deficiunt: hae sunt laesiones functionum. Ex actionibus sanitatem sequentibus sanitas cognoscitur: morbus autem ex iis, quae a sanitatis statu aberrant.

§. DCCCLXXIV.

Physiologia] Nosti naturam molli pulpaë cerebri, & fcis, qui inde pendent effectus. Audis malleum magna vi inflitum esse in eam partem cranii, quae cerebrum continet: facile inde conficis, hominem apoplecticum fore, & aequè certe hoc praevides, ac si praefens apoplexiam patientem videres. Sed idem malleus, si brachium ferierit, non eundem effectum producet, ergo oportet & partem laesam cognoscere, & causam, quae laedit.

§. DCCCLXXV.

Φαινόμενα) Mutationes, quae corpori accidunt, a sensibus perceptae, & a mente cognitae: petuntur autem signa ab iis, quae sunt in homine, extra hominem, & quae homini adplicantur: pertinent ad sanitatem, morbum, & mortem.

Eventus] Quam iusta haec esse oporteat, ex eo dognoscitur, quod integra regna a medici effato pendent, v. g. a responso, num fetus in utero materno vixerit.

§. DCCCLXXVI.

Παθολογικόν) Quod uni morbo ita proprium est, ut nulli alii conveniat: eo ergo cognito morbus cum nullo alio confundi potest. Utinam in omni morbo talia haberemus. Sed vix tres, aut quatuor in tota medicina possidemus. In defectu humoris aquei certum signum est corneae collapsus. In calculo vesicae signum pathognomicum unicum est, si calculum cathetere contigeris.

Diff.

Difficillima] Utinam talia haberentur. Qui unici morbi, surditatis, v. g. omnes differentias, cum propriis signis describeret, plus utilitatis praestat generi humani, quam celebris per millionum caedes ALEXANDER.

Aggregato] Scire signum pathognomonicum morbi, est tenere causam physicam morbi. Verum haec causa vix unquam simplex est, (1732. nunquam unum organum solum adficit, sed plura perpetuo,) ergo & signa pathognomonica plerumque sunt aggregata signorum. Pleuritis est lateris dolor inflammatorius, increfcens in inspiratione, cum pulsu duro, & febre continua acuta. Dolor punctorius lateris non solus signum est, nam a convulsione visus est oriri, neque dolor punctorius cum pulsu duro conjunctus; nam & ista mala ex alia inflammatione oriri possunt: neque demum dolor punctorius cum pulsu duro, qui increfcet in inspiratione, sed dolor hujusmodi cum febre continua acuta conjunctus. Unum horum signorum nihil definit, conjuncta demum pleuritidem faciunt,

§. DCCCLXXIX.

Manente] Nomen Pleuritidis completitur tot morbos, quam status Pleuritidis sunt, etsi permaneat nomen, & tribuatur omnibus. Ergo Pleuritis est 1. morbus inflammatorius resolubilis. 2. Morbus inflammatorius tendens in suppurationem. 3. Morbus inflammatorius suppurans. 4. Morbus inflammatorius, qui suppuravit. 5. Morbus, qui inflammatorius fuit, deinde in vomicam mutatus, hac rupta empyema factus est. Omnes hi morbi a se invicem diversi, diversas curationes requirunt. Venea sectio in statu resolubili optima, in suppuratorio pessima est: cum spatium praeparet, quo possit pus in sanguinem recipi, eumque corrumpere.

§. DCCCLXXXI.

Conditionem] Is bonus medicus erit, qui hanc sibi legem scripsit, nunquam se ab aegro recessurum, nisi statu viscerum perfecte cognito. Olim nunquam ad aegrum accedebam, quin conscriberem ex ordine omnia morbi signa, & symptomata, indeque incredibile quantum profeci. Haec si feceritis, & quatuor, aut quinque morbos unius classis per sua signa cognita habueritis, in tota reliqua vita eos morbos facillime dignoscetis.

Cruditatis] Cruditatis dicitur omne, quod a naturali statu aberrat. Quando cruda materia movetur, est *οργασμος*, quando cocta, *κρίσις*.

Critica) Quae est, vel morbi materia, uti sanguis tenax in Pleuritide, quae ea sanguinis dispositio est, a qua morbus natus est: dimidia nempe morbi causa, cum qua, conjuncta febris acuta, & ad latera determinatio, pleuritidem facit. Haec materia perpetuo mutatur, & vel in resolutionis statum mutatur, vel densior fit, vel materies est, post natum morbum ex causa morbi mutata, vel a procatartica causa, vel

a binis conjunctis, ut in eodem exemplo sanguis corruptus a febre inflammatoria, quae Pleuritidem comitatur, idemque causa, quare morbus continuetur.*

SIGNA GENERALIA SANITATIS OPTIMAE.

882. **H**AEC quidem peti debent ex actionibus corporis (695.) exercitatis facile, commode, laete constantissime.

883. Quarum quatuor conditionum tres priores facile cernuntur, quarta difficilius: etenim tantum cognoscitur maxima constantia per ea signa, quae indicant futuram esse in eo corpore magnam longaevitatem; & hinc eadem quoque praenunciant plerumque sanitatem firmam.

884. Signa autem illa longaevitatis omnia sunt effectus ejus indolis tutius machinae quoad solida, & fluida, unde imprimis pendet durabilitas ejus quoad totam compagem; haec vero est reductio assumptorum in naturam similem illis, quae jam constituunt machinam sanam.

885. Operosae observationis beneficio, Signa haec possunt referri in Europa ad has classes.

1. A generatione. Conceptus ex parentibus sanis; vegetis; plenae aetatis; rara, sed fervida, venere utentibus, matutino tempore post perfectam a somno coctionem, tempestate verna, imprimis & salubri.

2. A Gestatione in utero. Mater praegnans bene sana; corpus satis exercens fortiter mentem tranquillam habens; & unum modo foetum simul utero alens ex alimento salubri.

3. A Nativitate. Partus post novem integros menses omnino absolutos a primo conceptu, maxime si ille incidit in mensem Decembrem, Januarium, vel Februarium.

4. A Modo, quo corpus crescit. Lentum, & maxime aequabile, incrementum molis, & virium usque ad vigesimum quintum, & ultra, annum aetatis.

5. Ab Habitu corporis. Thorax latus, amplus; abdomen gracile; & compressum, humeri, brachia, femora, crura, firma,

firma, torosa, carnosa, hirsuta, densis, fetosisque pilis hirta; cranium magnum, & capax, maxime ad occiput, non a parte faciei apparente, sed fallaci specie, magno capite; cutis dura; caro multa; adeps parcior.

6. Ab Humoribus. Sanguis floridus quidem, at crassior, qui extravasatus concrevit cito, & satis valide, in molem tenacem; reliqui humores, copiosi, tenaces, modice calidi minus oleosi, blandi.

7. Ab Actionibus. Respiratio lenta, magna, plena, facilis; aequabilis, cum minima apparente mutatione organorum pneumaticorum; pulsus arteriarum lentus, magnus, plenus, aequabilis, fortis, constans, nec per causas leviores facile mutabilis; alvus tardior, & sine incommodo sicca; urina parcior, & cocta; sudor rarus; somnus profundus, aequalis, reficiens, voracitas cum digestionem facili; tolerantia laborum, tarditas tam ingenii, quam motuum animi, & corporis, constantia ad mutationes accidentes.

886. Quod vero corporis fabrica apta sit exercere suas actiones facile, commode, laete, deprehenditur, 1. ipso sensuum experimento. 2. Si signa adfunt modo exposita (885). 3. Si partes solidae deprehenduntur esse validae, tenaces, elasticae, quoad materiem; si sunt praeditae ea mole, forma, superficie; si sunt connexae eo modo situ, proportionem; unde motus tam proprii, quam communes, tam in solidis, quam in fluidis, facillimi, expeditissimi fiant. 4. Si ea sit natura humorum, quae motus intestinos, circulatorios, secretorios, nutrientes, excretorios efficit sine inaequalitate, & absque effectis hujus. Et quidem signum evidentissimum, quod docet hanc aequabilitatem adesse, est absentia pulsationum, tumorum, dolorum, calorum, immobilitatis, insensibilitatis; in variis partibus variorum. 5. Si ea est ratio unionis inter mentem, & corpus, unde moderati quidem, non vero vehementissimi fiant affectus animi. 6. Si color est roseus, & candidus, vel laete nigrescens; calor moderatus; ad sensum levitas. 7. Maxima vis resistendi omnibus morborum causis.

887. Sed maxima potentia superandi causam singularem hujus, illiusve morbi, sive venenatam, sive contagiosam, non notat semper sanitatem perfectissimam; & contra: ut certe in morbis contagiosis, & in venenis, clare patefcit.

§. DCCCLXXXII.

Commode) Sanitatis varia discrimina sunt, & gradus: inter centum homines sanos unus sanissimus est, alter sanior tertio &c. Ita HIPPOCRATES, sexcenta in homine esse, aquosum, salsum, amarum, & in falso denuo falsius, & falsissimum. Signa vero hujus sanitatis antea tradenda sunt, ut de morbo judicare liceat. Nam rectum est norma sui, & obliqui.

§. DCCCLXXXIV.

Longaevitas pendet 1. a bona constitutione corporis: 2. a resistentia contra ea, quae corpus destruunt. Nempe oportet, ut res non naturales vertantur in naturales, & assumta vitalia reddantur.

§. DCCCLXXXV.

Operosae) Has notas undique conquisivi, maxime ex tribunis militum, qui commilitones caro emunt, hinc sollicite advertunt, ut robusti sint, aptique laboribus, inediae, & siti. Deinde ab alio didici, qui servos ad triremes solebat emere.

Europa] De Europae statu medico commentarios habemus, de reliquo orbe vix quidquam, Nam etiam Arabes sua pleraque ab Europaeis habent.

Rara] Sapienter LYCURGUS, ut veneri stimulos adderet, sanxit, ut levis infamiae nota publice imprimeretur noviter nupto, si propalatum fuisset, eum cum uxore rem habuisse. Sic obtinuit, ut venus perpetuo quaesita, sed raro inventa, fervidior esset, ita sperabat cives suos omnes alios mortales fortitudine superaturos. In Gallia homines ex furtiva venere genitos [enfans d'amour] vulgo pro robustioribus habent, praec illis, qui ex officio nati sunt.

Verna] In homine nullum certum tempus veneri constitutum est, sed in brutis res manifesto nota est. In homine demonstrant schedae publicae, quae natos, & denatos enumerant, sanissimos eos esse, qui tribus ante vernum aequinoctium mensibus nascuntur, Has leges olim commendavit suavissimus SOCRATES; quando homines increpat, valde sollicitos, ut egregios pullos ex equis tollerent, sed negligentes omnis curae, qua obtinerent, ut sani liberi nascerentur.

Exercens] Haec una est ex rationibus, quare principum proles adeo caduca sit, quia mollem vitam, incertamque delicatae matres degunt. Praestat certe corpora exercere. Sic equae robustissimos pullos pariunt, monente VIRGILIO: &, qui fortes equos optant, equas agitant. Eadem cura est illis, qui canes ad cursum, aut pugnam eximios educare student.

Unum] Semper enim melior erit gemellis, aut trigeminis, si reliquae conditiones pares fuerint. Deinde melior erit foetus, quem mater toto tempore graviditatis sana gestavit: & eo robustior, quo diutius gestatus est (1732. neque praecocem, neque tardum esse oportere.)

Decembrem] Januarium, & Februarium; ii enim vere concepti fuerint.

Lentum] Et animalia, & homines, qui velociter crescunt, brevis vitae esse reperiuntur: ob vasorum obcalescentiam nimis praecipitem, & phthisicam dispositionem. Juvenes, qui vix videntur crescere, longaeuissimi sunt, id reperiio in diariis meis. Quantum nempe tempus incrementi est, tantum solet esse status, & decrementi. Ita qui per 25. annos crevit, vivet annos 75. stabit enim ad quinquagesimum, decreset ad 75.

Capax] Non ita, ut laxae buccae late pendeant, sed ut ossa magnam cranii cavitatem comprehendant. Veteres sculptores equidem HERCULI, & LAOCOONTI exiguum caput finxisse videntur, sed haec apparentia ad latos humeros referri debet, inter quos caput quasi absconditur.

Cratior) Sanguis tenuis, & floridus optimam, sed inconstantem sanitatem praestat. Humores vero tenaciores faciunt tolerantiam laborum: hinc robustus homo raro etiam post labores sudat.

Mutatione) Quo integrius homo valet, eo minus suam respirationem externis signis prodit, lomni tamen tempore excepto, uti saepe in sanissimis hominibus adtentus observavi, quia pulmones maxime meabiles, & explicabiles, & contractiles sunt, & in omnes humores perfectissime agunt. Quo vicissim morbosior valetudo, eo magis externis signis evidentior respiratio.

Leviores) Qui servos emunt, pulsus, & respirationes numerant, deinde currere jubent: si tunc a magno motu pulsus, & respiratio non admodum mutantur, intelligunt corpus validissimum esse: quo morbidius, eo leviori ex causa pulsus mutatur; mortisque candidati vix corpus movent, quin pulsus bis, vel ter frequentiores fiant. [1732. Experimentum tribuit tribuno militum.]

Sicca] Tunc enim plurimum de ingestis adtenuatur, neque per alvum abit, sed absque sensu perspiratur. Vidi sanissimos homines conquiescentes de alvi segnitie, & siccitate, sua certe bona perosi, cum haec siccitas sit signum robustae temperiei; & vidi, qui, cum sanissimus esset, singulis septem diebus semel alvum levaret. Idem de urina verum est. Contra quo quisque debiliior est, eo plus faecum edit, eo plus etiam mingit, quod frequens est incommodum hypochondriacorum, & hysteriarum.

Bonum

Bonum etiam, quando a prandio neque calent, neque tument, qui multum edunt, & facile digerunt.

Somnus) In sanissimis hominibus profundus est, mortisque similis, sed alacres inde resurgunt.

Ingenii) Qui corpore valent, stupent ingenio, & vicissim. Nam mobilitas summa cerebri, & nervorum ad ingenium requiritur: sed ea ipsa ponit corporis debilitatem. E contrario soliditas, quae robur facit, nervos supponit minus aptos ad eam mobilitatem, quae cogitationibus inservit. Nihil est ab omni parte beatum, neque Salomon erit, qui Methusalem est. De Anglo illo longaevo nihil scimus, nisi caseo plurimum delectatum fuisse, & centum annos natum adulterium commisisse.

Mutationes) Calorem, frigora &c. Hinc CELSI consilium, sanum hominem nullis legibus adstringi debere, sed vita maxime varia uti, quae corpus ad omnes mutationes facile ferendas disponat.

§. DCCCLXXXVI.

Sensuum) Quisque in se ipso praesagia de propria longaevitae habet. Si enim a cibo minime gravatur, bene est: si etiam a pectore respiratio libera est, quando chylus ad sanguinem miscetur, bene est. Si corpus suum in nulla parte gravius percipit, bene est; tandiu enim aequabiliter perfluuntur omnia, quandiu aequae ponderosa sunt. Nemo sanus pedes suos graves percipit, neque corpus, quando uni pedi innititur.

Proportione) Statuarii artis periti aliam symmetriam Mercurio tribuunt, aliam Apollini, Herculi aliam. Illa proportio, quidcumque demum sit, nota statuariis, demonstrat corpus certo modo factum specificis motibus aptius natum esse. Quando vero corpus ratione proportionum pulcherrimum est, id etiam omnibus functionibus vitae humanae optime defungitur. Quibus vero pars aliqua praevalet, non possunt diu durare.

Exerceri) Quando partes absque pulsatione, dolore, tumore, rubore, motu valido exercentur: haec enim demonstrant maxime aequabilem distributionem humorum. Ubi vero pulsatio, tumor, & dolor, ibi morbus, inquit HIPPOCRATES. Nam nullam pulsationem percipi demonstrat, liquida omnia per suos canales absque renixu transire, quae maxima conditio ad longaevitatem est.

Moderati] Corpus, quod animae aptissimum hospitium est, plerumque facile ad adfectus animi determinatur, iram, tristitiam, vel laetitiam. Beati sunt, quibus haec mobilitas moderatior contigit: si aliter fuerit, tunc adfectus animi perinde consumunt, uti vestem tinea exedit, manifesto indicio adfectuum fontes in corpore haerere. Non ergo mirum adfectus animi signa sua in corporis fabrica exhibere, & habitu ipso ingenia distingui. Nisi forte malignitas corporis ab animae robore superetur, uti SOCRATES corpus suum, ad omnia vitia formatum, sapientia poten-

potentiori correxit, coegitque animam omnium mortalium optimam incolam recipere.

Candidus) Macilentiores homines saniores sunt. Delicati, & obefuli, morbidi sunt, & per levem emaciationem mire deformes fiunt, produuntque minus bonam corporis fabricam. Optimum etiam signum est, quando eodem quotidie tempore fames, digestio, faecum quarumcunque egestio, & somnus se ex ordine aequabiliter excipiunt.

Contagiosis] Pleuritis, variolae, & venerea lues florem juventutis demerunt. Pestilenti caelo homines, qui chronice laborant, & languidi, optime habent, & hydropici fere sanantur, sola pulcherrima pubes perit, & plethorici homines. Adeoque, qui pesti restiti, non habet, cur corpus suum firmissimum esse credat, illa vero demum dispositio optima est, quae non uni, sed omnibus morbis firmissime resistit. Porro Hispani toti sicci, ab impura venere cum feminis infectis vix lue venerea corripuntur, pingua vero Germanorum corpora cum iisdem feminis peccata graviter luunt, & continuo inficiuntur.

SANITATIS SINGULARIS SIGNA.

388. **V**isceris cujusque optima conditio singularis cognoscitur, si actio ejus prompta, laeta, constanter, in suis effectis deprehenditur; quae quum in Physiologia quam uberrime explicata habeantur, facillime huc vera cum ratione referri poterunt.

389. Sed sanitas est conditio haerens in tota compage simul totius corporis, constantis ex solidis, & ex fluidis; haec ergo unicuique homini privata sua est; ideoque tantum ratione sui singularis corporis talis est; unde igitur diversa corpora, quae summopere differunt tam in solidis, quam in fluidis; tamen singula sana esse poterunt; hanc vocavere veteres *ιδιοσυγκρασίαν*, vel sanitatem temperiei, quae proinde difficulter ad singularia capita determinari potest; sed tamen proposita Antiquis divisio in temperiem calidam, frigidam, humidam, siccam, biliosam, sanguineam, phlegmaticam, atrabilariam, aliquem in Medicina usum habet.

390. Calidi temperamenti signa describuntur esse pili flavi, crassi, copiosi, toto corpore; color oculorum in alba parte rubescens,

bescens, in carunculis lachrymalibus, facie, labiis, ore, valde ruber; corpus gracile, agile, robustum, calidum; pulsus major, crebrior; iracundia, sed brevi furore detonans. His videntur esse vasa robusta, contracta, viscera valida, humores valde moti, densi, & acres; quibus humectantia, diluentia, temperata, profunt; calefacientia quaecunque quammaxime nocent.

891. Temperamenti frigidi signa omnia contraria enarrantur esse glabrities, pili tenues; color pallescens; corpus crassius, tardius, debile, frigidum; facile tumens; pulsus minor, tardior; ἀναισθησία, metus. His humores blandi, aquosi, pituitosi, tardi; solida laxa, flaccida. Profunt roborantia, calefacientia, nocent frigida, humida, laxantia.

892. Siccum autem temperamentum spectatur fere signis calidi (890.), si simul adest macies; vasa hic contracta, humida pauca, & fere acriora. Nocent, & juvant, ut in calido. Humidum autem facile convenit frigido, si tumor accedit, (891.) unde reliqua eadem.

893. Biliofa temperies cognosci describitur a pilis copiosis, nigris, crispis; duritie, macilentia, gracilitate carnis; colore fusco; venis magnis; pulsu magno, celeri; pertinacia, iracundia. His videtur major solidi, quam humidi copia excedere; ficcis conveniunt (892.), & calidis (890.), calida, ficca, his nocent; humectantia, refrigerantia, profunt.

894. Sed sanguineum temperamentum distinguitur pilis rarioribus, flavo-albis fuscis; carne molli, copiosa; venis amplis caeruleis, sanguine distentis; colore roseo; iracundia; flexibili mobilitate. Profunt his evacuantia, & temperantia; nocent calefacientia, & stimulantia valida.

895. Phlegmaticum quoque depingitur glabritie cutis majori; pilis albis, tenuibus, tarde crescentibus; albedine, tumore, mollitie, pinguedine; corporis, venis angustis, latentibus; his videntur vasa sanguinea angusta, lateralia vero latiora, conveniunt frigidis (891.); unde & his humida, atque frigida, maxime obsunt; juvat, quidquid calefacit, roborat, ficcat.

896. Melancholicae denique temperiei indicantia habentur glabrities; pili nigerrimi; macilentia ingens; siccitas magna; color ubique maxime niger, qui in tali ratione cernitur; cunctatio, constantia; ira memor; magna penetratio intelligentiae. Quare his vasa videntur stricta, robusta, macria; humores densi, tenaces, admodum permisti, nec facile separabiles, aut mutabiles. Nocent his quammaxime calida, sicca, acria; juvantur autem omni humectante, refrigerante, laxante, emolliente, leniter, sine acri, dissolvente.

897. Porro maxima hinc utilitas in perspiciendis morbis, qui ex quolibet temperamento oriundi unicuique proprii praevideri queunt, unde hinc magna pars causerum $\pi\rho\iota\gamma\gamma\mu\eta\nu\acute{\alpha}\nu$ pendet.

§. DCCCLXXXVIII.

Laeta] Pulmonis dispositionem cognoscimus, perentato pulsu, & numero inito pulsum intra certum tempus, tunc jubendo hominem, ut aerem quamplurimum hauriat, & quam diutissime retineat. Si id absque molestia, & dolore, & pulsus mutatione, & quam diutissime praestiterit, certum est pulmones ipsi optimos esse. In reliquis visceribus similia experimenta institui possunt. Volo scire, an cor bonum sit, video, num palpitet, quando caleo, aut vehementer moveor, aut chylus ab alimento in sanguinem venit.

§. DCCCLXXXIX.

Singularis] Nulla datur in orbe sanitas generalis. Sanitas enim pendet a certa solidorum, & fluidorum proportione, quae cuilibet homini propria est. Cajus, & Sempronius optime valent, sed dentur nunc Sempronio sani humores Caji, laborabunt ambo: restitue cuique suos bonos humores, bene habebit uterque. Perinde, uti nunquam duas facies perfecte similes reperiatis, ita neque unquam cor, & pulmo unius hominis, cordi, & pulmoni alterius perfecte similis est. Id proprium dixerunt $\iota\delta\iota\sigma\upsilon\chi\rho\alpha\tau\iota\alpha\upsilon$ veteres, ex quorum scriptis haec desumsi: addidi vero causas a structura solida petitas, & brevem catalogum juvantium, & nocentium.

Sed tamen) Classes istas refutabat HELMONTIUS; neque tamen usucarere adfirmare ausus est.

§. DCCCXC.

Calidi] Iracundia facilis, sed similis pacatio: irasci faciles, tamen ut mitemere possint. Idem in eodem calore aeris cum aliis viventes calidiores sunt.

§. DCCCXCI.

Frigidi) Corpus facile a quocunque vitio tumet: vix animi adfectum alium sentiunt, praeter meticulositatem, ut omnia tuta timeant.

Calefacientia] Aromata, & scorbutica. Puellae vero, quae ad hanc classem pertinent, perdunt se ipsas, quando theam copiosius bibunt.

§. DCCCXCII.

Siccum) Humores pauciores, agitati per vasa contracta, hinc acriores redditi.

Macies) Tunc vasa contracta sunt, humores pauciores, hinc acriores, a majori motu. His nocent calefacientia, uti de omnibus calidissimis notum est, Afris, Hispanis, Italisque: iidem exigua aeris mutatio continuo truculentissimos morbos infert.

§. DCCCXCIII.

Copiosis] Apud calidissimas gentes, Mauros, & Asiaticos, pili abundant, & in omni puero, quando adolevit, & calidior factus est, simul pili prodeunt; ipsae demum robustiores puellae genis sunt languinosi.

Iracundia] Vocantur *πικροχολοι*, *ανω*, & *κατω*, cholericis, & videntur plus bilis facere, quam alios, hinc plus caloris habere.

§. DCCCXCIV.

Perfekte uti *ACHILLES* Homericus. Continuo his sanguis rarefit,urgentque vasa.

§. DCCCXCVI.

Ira memor] . . . Manet alta mente repostum iudicium Paridis spretaque injuria formae, & alibi . . . memorem Junonis ob iram.

Constantia] Quales semel fuerunt, manent perpetuo. Quando semel bono auscultant, sunt in virtutum exemplaria; si malo, veri cacodae-mones. Hi nigri sunt, quos caveri jubebat, *HORATIUS*.

Penetratio] Detectio rerum obscurissimarum obtinetur, quando mens unicum objectum diu contemplatur, & undique considerat, neque ab aliis objectis interea distrahitur. Hujusmodi mentes sunt melancholicorum, qui aptissimi sunt ad promovendos scientiarum limites, quod perspicax vidit *ARISTOTELES*. Exemplum illustre est *SVVAMMERDAMIUS*, qui ex omnibus generibus insectorum accurate cognitis, & dissectis, postquam singulorum generum characteres definiyerat, paucissimas classes constituit,

stituit, immenso labore. Idem de apibus, pulice, pediculo, muscis volitantibus plurima scripta reliquit, quae forte aliquando edam (1732.) & undique ex Galliis conquisivi, talia certe, quae MALPIGHII industriam longe superant. Sed idem SVVAMMERDAMIUS adeo atra bile plenus fuit, ut adloquentem vix responsione dignaretur, & immoto vultu adspiceret: & in cathedram productus, SYLVIO Praefide haereret adtonitus, & neque verbum reponeret ad objectiones opponentium, totamque curam respondendi Praefidi relinqueret, quo tamen ipso forte doctior erat. Denique ante mortem correptus furore melancholico, scripta, quae secum habebat, combussit omnia, fanatica ekstasi percitus: & tabe periit, sceleton, & exuvias hominis simulans.

Dens) Atram bilem prae aliis bene descripsit HIPPOCRATES, quod illud temperamentum eo tempore in Graecia frequens videret, uti etiam nunc melancholici ibi frequentissimi sunt.

§. DCCCXCVII.

Morbis) Commodum est, quod integrae nationes sub eodem temperamento ordinari possint. Itali, Lusitani, Hispani ad annum aetatis decimum octavum vividi, & ludibundi sunt: post trigessimum annum tristes omnes, morosi, melancholici, & haemorrhoidarii fiunt. Iidem propriam sanationem sibi adplicant, aromata fugiunt, balnea amant, & aquam bibunt abstemii.

SIGNA MORBORUM.

898. **S**igna futuri morbi petuntur 1. ex animadversa mutatione insueta functionum qualiumcumque; praecipue quidem ex imminuta perspiratione Sanctoriana, lassitudine insolita, & corpore ad sensum graviore. 2. Ex accurata cognitione temperamenti in unoquoque homine, atque simul ex singulari structura corporis uniuscujusque. 3. Ex observatione classium, quibus continentur causae *προκαταρκτης* (744. ad 780.). 4. Ex scientia certa Epidemicorum, dato tempore regnantium.

899. Signa morbi praeteriti habentur ex cognitis effectis; quae relicta sunt post quamlibet laesionem partis, cujuscumque solidae, aut peccatum humorum sequentia, aut post actiones

laesas: qui enim usus partium perspectos in sanitate confert iis defectibus, qui relictī sunt, inde concipit morbi indolem.

900. Signa morbi praesentis spectant ejus causas, naturam, symptomata, statum, eventum.

901. Signa indicantia naturam causae morbi petenda sunt, 1. Ex observatione rerum earum, quae corpori applicatae, vel applicandae, morbos constituunt, vel facient. Vid. *Αἰτιολογίαν Παθολογικῆς*; 2. Ex *Ἰδιοσυγκρασίᾳ*. Vid. 888. ad 898.) 3. Ex observata natura effectuum in sensus incurrentium.

902. Morbus solidae partis cognoscitur, 1. ex vi, qualitate, modo applicandi, duratione, causae, sive internae, sive externae; 2. ex mutatione sensibili qualitatum, situs, nexusque, loci affecti; 3. a laesis functionibus; 4. ab excretis a loco affecto recta, vel oblique prodeuntibus.

903. Vulnerum, contusionum, corrosionum, ambustionum, praesentia, si patet sensibus, eo ipso noscitur.

Horum autem conditio, & status, scitur 1. ex conspectu; 2. ex natura partis laesae; 3. ex symptomatibus.

Eorum eventus praesagitur, 1. ex necessitate functionis laesae ad vitam, vel sanitatem; 2. ex indole laesae partis; 3. ex ipso modo laesionis; 4. ex temperie aegri.

904. Praesentia sensibus patens ulcerum, fistularum, scirrhorum, cancri carcinomatis, inflammationum, gangraenarum, sphaceli, facillime facit, ut noscantur per sua signa pathognomica, quae in ipsa eorum definitione continentur.

Sed & status horum noscitur, 1. inspectu, tactu, odoratu; 2. cognita indole partis laesae; 3. observatione symptomatum.

Sed eventus praesagitur, 1. a natura cognita mali; 2. a natura partis laesae, ejusque influxu in vitam, sanitatemve; 3. a vicinia aliarum partium cognitarum; 4. a difficultate applicandi auxilii, 5. a temperie.

905. Si autem mala haec (903. 934.) intro abscondita sensibus latent, deteguntur tamen signis petitis, 1. a natura causae; 2. a functione quacumque simul laesa; 3. ab excretis, 4. a loco affecto per anatonem cognito, tam interno, quam externo; 5. a qualitate sensibili laesa.

Status

Status autem, & eventus eorum habentur, ubi primo cognita sunt, ex iisdem ac jam dictum (902. 904.)

906. Locus affectus in morbis, si externus est, vel internus, sed laesus a causa externa, habet plerumque signa ipsis sensibus externis patescencia, unde facile detegitur, sunt enim morbi plurimum hi: vulnus, contusio, inflammatio, oedema, ulcus, gangraena, sphacelus, luxatio, distorsio, fractura, caries, atrophia, scirrhus, cancer, carcinoma.

Etiam comparatio functionis laesae cum origine illius instrumenti, quo actio fiebat sana, sedem mali docet.

907. Locus affectus internus a causa interna difficiliter patescens, detegitur tamen 1. a natura cognita causae; 2. a functione laesa; 3. a natura morbi; 4. ab excretis inprimis; 5. ex symptomatibus bene cognitis comparatis cum scientia Anatomica partium: etenim ex his quinque fontibus praecipue cognoscuntur morbi interni, & latentes, cerebri, narium, faucium, thoracis, pleurae, mediastini, pericardii, pulmonum, cordis, diaphragmatis; hepatis, splenis, ventriculi, pancreatis, mesenterii, intestinorum, renum, ureterum, vesicae, urethrae, uteri, genitalium.

908. Signa morbi Acuti in humoribus nati labentur, 1. ex velocitate, & violentia, incrementi ipsius morbi; 2. ex vehementia symptomatum; 3. ex functionibus laesis; 4. ab excretis; 5. a constitutione epidemica; 6. a tempestate anni; 7. a sexu, aetate, vita, temperie aegri.

909. Si omnia haec signa (908.) valida admodum sunt, denunciant periculum ingens; si leviora, promittunt aliquid adhuc boni.

910. Signa rursus morbi acuti in fluidis, quae definiunt, & praesagiunt, statum, periculum, durationem, eventum, intelliguntur ex observatis effectis pendentibus a vitiatis nostris humoribus (760. 781. ad 792.)

911. Signa Acrimoniae in humoribus sunt inprimis dolor sine signis motus aucti, & sine apparente obstructione majore; ut & erosio partium sine tumore simul praesente.

912. Signa Acrimoniae Alcalinae sunt foetor cadaver olens

in toto, aut in parte; sapor, ut carnis, ut urinae, putrefactae; erosio cineritia, plumbea, nigra, quoad colorem, eaque celerrime proserpendo grassans; fitis ingens, vix sedanda; appetitus, prostratus, atque ab omni cibo abhorrens; faeces alvi solutae, splendentes, cadaverosae, fuscae; nigrae; urina acris, crassa, fusca, spumescens, foetida instar putrefactae, vix demittens faeces; sudor vix ullus, aut similis lotio, modo descripto; cutis arida externa, ut & interna narium, oris, linguae, faucium; cruor tenuis, dissolutus, floridus, vix concreescens; pustulae, rubellae, ichorosae, fuscae, plumbeae, nigrae, subito gangraenosae; bubones, anthraces, maculae purpureae, inflammationes acutissimae, celerrimae; sphaeceli cum bullis elevatis; juvamen ab acidis.

913. Signa Acrimoniae Acidae sunt foetor acidum spirans; sapor similis; color pallidus faciei, anguli oculorum, labiorum, oris, gingivae, faucium; erosio lenta, cum pallore; fitis non magna; appetitus saepe ingens; digestio celerrima; validus appetitus rerum terrestrium, & absorbentium; tormina alvi cum pallore, & frigore; faeces alvi torminales, acidum spirantes, virides; urina stranguriosa, crassa, alba, cum sedimento crasso, copioso; sudor multus, & acidus; cutis laxior; sanguis crassus quandoque pallidior, aliquando nigrescens; inflammationes, leviores, & lentiores; juvamen ab iis, quae acido opposito.

914. Signa acrimoniae Muriaticae, vel Ammoniacae sunt sapor falsus; erosio lenta, pruriens, ruborem inducens; fitis afflicta, ingens, vix sedanda; ficcitas; rigiditas; urina salsa, tarde putrescens, cum sedimento spisso, & cum pellicula tenui pinguiuscula innatante; juvamen ab Aquosis.

915. Signa Acrimoniae oleosae putrefactae sunt foetor empyreumaticus; sapor amarus, rancidus, acer, pinguis, ut ab oleo ambusto, vel putrefacto, fauces exurens, nidorosus; erosio vrida, nigra; nausea, appetitus omnino, & cum orrore deletus; fitis summa; faeces alvi pingues, foetidae, dum redduntur fervidae, urinae flammeae, foetidae, spumosae, paucae, calidae; cutis arida; oris ficcitas, sordes, graveolentia; cruor

ambustus; inflammationes acres, celeres, pertinaces; suppurationes similes; gangraenae foetidissimae; juvamen a frigidis, acidis, aquosis, saponaceis.

916. Signa Fluiditatis nimiae sunt perspiratio Sanctoriana, sudor, urina, saliva, foex alvi liquida, nimium aucta, corporis totius marcor, contractio, debilitas, sitis, mobilitas; juvamen ab Inspissantibus.

917. Signa Tenacitatis auctae nimis sunt tumor, dolor, anxietas, circulatio, secretio, excretio; impeditae; lentor humorum circulantium, secretorum, excretorum; si cum hisce signis frigus simul manifestum, tum designat pituitosum; verum si calor ingens simul adest, tum spissum inflammatorium significatur.

* 917. Inde etiam signa praedominantis aquae, salis, olei terrae, habentur nota.

918. Si vero una cum praedictis signis apparent simul signum Vitae vel circulationis validae, tum designatur citissima, summaque destructio; contraria autem oppositum demonstrant.

919. Quin etiam ex omnibus his bene perpensis intelliguntur signa Malignitatis in Acutis: quum enim haec significet celerissimam morbi mutationem in mortem, poterunt haec colligi, 1. ex causis validis, velocibus, corpori applicatis, ut sunt pestis, venena, ignis, putredo; 2. ex cognita per observationes violenta natura praedominantis Epidemici; 3. ex cognita temperie naturali, atque morbosa aegri; 4. ex resistantia pertinaci contra omnia genera remediorum, licet valida vi mutante praedictorum; 5. ex symptomatibus malis, quae vitales actiones praecipue admodum laesas esse testantur; qualia sunt ex primariis sitis inextinguibilis; siccitas; sordities, albedo, flavedo, fuscus color, nigredo, maxime cum crustis, in ore, naribus, lingua, faucibus, palato; appetitus integre deletus; nausea perpetua, ingens, abominabilis; vomitus assiduus; singultus; dolor, & anxietas valida circa stomachum; rejectio sincera per vomitum feri, bilis, putridi humoris; Alvi dejectio sincera, liquida, foetida, non levans, valde debilitans, fibras, carun-

carunculas, membranas secum ferens; Urina valde tenuis, rubra, spumosa, parca, saepe reddita; Sudor frigidus, viscosus, guttatus, circa caput, & collum, non levans, foetens; Pulsus celer, debilis, durus, inaequalis, intermittens; Respiratio citata, anhelosa, impedita, tussiculosa, dolens, sublimis; mentis alienatio, delirium, furor, insensibilitas; Somnus nullus, turbatus, non levans, laborem faciens, aut perpetuus; Sanguinis excreatio; ejus Mictus, aut per Alvum exitus; stillae sanguineae, paucae, atrae, ex Naribus; tremores insoliti linguae, labiorum, manuum; convulsiones validae; anxietas; membrorum, capitivae, assidua, jaectatio; decubitus supinus; propendentia pedum a lecto quasi neglectim, ut & non percepta aegro nuditas horum; oculi sponte lachrimosi, tristes, vagi, fixi, sicci, pulverulenti; insciis exeuntia excrementa; collectiones folliculorum, atque palpitationes follicitae, laboriosae; maculae purpureae; crises nec integrae, nec levantes; mutationes in insolita quaeque.

920. Morbi acuti superabiles natura, vel arte, judicantur ex absentia horum signorum (919.) & contra.

921. Cruditas, coctio, crisis, eventus in salutem, alium morbum, vel in mortem, sunt objecta, & signa, Prognostici in morbis.

922. Materia morbi praedita ea mole, figura, cohaesione, mobilitate, inertia, ut faciat, vel augeat, morbum, appellatur Cruda.

923. Ille autem status morbi, in quo haec ita se habet, dicitur Cruditas morbi; quod obtinet aequè in morbis, ubi tota massa humorum infecta est, quam in iis, ubi una modo pars tali materie obsessa habetur.

924. Quod idem de solidis, quatenus vitio humorum aegrotant, verum est.

925. Cruditas illa (922. 923. 924.) cognoscitur, 1. ex vigore morbi durante, vel crescente; 2. ex augmento affiduo symptomatum; 3. ab exercitio functionum adhuc valde laeso; 4. omnium optime ex recessu humorum circulantium, secretorum, excretorum, & excrementorum, a statu sano, quoad copiam,

piam, vel qualitates; unde in sudore, lachrymis, mucos, saliva, sputo, redditis per vomitum, bile, faece alvi, urina, ichore, pure, sanguine, menftris, lochiis, lacte, abscessu, aphthis &c. indicatur.

926. Si autem materia morbi prius cruda (922.) per actiones vitae, aut propriam indolem, vel per medicamenta apta sic mutata est quoad molem, figuram, cohaesionem, mobilitatem, inertiam; ut minus recedat a statu salubri, minus laedat, adeoque impetum morbi imminuat, Cocta jam appellatur.

927. Status autem morbi ille, in quo haec (926.) ita fiunt, appellatur Coctio, Maturatio, vel Περασμός.

928. Cognoscitur ille status morbi (927.), & materiae [926.], 1. ex quiete morbi, ejusdemque decremento, viribus vitae interim constantibus, vel & incrementibus, 2. a sedatione, imminutioneque, symptomatum, concomitante vitae robore; 3. a restitutione functionum in integrum; 4. ex similitudine humorum circulantium, secretorum, excretorum, excrementorumque, cum naturalibus confer [919.]

929. Causa mutans Cruda [922.] in Cocta [926.] est actio Vitae superstes, immutatio spontanea materiae morbosae, virtus medicamentorum auxilians.

930. Materia morbi eoque cocta per causas suas, ut evaserit salubri simillima, appellabitur Resoluta; haec actio dicitur Resolutio, quae erit sanatio perfectissima, absque ulla evacuatione contingens; supponens materiem benignam, optimam naturam, bona medicamenta.

931. In morbis Acutis, qui in humoribus consistunt, disponitur, ut plurimum certo tempore materies morbi ita, ut fiat subita mutatio Morbi in Sanitatem, vel in Mortem, quae permutatio Crisis appellatur; atque ipsa materies ita disposita Critica dicitur.

932. Causa talis motus est vis Vitae superstes irritata a materiae morbi variis conditionibus praedita, ut evacuetur, ut transmigret, vel ut occidat.

933. Si ad evacuationem, vel mutationem loci, apta est materia, nondum tamen similis salubri, parit mutationem in motu

humorum diversam ab ea conditione, qua in corporibus sanis fieri solet, vocatur Perturbatio Critica.

934. Illae autem Permutationes, quae a vi Vitae incipiente movere, circumducere, miscere, separare, materiem criticam, oriuntur, si sunt sensibiles, appellantur Symptomata Critica, suntque signa Crisios jam natae, aut mox futurae. Horum distinctio difficilis, ignoratio damni, & periculi, plenissima.

935. Saepius enim confunduntur cum symptomatibus a causa morbi, morbo, vel cruda materie morbi ortis; unde plerumque sequitur infauitissima medendi Methodus.

936. Signa vero, quibus internoscuntur Symptomata Critica a Morbo, sunt primaria haec: 1. Symptomata illa oriuntur a vi Vitae superante vim Morbi, haec autem a vi Morbi praevalente ipsi facultati Vitali. 2. Illa sunt praegressa Coctione suis signis manifesta, & bona reperta, haec in Cruditate compta. 3. Illa fiunt circa tempus proprium crisi, haec omni morbi tempore, maxime in augmento. 4. Illa brevi levant, haec cito nocent.

937. Primaria illa Symptomata Critica, & signa, sunt haec, quae crisin evacuantem praecedunt: post coctionem, tempore critico, subito, sine nova manifesta morbi causa oriens stupor, somnolentia, sopor, vigiliae, delirium, anxietas, dispnoea, nox molesta, rigor, dolor, rubor, titillatio, punctura, gravitas, densitas in parte; tenebrae, splendor, lux, lachrymae spontaneae, in oculis; nausea, aestus, fitis, retractio hypocondriorum, tremula agitatio labii inferioris.

938. Evacuationis Criticae praesentis signa habentur, & producta sunt: si post animadversa prius [936. 937.] deinde conspicitur vomitus, salivatio, mucis excretio, excretio sputorum, alvi fluor, urina, haemorrhagia ex naribus, utero, haemorrhoidibus, sudor, abscessus, pustulae, tumores, bubo, parotis, aphthae, humorum ex loco in locum translatio.

939. Cognoscuntur haec [938.] critica salubria, nec per artis sollicitudinem turbanda esse, si praegressa fuerint [936. 937.] jam dicta: coctio praegressa; morbi status; vis vitae bona; excrementa similia naturalibus; convenientia morbo,

parti

parti affectae, vitae, victui, aetati, sexui, temperiei; tempus, locus, levamen post haec tam quoad morbum, quam quoad symptomata; color, calor, robur; pulsus, respiratio, actiones omnes, statim restituta, vel incipientia multum restitui; tum constantia criticae evacuationis usque ad finem morbi: si enim omnia haec, vel pleraque, signa adsunt, tum perfecta erit separatio morborum a sano; diciturque Crisis perfecta evacuans, vel separans.

940. Si autem illa signa [939.] absint, aut horum contraria eveniant, tum apparet haec esse symptomata Morbi, non autem Vitae triumphantis; adeoque tunc mala sunt, atque curanda ut morbi ipsi, si vero haec non adsint, sed tantum quaedam, eaque nec perfecta, tum cognoscitur materiem male criticam vagam huc, illuc, ferendam, parituram varia phaenomena, quae Crisis *μετιστατική* appellatur.

941. Unde axiomata in diagnosticis, & in prognosticis, haec recepta sunt, & alia similia:

Evacuatio Critica post Coctionem semper bona.

Eadem die Critico bona.

Est autem varia quoad tempus, & quoad materiem, pro ratione aetatis, temperiei, sexus, regionis, tempestatis anni, morbi, epidemicae constitutionis.

Erit illa ante Coctionem mala.

Coctio autem ipsa semper bona.

Quo Coctio citior, eo melior; non autem Crisis.

942. Praenotio designans eventum morbi fundatur praecipue in cognitis, & comparatis inter se, causis, a quibus pendet vita adhuc praesens, & superstes, in aegro, atque unde oritur morbus etiam in illo praesens; etenim ex hisce sic explore perceptis nascitur praesagium de exitu morbi in vitam, sanitatem, alium morbum, mortem; quin etiam ex iisdem intelliguntur tempora, & permutationes, quae hic accidunt.

943. Virtus causae, qua Vita adhuc durat, cognoscitur ex functione qualibet superstite, primario Vitali, animali dein, atque etiam Naturali: quae quidem solent enunciari binis his axiomatibus: quo functiones plures magis similes sunt iisdem

functionibus in fanitate fieri consuetis, eo vis Vitae major, & melior, eoque plus spei ad fanitatem perfectam recuperandam. Quo autem salubrior est in aegro functio illa, a qua plurimae aliae pendent, ut a sua causa, eo pariter res aegri magis in vado. Et contra concluditur ex contrariis.

944. Functio autem scitur similis esse illi, quae in fanitate aderat, si effectus ab illa bona functione inseparabiles, sensibiles, & in physiologicis enarrati, deprehenduntur esse tales, ut ibi explicati sunt: inprimis vero inde discimus bonitatem ejus, si causa, materia, effectus, morbi per ipsas functiones superstites convertuntur in fanitatem, adeoque praecipue ex bona coctione materiae morbosae, & ex bona excretionem.

945. Coctio quidem optima censetur illa, qua cruditas citissime, & perfectissime fit similis humori naturali. Unde axioma: quo Coctio melior, eo plus spei pro Vita, & Sanitate habetur.

946. Atque scitur, humores redire in conditionem salubrem, atque etiam partes solidas restitui, si actiones quaecunque, tempore Cruditatis laesae, restituantur in integras, sique excreta omnia induunt similitudinem cum salubribus. Unde axiomata: quo actiones magis mutantur in sanas, eo melior Coctio: rursumque, quo excrementa omnia similia naturalibus, eo Coctio perfectior, & contra.

947. Tandem etiam cognoscitur robor causae vitalis ex aetate, sexu, temperie, vita, natione, familia ipsius aegri.

948. Atque ex his omnibus [942. ad 948.] Medicus colligit vitale robor in Aegro, causaeque illius magnitudinem.

949. Cognoscitur autem vis, & magnitudo causae morbum patientis, 1. ex notis causis ejus magnis, malignis, pertinacibus; 2. ex genio noto morbi per cognitam constitutionem, epidemicam; 3. ex copia, magnitudine, vehementia symptomatum; 4. ex cruditate; 5. ex mutatione magna qualitatum sensibilium, quoad figuram, molem, colorem, consistentiam, 6. ab excretis valde recedentibus a sanis.

950. Causis his [948. 949.] examuffim cognitis, atque accurate comparatis inter se, fit praedictio per haec axiomata:

Si

Si causa vitae in Aegro longe efficacior, quam causa morbi, tum Aeger, brevi, integre sanabitur.

Si causae vitae, & morbi aequales efficacia, praefigitur discrimen, duratio, alius morbus.

Si causa morbi longe efficacior causa vitae, sequetur mors, vel totius, vel partis.

951. Magnitudo periculi in morbis spectatur etiam excessu magno, quo causa morbi superat causam vitae.

952. Duratio illius mensuratur ex tarditate, qua morbus tendit in *ἀκμὴν*, ex debilitate vitae: ex pertinacia, & tenacitate materiae.

953. Alius morbus futurus scitur exinde, quod vis morbi, & symptomata ejus, remittunt absque coctione, atque absque bona, sufficiente critica evacuatione, idque in morbo cum materia.

954. Morbus autem ille succedens saepe est pejor priore, & diuturnior, pro diversitate partis laesae, quam novus ille morbus occupat, aut pro diversitate mutatae jam materiae morbo-bosae vel sola mora temporis.

955. Sed & potest cognosci locus, quem materies male cocta morbi occupabit, ex pruritu, titillatione, rubore, dolore; calore, tumore, stupore, pulsatione, agitatione, molestia perpetua, partis alicujus in aegro, tum ex genio, & idea, vel ex epidemica conditione, morbi.

956. Quin etiam si cernitur, quod ars, vel casus in parte quadam corporis produxit ea, quae modo dicta [955.] tum etiam praevideatur materiem morbi in eam partem colligendam esse.

957. Ex omnibus his [921. ad 957.] constat nobis, quod cognitio Coctionis, & Crisios, maxime sit habenda, ut fiat debitum praefagium in morbis, sed & patet hanc fere tantum acquiri cognita functione Vitali, ut ejus praecipua causa; haec autem maxime aestimatur Pulsu, & Respiratione; hinc ergo de his primo erit hic agendum: quum vero & Urina sit recrementum ex tota massa sanguinis, omnibusque partibus, vi vitae egestum, & haec postulat considerationem accuratam.

§. DCCCLXXXVIII.

Sanctoriana] Quando corpus ad stateram ponderosius fit.

Lassitudine) HIPPOCRATES in ep. ad Perdiccam R. & DIOCLE ad Antigonum, ajunt, „ ut scias, an morbus tibi immineat, debes animum advertere, an aliquid insoliti tibi acciderit; an male dormieris; meliori quieti adfuetus; an lassitudinem senseris absque causa; an sudaveris per somnum praeter consuetudinem; haec enim omnia morbum praefagiunt. Pulcherrime haec SANCTORIUS, qui demonstravit, tunc morbum instare, quando corpus ad sensum gravius fit, & ad motum inertius est; signum impeditae nempe perspirationis; nam perspiratio ponit humectationem in vasis minimis, at, ubi ista exsiccantur, pondus ad sensum augetur. Quando brachium minus mobile est, morbus ibi erit, aut jam adest morbi causa. Quando alvus praeter rationem uberius fluit, intestina laborabunt. Haec omnia absque staterae usu aequae praecclare HIPPOCRATES observavit, ac SANCTORIUS, qui stateram invenit. Pene omnes morbi hoc pondus pro nuncio praemittunt, sola apoplexia excepta, & plerumque praeveniri possent, si & aeger, & medicus ad hoc signum adverteret.

Temperiei) Si noverim hominem plethoricum esse, facile concludo, eum hyeme melius, pejus aestate valere.

Procatarticae] Quando causam proegumenen nosti, & nosti procatartica, totam certe causam, nempe ipsum morbum cognitum habes.

Epidemia) Primus post HIPPOCRATEM SYDENHAMIUS docuit, „ bis in anno dominari in omnia temperamenta aliquam dispositionem morbificam, & propriam sibi curationem etiam in aliis morbis poscere: ut v. g. omnes morbi dysenteriae curationem requirant, quando dispositio dysenterica dominatur. Quando quartanaria dispositio regnat, plethorici nihil patiuntur, sed vae melancholicis! Haec observatio utilissima est: indeque explicatur, quare felix etiam, & sapiens medicus, si sedem mutaverit, in nova patria minus feliciter ab initio praxin exerceat.

§. DCCCXCIX.

Praeteriti] Hoc vaticinium medicum admirationem hominum sibi acquirit, ut, qui praefagiendo polluerit, supra humanam sortem sapiens videatur. Medicus ab aegro audit, se omni nocte sudasse, sed reponit, hesternae nocte non sudasti, id in matula video, quia nempe urinae copiam ibi videt: inde magna apud vulgus admiratio. Nempe, quando effectum vides, cujus causam nosti, facile concludis, siquidem effectus praesens adsit, causam praegressam esse. Alius aeger ait, se

ex asthma laborare. Si singulatim interrogatus, neque a frigore in eum morbum incidit, neque a calore, neque congenitum habet, neque in utrumque latus facile decumbit, jam certus sum, eum habuisse pulmonem inflammatum, atque tuto id edicere possum.

§. DCCCCI.

Idiosyncrasia) Facile morbum dignosces, si & temperiem aegri noveris, & causam externam, quae applicata morbum fecit.

§. DCCCCII.

Situs, nexus) In dislocatione, & luxatione morbus cognoscitur, si aliquid loco motum fuerit.

Laesis functionibus] Quando hydropicus aestum sustinuit, bene est: si non potuerit tolerare, jam adest putredo.

Oblique] Quando mucum rubellum video, scio vasa laxata esse.

§. DCCCCIII.

Loco] Nam contusio, quae in cute nullius momenti esset, eadem in glandula conglomerata scirrhum pessimum producit.

Temperiei) Quae saepe lethale vulnus facit ex levissimo. In Phthi- sicis paucissimus sanguis per vasa circumit: adeoque, si vel pauculae unciae per vulnus subtractae fuerint, moriuntur ex malo, quod sanus homo ne quidem sensisset. Cancer in femina plethorica facile curatur (1732.), difficillime in melancholica.

§. DCCCCIV.

Ulcerata] &c. Haec ex sua definitione cognita facile in praesenti aegro agnoscuntur. Ita scirrhus est tumor non dolens, scaber, durus, in loco glanduloso: habes omnia phaenomena scirrhi in definitione comprehensa. Cancer est ejusdem scirrhi exulceratio, gangraena, & in ichorem conversio. Videns denuo, si tenueris definitionem, facile in praesente aegro agnosci.

Natura mali) Quando inflammationem video, facile concludo, eam vel in resolutionem, vel in suppurationem, vel in gangraenam, vel in scirrhum transiturem.

Partes laesae) Num in vulnere cerebrum, num cerebellum laesum sit, facile definitur, prouti, vel vitalis, vel animalis functio laesa fuerit.

Vicinia] Suppuratio ex se ipsa parum noxia, si per inguen fiat, & arteriae

arteriae illiacae tunicam cellulofam erofit, poterit lethalem haemorrhagiam producere. Eadem ratione cancer faepe per haemorrhagiam enecat, quando acerrimus ichor vafa erofit.

Auxilii] Ita ulcus pulmonum non occideret, fi perinde balfama applicari poffent, ut in brachii ulcere.

§. DCCCCV.

Functione] Quando icterus a contufione adparet, hepar laefum eft. (*Excretis*) Quando fanguis vomitu egeritur, & certum eft, contufionem aliquam praecessiffe, hoc vitium vix potuit ventriculo, aut intestino contigiffe; superest, ut in hepate, liene, vel pancreate sedem habeat.

Loco) Optima anatomica demonstratio eft, quam LANCISIUS in praefatione ad EUSTACHII tabulas commendavit. Nempe corpus in partes, & regiones distribuitur: (1732. Veteres ita egiffe, & definiviffe regionem hypochondriacam dextram, finiftram &c. & ad fingulam sedem definiviffe, quaenam subsint viscera.) Deinde notae relinquuntur, ut aperto corpore accurate sciri poffit, quae partes sub quavis externi corporis sede sibi successive subcumbant. Ita fere tabulas suas disposuit EUSTACHIUS, quas contra VESALIUM perficit, ut prior tabula exterius stratum traderet, huic succedat alia, in qua partes pinguntur, quae sub partibus prioris tabulae fequuntur, atque adeo ex comparatione tabularum omnes situs partium accurate cognoscantur. Non ignoro, aliquando situm varietate ludere, verum id non impedit, quin summa fit utilitas hujus studii.

Cognito] Ita fimilis fere structura eft mammae, & Pancreatis: in utraque glandula scirrhus contufionem fequitur. Ergo cogitandum, in pancreate, sicuti in mamma fit, scirrhum irritatum abiturum in cancerum, qui late partes erodat.

Qualitate] Homo ex alto cadit, & mox per rotam cutem flavescit, atque sanguinem concrefcibilem, quasi parenchymaticum per hepar egerit: facile ex his notis concluditur, hepar contufum esse, hinc ex fractis vasis sanguinem in ventriculum, & intestina effundi.

§. DCCCCVI.

Comparatio) Haec regula divina eft, sed valde neglecta. Aeger paralyticus eft, non potest manum extendere, quaero an vitium in musculis inveniam. Non invenio, inquiri ulterius, ait aeger se prius laboravisse epilepsia, aut vertigine. Ita disco vitium in cerebro esse.

§. DCCCCVII.

§. DCCCCVII.

Functioe laesa] Debet ex pathologicis teneri, quatenus laesae functiones a qualibet parte aegra sequantur. Ita cerebrum laesum vertiginem facit, tinnitum aurium, scotomiam, sensuum abolitionem, apoplexiam: si aliquod horum malorum adfuerit, vitium in cerebro esse indicatur. Ergo in prima visitatione aegri, non quidem aliam sententiam proferes, quam versatilem aliquam, & medicamenta nocua: scribe vero in chartam symptomata, eam domi tecum animo pervolve, & quaere ex te ipso, quis morbus est? quatenus pars adfecta? in quonam statu morbus est? quid inde potest timeri? in quamnam partem potest morbus decumbere? Et vix unquam morbum non intelliget, qui prius recte perspexerit omnia: neque intelliget morbi naturam, si neglexerit. Coram aegro vero nullam trepidationem oportet apparere; & ibi aliquid firmiter, quasi ex mathematica demonstratione adfirmari debet: quod altera die fieri poterit morbo jam cognito. Fiducia enim aegri confidentiam medici sequitur, neque obsequetur facile medico, quem incertum esse videt.

§. DCCCCVIII.

Excretis) Quo magis a naturali indole recedunt, eo majus in morbo periculum est.

Tempestate anni] Periculum summum faciunt subitae mutationes a calore in frigus. Ver etiam, & aestas media, & autumnus initium morbos acutiores faciunt.

Aetate] Infantes, & pueri morbis acutis parum obnoxii sunt, maxime vero adoluscentes, & homines mediae aetatis.

Vita] Quo magis ea agilis, & laboriosa, eo magis etiam acutis morbis obnoxia est; chronicis vero, quae sedentaria: quo magis etiam delectantur cibis putrescentibus, eo magis morbis acutis subjiuntur.

Aegri] Plethorici morbis acutis, melancholici vero minime iisdem obnoxii sunt.

§. DCCCCXI.

Dolor] Non ideo continuo ab acrimonia sanguinis oritur, ut putant vulgo, sed ex impulsu sanguinis in vas angustum a valente vi urgentis febris: & si decies dolor adfuerit, vix semel est ab acrimonia. Qui vero ab acri producitur, is fere absque febre, aut sanguinis motu aucto est, ut in scorbuto. Male ergo PARACELSUS, qui hominem

ajebat exponere macrocosmon, & tot mutationes in corpore pati, quot in aere contingant, quatuor v. g. ventos cardinales in homine esse, perinde uti in mundo sunt

§. DCCCCXII.

Alcalinae] Quae ipsa acerrima pestis est. Quo magis humores nostri vergunt in oleum volatile rancidum, & salem alcalinum, eo ardentiores febres fieri necesse est.

Faecor] Hunc in cibis accusant, sed in saliva est, quae in acrimoniam alcaliscentem degenerat; porro saliva, sudor, faex alvi, urina, cadaver faeculentia testantur de acrimonia alcalina. Cum tali faece alvi semper tuto acida dari possunt.

Prostratus) Ut ad ipsos cibos sed maxime ad carnes horreant aegri. Acida cacochymia etiam nonnunquam appetitum prosternit, ciborum vero horrorem nunquam inducit.

Urina] Haec urina jam putrida est, & lixiviosa, & pestiferam, cito destruentem, diathesin denotat.

Sudor) Maculas indusio imprimens, vix debiles.

Floridus) Hujusmodi sanguis in pleuritide, & pestis pessima specie emittitur. Experimentum citat BAGLIVIVS, causas vero addit mirificas: fit ab alcali, sales enim alcalini sanguinem solvunt in ichorem. Saepe in malignissima peste, & variolis confluentibus pessimi moris nullum signum malignitatis in morbo adpareret, nisi notitia epidemicae constitutionis medicum de periculo moneret. Adparet adeo, humores in morbis non adeo fieri acerrimos, ut vulgo creditur; nam sanguis pleuriticus oculo intillatus neque laedit, neque sensum ullum imprimit.

Gangraenosae) Quales in callosa cute in variolis confluentibus erumpunt, tales procul dubio etiam in jecore, & pulmonibus prodeunt, facile hinc lethales.

Acidis] Quae putredinem vincunt, & alcaliscentiae resistunt. HIPPOCRATES mel cum aceto, & aqua in omnibus acutis propinabat. Hinc patet medicos ad Massiliensem pestem vocatos, morbum omnimodo exacerbasse, dum spiritum cornu cervi, & tinturas bezoardicas & sales volatiles oleosos exhibuerunt, flammaeque addiderunt oleum, quibus utique pueriles convulsiones domantur, SYDENHAMUS autem, satis alioquin alienus a medicamentis chemicis, fatetur variolarum aliquando genus regnasse, in quo sublividae bullae orientur, aquam continentem faetidulam, quam effluxa caro subiecta aterrima adparebat: in his vero variolis ne unicum aegrum se sanare potuisse, donec vitrioli spiritum, cum tenui cerevisia aegris exhibuerit. Enormi errore putatum est post HELMONTIUM, acidum homini semper inimicum esse: neque

neque HELMONTIUS ita intellexit, uti discipuli; nam alibi dicit, spiritus sulfuris per campanam febrem extinguit, uti aqua ignem, & commendat eundem in febribus contra sitim, metumque putredinis. Certum est, alcalinam intemperiem plus nocere intra unam horam, quam acida intra integrum revolutum annum. Pestem vero ipsam ad naturam alcalini morbi accedere, demonstratur ex cadaverum faetore, & attritate, cum duodecima a morte hora aethiopum simillima videantur. Hi morbi fere robustissima corpora, & exercitata enecant, parant iidem pueris, & corporibus mollioribus. Melancholicos autem, & hydropicos tempestas pestilens etiam recreat.

§. DCCCCXIII.

Acidum, quod adeo incusant SYLVIUS TACHENIUS, & adscelae eorum, erosiones aliquando facit, sed alcalina multo frequentius: non nego acidum nocere posse, quando adeo diu & confertim usurpatum est, ut integris viribus ad sanguinem venire possit.

Terrestrium) Ita ut pueri ipsos carbones devorent, ut acidum subigant.

Torminales) Nunquam faeces alvi acidum spirant, quandiu bilis abundat.

Alba) Ita alba, ut in terram delapsa ad lactis modum coaguletur.

Sudor] Acida sudorem movent, & princeps acetum magnum sudorificum est.

Leviores) Olim HIPPOCRATES, non esse pleuritidi obnoxios, qui acidum eructent.

Opposita) A sapone veneto, graeco, absorbentibus.

§. DCCCCXIV.

Sitis) Haec imprimis oritur ex materie muriatica, sive sale marino cum animalium carnibus putrescente, ubi & rancidum oleum, & sal semiputridus conjunctis viribus ciborum appetitum destrunt. Ab eorum hominum sanguine aqua non secus ac a candente ferro repellitur. Juvant acida, leniter saponacea, blanda. Hujusmodi morbos nautae patiuntur, qui in medio sale natantes, nullos, nisi falsos cibos ingerunt, & aquam verminosam bibunt.

Urina] Viridis, pinguiuscula, cum pellicula, quae non phtisis denotat, sed acrimoniam, unde phtisis nasci possit.

§. DCCCCXV.

Oleosae] Quae alcalina degeneratione, & frequentior est, & deterior. *Rancidus*) Hinc fit, ut optimas carnes pro putridis habeant, qui ex acutis morbis laborant.

Amburens) Lardum nimia copia adsumtum, sexta fere hora exurgit halitu, faucesque fere exurit, & liquidum rejectum in igne flamma capit.

Urinae) Color omnis ab oleo est, hinc color intensus ejus acredinem demonstrat.

Horrore] Praesentissimum remedium famis est vitellus ovi putridus, inde nausea, & vomitus horrendus, & famis, febrisque destructio. Plerumque bilem accusant, sed saepe innoxiam, nisi cum cibus & ipsa putruerit.

Pertinaces) Obesi ex morbis acutis fere pereunt. Sal enim acrimonia sua, & oleum canales obstruendo omnia inflammant, & destruunt. Non alio medicamento pejorem in cute inflammationem facias, quam imposito lardo rancido, aut oleo cornu cervi per distillationem rancido obuncto.

Juwamen) Huc oxymel, HIPPOCRATIS medicamentum.

§. DCCCCXVI.

Fluiditatis] Haec verissima consumptio est, Anglis familiaris, quibus ex victu, & aere, & natura humores fluidi, soluti, mobiles, corpora tenera sunt, quae, nisi induruerint exercitio, tota aut sudoribus nocturnis diffluunt, aut in sputa resolvuntur. Hi aegri nunquam sanantur, nisi densato sanguine, quod nunquam fit, nisi motu, & corporis exercitio. Sine eo neque lactea cura proderit, neque incrassans diæta. Fluida vero dissolventia hinc adhibere, errorum pessimus est. (Quandiu vita magna est fluiditas macilentiam facit: si cum debilitate cordis conjungitur eadem, hydropem.)

§. DCCCCXVII.

Tenacitatis) Quae aequaliter a quiete, & a motu, a calore perinde, ac a frigore oritur: curationes vero pro causarum diversitate distinctissime adhiberi debent. Si causa in sanguine phlogistico fuerit, qui nimio motu hepar, & pulmonem destruit, tunc venae sectio, & diluentia profunt. Sed eadem curatio translata ad visciditatem pituitosam, motum cum magno aegri periculo augebit.

§. DCCCCXVIII.

Citissime) In febre ardente, ubi magna spiffitudo sanguinis, & simul enormis motus conjunguntur. Tunc impaſta in cerebrum vel pulmonem materia vafa minima citiffime destruit. Hic attenuandi humores per liquida faponacea, fructus horaeos, addito melle, aceto, & prunellae fale.

§. DCCCCXIX.

Malignitatis) Malignitatem voco unice mortis periculum. Mors vero est cordis quies. Ergo adgnosceretur malignitas in morbis ex omnibus signis, quibus periculum mortis demonstratur. Hanc vocem expunctam voluit SYDENHAMUS; non ex inani scrupulo, sed quia videbat vulgus medicorum, ad auditam vocem malignitatis, continuo venenum supponere, atque contra imaginarium malum sudoriferis & alexipharmacis, funesto plerumque effectu pugnare.

Venena] Arlenicalis suffocatio pessima est.

Ignis] Fulmen unico ictu oculi necat.

Epidemici) In definito genere animalium; nam alias suilla pestis graffatur, alias ovilla, aut humana denique, neque fere unquam omnia genera animalium eodem tempore laborant. Haec observatio necessaria est, quia in malignissima peste saepe nullum malignitatis signum adest, sed aegri subito concidunt: & omnes humores subito coagulari videntur. Hinc periculum, non ex solis signis praesentibus, sed ex collata consideratione dominantis morbi aestimari debet.

Temperiei) Ευμεταβλητω corpori facile mutabili. Pestes non alia corpora citius destruit, quam plethorica, rarefscibilia, juvat eadem melancholicos.

Remediorum) Quando medicamenta effectum suum non edunt, quando purgantia non purgant, neque clysteres alvum subducunt, signum est malignitatis, & virium vitae maxime prostratarum, pene funestum.

Symptomatibus malis] Qui medici juniores estis, audietis saepe senes practicos, vobiscum vocatos, pronunciare, hic adest malignitas. Nolite valde admirari hanc sapientiam, nihilo plus norunt de natura morbi, quam vos ipsi: sed experti frequentes funestos effectus similis morbi, audent pronunciare. A posteriori norunt, quid sit malignitas, a priori quid sit, vobiscum ignorant.

Sitis) Ut ad crepaturam corpus repleatur aquosis, neque ideo sitis placetur. Talem excitat aegyptius ille serpens Dipsas, ubi summus spes sanationis est a potus abstinentia.

Crustis] Haec ex se ipsis non occidunt, sed tamquam signum, indicant

cant enim humores in vasis minimis stagnare. Sed non in ore solo stagnabunt, verum & in intestinis, quibus fere eadem cum faucibus fabrica est, & in hepate, & in pulmone & in cerebro, unde mortem sequi necesse est.

Vomitum) HIPPOCRATES non aliud symptoma magis extimuit, quam *καρπτα* rejecta, quando sola bilis, aut sanguis, aut lympa rejicitur. Id demonstrat reliqua omnia clausa esse, hancque viam solam patere.

Sudor] Sudorem vulgus amat, & inter bona signa refert: verum meminisse oportet, aegros, quibus per biduum cutis aridissima fuit, tribus ante mortem horis sudore diffluere, non critico, sed ex laxatis paralyticis vasis minimis elabente, tenaci, & cohaerente.

Somnus) Signum cerebri inflammati, quod vitium lethale est, si in cerebellum se diffuderit.

Excretio] SYDENHAMUS fatetur, neminem se sanare potuisse, qui in morbo acuto sanguinem ex pulmone ejecerit. (1732. unicum exemplum sanati cum hoc symptomate aegri SYDENHAMUS habet.

Mictus] In acutis a violentia morbi semper funestus est, neque vidi, qui cum hoc symptomate mortem effugerit.

Naribus] Signum est sanguinis crassi, inflammatorii, qui vi urgetur, ut vasa rumpere possit, ita tamen tenax est, ut vasis etiam ruptis nequeat effluere. Hinc has distillationes ubique damnat HIPPOCRATES.

Anxietas) Quae fit a sanguinis ad cor, aut hepar collectione.

Membrorum) Periculosissimum signum est, ne tantillo tempore posse pedibus insistere.

Pedum] Et in virginibus, & in honestis viris saepe observavi, semper funestum, etiam quando mente constabant, & moniti, MICHl respondebant, se animum non advertisse. Nempe signum est, musculos ab anima non regi, adeoque commercium inter superiora, & inferiora interruptum esse, & insensibilitatem inde ortam. Idem de hoc symptomate HIPPOCRATIS, & SYDENHAMI iudicium est.

Vagi) Sive aegri perpetuo huc & illuc circumspiciant, sive fixi ad unum angulum respiciant, perinde funestum est. Si roges, quid agant, ajunt se nescire.

Pulverulenti] Pessimum signum, nempe vel palpebras alias adeo sensibiles, nunc a pulveribus non adfici, vel lemosum humorem glandularum ciliarium, non amplius a motu palpebrarum extra oculum pelli.

Excrementi] Nisi causa manifesta adfluerit, v. gr. paralysis sphincteris.

Floccorum] Captant aliquid in aere, & rogati respondent se nescire. Exemplum in se ipso GALENUS narrat. Cum decumberet, advocati medici submisit sibi adfurrabant, nonne vides CLAUDIUM nostrum floccos legere. Ille, exaudito sermone, exclamavit, an capto floccos? ergo fervate

servate me ab imminente phrenitide. Signum est mentis alienatae.

Maculae] Stigmatum ab aqua forti similes, semper etiam absque aliis malis signis funestae, teste HIPPOCRATE, SYDENHAMO, DIEMERBROECKIO. Sunt enim erosiones vasorum minimorum: quales etiam in visceribus esse merito judicatur; in chronicis vero morbis, ut scorbuto, vix quidquam mali portendunt. In iisdem morbis acutis sanguinem ex pulmonibus ejectum semper lethalem expertus est SYDENHAMUS.

Insolitae) Sive in motibus, sive in sudore, alvi fluxu, corporis motu, a solito vitae genere recesserit, semper malum est. Quando homo, qui sanus de admittendis bonis liberis, uxore, sollicitus fuerat, nunc negligit omnia, neque ad se quidquam pertinere cogitat, sed mortis veluti conscius, deferenda bona adspernatur: semper funestum est, ut etiam vulgus has *ante mortem mutationes* in proverbium receperit. Signum est, cerebrum vix agere, vel sentire: (1. GESN. demonstrat statum cerebri a priori quam diversissimum, hinc morti proximum. Haec omnia signa malignitatem denotant, eo majorem, quo plura in uno aegro conjuncta sunt, minorem vicissim, quo sunt minora, & pauciora.

Cruditas) Haec tractatio longe in arte tota pulcherrima est, & eadem proprie medicum rationalem ab empirico separat: eamque ab HIPPOCRATE & inchoatam, & perfectam accepimus. Consideravit ILLE nescire nos omnino, quid agatur intra corpus vivi hominis, sive sanus fuerit, sive aeger, eas vero unice mutationes cognoscere, quae in morbo adparent, diversae ab iis phaenomenis, quae in sanitate adesse consueverunt. Haec phaenomena sunt effectus vitae superstitis: causa vero effectus morbosos suscitans, est id absconditum, quod causam morbi dicimus. Nemo mortalium potest resolvere, aut subpurare, aut materiem pleuriticam eliminare; sed verus medicus observat omnia phaenomena vitae, sanitatis, morbi, & naturae se mutantis, quae a causa ignota oriuntur. Nihil equidem cognovit HIPPOCRATES, quod nobis ignotum sit; id vero proprium habet, quod accuratissime phaenomena & eventus cujusvis morbi observaverit. Adeo haec simplicia sunt, & alphabetaria! & tamen quamprimum simplicitatem auferis, nihil ultra verum est. Ita mire aberrarunt, quin in HIPPOCRATE mysteriosum aliquid quaesiverunt.

§. DCCCCXXII.

Materies) quando morbus adest cum materie. Dantur enim, qui absque materie sunt, ut velocissimus motus musculorum ad mortem usque continuatus. Iidem morbi neque coctionem agnoscunt, neque crisin, neque huc pertinent.

Faciatur) Haec duorum generum est: 1. Ea quae in corpore latens, mor-

morbum facit. 2. Quae nascitur ex morbo aliunde orto. Prioris exemplum est sanguis phlogisticus, unde pleuritis generatur: posterioris, pus ex pleuritide natum.

Morbum] VETERES nihil aliud per vocem cruditatis intellexerunt, nisi generalem hunc conceptum: sed ejusdem cruditatis possunt innumerabiles esse causae, quae totidem crudae materiae sunt, vel fluidae, vel solidae. Quando enim nimia strictura in solidis partibus oritur, haec ipsa materies morbi erit, & tandiu dicetur status cruditatis, quam diu haec strictura superest: Medici juniores vocem cruditatis saepe ita intelligunt, ac si naturam singularem morbi definiret; verum longe abest: possunt enim infinitae causae esse, ut fluida acria, crassa, aquosa, vel uti HIPPOCRATES loquitur, nimis dulce, nimis amarum, nimis salsum, nimis acidum: neque potest natura cruditatis generatim determinari, nisi per hanc solam notam, quod morbum faciat, quaecunque demum sit. Ipse optimus sanguis morbum faciet, & crudus erit, si eum in venas hominis a morbo debilitati dimiseris. Nihil subtile per suam cruditatem intellexit HIPPOCRATES, voluit unice uno vocabulo omne morbosum designare, & usus est voce a fructibus horaeis desumpta, quos crudos vocamus, quandiu debitam indolem nondum induerunt.

§. D C C C C X X I I I.

Cruditatis] Quandiu ea phaenomena adparent, quae a morbo pendunt.

Solidis] In vulnere cruditas est, quandiu vulneris labra a fibris distrahuntur; coctum, quando recessit omnis inflammatio.

Vigore] In Pleuritide tandiu cruda materies est, quandiu morbus, & symptomata augentur.

§. D C C C C X X V.

Excretorum] Diarrhoea cruda est, quandiu nimia.

Qualitates] Cognitas habemus qualitates, & quantitatem recrementorum, & excrementorum, quae sanitati conveniunt. Si aliquod horum aliter, quam in sanitate se habuerit, jam morbum adesse cognoscitur. Inde facile deducitur, eo crudiorum morbum esse, quo magis omnes qualitates morbi a sanitate recedunt.

§. D C C C C X X V I.

Actioes vitae] Haec enim superest, & agit in morbi materiam, & si nullae superessent vitae vires, corpus cadaver esset.

Indo-

Indolem] Cruda ex sua indole mutantur, sanguis fluidus, extra vasa effusus, tenax redditur, idemque in leni calore, longe fluidior fit, quam prius erat. Coctam vero materiam vocamus, non eam, quae per calorem mutatur, sed unice respectu functionis laesae dicitur cocta, quando functio laesa restituitur. Non plura de natura coctionis ipse intellexit HIPPOCRATES: nisi cruda cocta esse, quando qualitates illas amittunt, ob quas cruda vocantur, faciuntque morbum.

§. DCCCCXXVII.

Indis] „Concoctio sive assimilatio crudi, non naturalis, in coctum sive in naturam nostram, quando adeo omnia, quae in odore, calore, tenuitate, crassitie &c. a natura recesserant, nunc rursus sanis assimilata sunt. Materia cruda est ens creatum, & aequae legibus naturae obedit, quam ulla alia creatura, vel quam ipsum pomum maturescens.

§. DCCCCXXVIII.

Constantibus] Alias morbi diminutio potest mortis esse vicinia. Verum quando & morbus minuitur, & vires crescunt, tunc nunquam te fallat spes tua.

Similitudine] v. gr. in ophthalmia adnatae tunicae inflammatio est cruditas HIPPOCRATICA, unde acres aquulae effluunt de oculo, & exoriant. Coctio vero tunc dicitur, quando lemae molles, lenes, & tenaces generari incipiunt; nam id indicium coctionis est, morbum nempe sanitati proximum esse. In coryza status cruditatis dicitur, quando liquor aquosus falsus per nares extillat; coctio vero facta esse dicitur, quando nunc post eam aquam magna copia mucis albicantis & tenacis effluit.

§. DCCCCXXIX.

Auxiliaris) Non oportet unquam te negotio immiscere, nisi ubi opera tua necessaria est. Ita SYDENHAMUS exemplum habet sponte resoluti humoris; in quo aegri a morbo caput petente per totos quatuordecim dies fatui fiebant omnes, morituri, si quid moliretur medicus. Quando vero sibi ipsis relinquebantur, & curabantur moderato calore, tenuique diaeta, convalescebant omnes, absque medicamento. Ergo per medicamenta oportet unice moderari morbum, ne motus vel nimis validus, aut nimis parvus fiat.

§. D C C C C X X X.

Sanatio] Haec sola hoc nomen meretur: eamque plerique vestrum experti sunt; quando obrupti torpore aliquo, languore quodam omnium functionum & anxietate laboravistis; deinde thea epota, carne omiffa, quiete acta, morbus sponte abiit. Tunc materies ita coëta est, ut nihil a statu sanitatis ejus indoles differat. Requirit autem optimam naturam: eademque nulla evacuatione indiget.

§. D C C C C X X X I.

Materies morbi, quae a materie naturali aliena est, incipit mutari, & vel melior fit, vel pejor. Inde nova symptomata oriuntur, quae certo, & in quovis morbo definito tempore adparere incipiunt. Tunc *crisin* vocamus, eum nempe statum morbi, in quo magna mutatio contingit, ex qua morbus subito abit vel in sanitatem, vel in mortem, vel in morbum a priori diversum. Hanc *crisin* plerumque valde impetite cum evacuatione critica confundunt. HIPPOCRATES considerabat naturam, & morbum tanquam hostes, qui pugnarent acriter, ut non diu aequilibrium superesse possit, sed alterum vinci sit necesse, eumque statum pugnae *crisin* dixit, ex quo brevi oporteret patere, ad utrum hostium victoria vergeret: in eo statu videbat, facili momento, dum res in dubio est, victoriam huc impelli, vel illuc.

§. D C C C C X X X I I I.

Perturbatio critica) Quando materies subacta, neque tamen adhuc sanae similis, quae haëtenus quieverat, nunc subito movetur: non ideo sanitas fit, morbo tamen melior est. Ita v. g. quando bilis atra in febre movetur, omnia symptomata anomala redduntur, & magna perturbatio oritur, in pejus itura, nisi a prudente medico probe distincta, & in ordinem redacta fuerit.

§. D C C C C X X X I V.

Symptomata critica) Mutationes sensibiles, quae a vi vitae oriuntur. Quando materies φλογισικη ita mutata est, ut non faciat inflammationem, sed semisolata in venas rapiatur, tunc oritur in toto corpore rigor, & frigus, ut ignari mortem proxime instare credant: magno errore; nam haec perturbatio a vi vitae contingit, tanto salubrior futura, quo deterior aeger habere visus est. Tunc enim rigor fit, quando sanguis, qui ad fines arteriarum stagnaverat, in fines venarum recipitur, atque adeo
deplet

deplet arterias, tollit obstructionem arteriosi systematis, & adtritum minuit. Si contra hoc frigus, tanquam febrem, medicamentis pugnaret, enormis certe error esset.

Difficilis) Illi, qui functiones corporis humani perfectas non habet, neque ex signis judicare didicit, gnaro facilis eadem, & manifesta.

Periculi] Qui in morbo turbat, neque qui intus agatur, novit, is forte sanat, forte nocet, neque firmus incedit unquam. Quando labia in *avaβaou* febris acutae tremunt, fere semper praevidentur instantes dirae convulsiones. Quando vero in febre ardente, die tertio, post signa coctionis, labia tremunt, sequetur post dimidiam horam salutaris vomitus. Haec diversitas pendet a tempore, a praegressis signis &c. Medicus hispanus elegantem libellum scripsit, cui titulum fecit consultationis medicae. Ibi variarum sectarum medici advocati multum sudant in aegrotis, dissentiunt, modo hoc, modo aliud commendant; tandem HIPPOCRATES & unica voce omnia sedat. Quiescat aeger, inquit, cras erit sudor per fluxum narium, & sanabitur.

§. D C C C C X X X V.

Confunderentur) Aeger adest, qui pleuritide laborat. Materia cruda facit anxietas, dolores &c. Natura, & medicina coquunt hanc materiam, & expellunt biliosum sanguinem. Ignarus verae medicinae homo poterit pro haemoptoe habere, & venam secare, sic jugulare aegrum, cum sapientior alter salutare naturae beneficium exolculetur. Ergo optime debent separari phaenomena, quae a morbo oriuntur, ab iis, quae vitae superstitis effectus sunt.

§. D C C C C X X X V I.

Critica fiunt] Symptomata vehementia ante praegressam coctionem omnia pessima ominantur: optimum vero signum praestant, quando coctionem sequuntur, etiam si eo ipso tempore laedunt, quo fiunt.

§. D C C C C X X X V I I.

Haec symptomatum in diverso tempore diversa indoles, bene intellecta, magnam partem sapientiae HIPPOCRATICAE absolvit, & cum maximo damno ignoratur.

Sine nova] Nam si morbus novus adcesserit, omnia incerta erunt.

Aestus] Maxime circa praecordia.

§. DCCCCXXXVIII.

Haec evacuationes criticae humorem de loco in locum derivant; & vel extra corpus expellunt; vel in aliam partem corporis deferunt: tunc ¹⁶⁶ *crasis* dicitur materiae morbosae, quae bona erit, quando ex nobiliori parte materia in minus nobilem deponitur; & vicissim. Et etiam in priori casu morbus equidem eo reducitur, ut minus noceat, non tamen integre tollitur. Hunc abscessum vocamus, non quod ulcus sit, sed quia est materiae morbosae de sanguine secessio.

Coctio) Aeger vomit, quaeritur, an hic vomitus criticus sit, an symptomaticus. Ergo attendendum, quo tempore aeger vomerit. Si in descensu morbi, post coctionis signa, bona crisis est. Si in ascensu morbi, omnis evacuatio mala est.

Status) In morbis acutis haec plerumque scala est. Morbus ascendit, per dies quatuor, haecenus cruditas est; ¹⁶⁷ *acme* vero adest die quinto, sexto, & sequentibus ad nonum usque decrescit morbus, hic status coctionis est. Nona dies aequae differet ab acme, ac prima dies; hic status, etsi tunc aliqua evacuatio fieri contingit, ea salutaris est.

Excrementa) Quando morbus in pituitaria membrana est, excrementum mucum oportet crassum esse, & albicantem. Quando in sanguine morbus haeret, urina debet crassa, & stranguriosa esse.

Parti) Quando morbus in pulmone est, debet excretio per superiora fieri, alioquin metastasin fieri necesse est.

Victus) Si aeger in febre ardente butyrum adsumserit, & post aliquot horas amarum viridem materiam vomerit, haec excretio neque critica erit, neque symptomatica, quia a victu unice est.

Locus] Quando vitium in primis viis est, vomitus criticus erit, & bonus: si in sanguine malum sedet, vomitus neque criticus est, neque bonus, quia non ducit per locum convenientem. Vicissim in febre ardente haemorrhagia narium optima est, sputum sanguinis pessimum.

Constantia] Quando aeger continuo secundo die sanguinolenta exspuit, & post quatuor horas alba, malum signum est, & coctio praecocior justo, signumque materiam crudam non nisi superficialiter subactam fuisse. Hoc tum opus fit fere solius NATURAE beneficio, per vim vitae, & materiae morbosae spontaneam mutationem: vix tertiam partem medicus sibi vindicare potest.

§. DCCCCXLI.

Morbi symptomata] Haec non sibi permitti, sed uti ipse morbus curari debent.

§. DCCCCXLI.

Varia) alia crisis est, quae in Norvvegia contingit, alia in Graecia, alia in femina, in viro alia, & alia in puero, alia in adulto, alia in tertiana febre, alia in ardente. In una peste quatuor generum est, nempe nulla in pessima specie pestis, quae subito absque crisi occidit: 2. funesta per maculas, 3. funesta per anthraces, 4. benigna per bonos bubones, eademque sanabilis. Haec omnia accurate dignosci oportet, quia medicus nunquam purgare debet, nisi quando materia turget, sive sanguis a vi vitae adeo violente movetur, ut ea methodo Natura materiem morbi nequeat superare, sed ipsam vitam destruat, tunc audacter natura invertenda est. In pleuritide materies inflammatoria, & vasorum intercostalium strictura, faciunt causam morbi proegumenem: procatartica vero febris est, quae materiam coagulat. Inde sequuntur mutatae functiones. Qui nunc cognitum habet, re naturae commissa morbum aut in gangraenam abire, aut in suppurationem, utrumque vero eventum malum esse; is non auscultat naturae, neque crisin exspectat, exitialem futuram, sed vires tollit, ut nequeant generare febrim, & tum demum materiem solvere conatur.

§. DCCCCXLI.

Tempus) In peste ante tertium diem crisis fit: in febre pessima die tertio.

Aetatis) In senibus evacuationes criticae fere per totam reliquam vitam manent; in junioribus intra paucos dies absolvuntur.

Crisis] Nempe evacuans: nam haec debet sequi coctionem, ut bona esse possit.

§. DCCCCXLII.

Medico clinico nihil magis necessarium est, quam scire praedicere de eventu morbi: nam perpetuas de ea re interrogationes patitur. Hanc doctrinam tradidit, & perfecit PROSPER ALPINUS in l. *de praesagienda vita, & morte*. Utinam possideremus ejusdem auctoris l. *de variis permutationibus morborum*! quam doctrinam interim ex HIPPOCRATE, & practica anatome desumere oportet. Vita est certa conditio corporis humani; morbus est ejusdem corporis conditio, diversa ab ea, quae sanitatem facit, & contra vitam faciens; morbi vero finis mors est. Verum conditio haec morbi mutat corpus aliter, ac requireretur, ut sanum sit, & adeo corpus mutatur a se ipso, quale in sanitate fuerat. Medicus comparat vitae copias, viresque morbi, & ex ea comparatione judicat, num mors sit superatura, aut vita futura potior.

Major

Major) fanitas est praesentia omnium functionum, vitalium, animalium, naturalium. Pone centum esse, & deficere unicam: morbus erit, sed cum 99. superstites manserint, fanitatem cito reducem expectare poteris. Si vero 99. destructae fuerint, & superstes unica, mortem praefagire oportet.

§. DCCCCXLIII.

Aliae pendent] Quandiu pulsus fortis, & aequalis est, aeger nondum morti propinquus est: nisi forte causa aliqua potentissime per accidens accesserit. Nam pulsus hujusmodi ponit cor validum, pulmones meabiles, cerebellum vitaliter agens; sed ab istis visceribus reliqua omnia pendent, & quandiu hae principes functiones vigent, res adhuc invado est: eoque meliora omnia, quo integriora sunt.

§. DCCCCXLIV.

Functiones superstites] Medicus, qui ad aegrum tertiana laborantem vocatur, & aegrum reperit in paroxysmo, invenit pulsum turbatum, & urinam, & respirationem, & putat esse maximum periculum. Sed redit idem post aliquot horas, omnia videt pacata esse: redit secunda die, adhuc mitiora sunt, facile inde concludit, nullum subesse periculum.

§. DCCCCXLV.

Coctio) Crudum est, quod a fanitate aberrat. Coctio est cruditatis ad fanitatem reductio. Optima est, quando crudus humor perfectissime naturalis humoris similis fit.

§. DCCCCXLVII.

Robur] In senibus exiguum est, in feminis etiam quam in viris minus.
Familia] In quibusdam familiis aliqui morbi lethales sunt, quos alii homines non difficulter superant.

§. DCCCCXLVIII.

Haec roboris vitalis cognitio suppeditat praecipuam prognosin, & desumitur ab iis, quae in aegro de fanitate supersunt. Si aequalia fuerint, quae amisit, & quae retinuit de fanitate, res in ambiguo est, si huc, vel illuc praeponderat numerus, spes, aut metus praevalebit. Hic cautissimum esse oportet, ne gravissimum morbum pro levi habendo famam decoquas, aut levem pro gravi venditando agyrtam imiteris, vel, uti olim CELSUS agebat, histrionem.

§. DCCCCXLIX.

§. DCCCCXLIX.

Malignis) Ita malum Medici iudicium de podagra est, aut lue venerea pessima.

Symptomatum) Quando morbus per duos dies velocissime auctus, & tertio die jam in *acmen* est, certum est morbum velocissime finem facturum, quicumque demum eventus fuerit.

Mutatione magna] Quando homo subito colorem, odorem, saporem, formam antiquam, amittit, pessimum signum est; demonstrat enim maximam vim naturae illatam esse.

Excretis) Nostis ex physiologicis, quale in homine sano, matutino tempore, oporteat sputum esse, nempe mucosum, album, pellucens, quod in aqua dilui possit, pulmonem liberet excretum. Sed in pneumonia sputum flavum esse oportet, cum striis sanguinis, & tale coctum dicitur, quando cum eo in dies symptomata minuuntur.

§. DCCCCCLII.

Tarditate] Morbi acuti vulgares terminantur intra diem decimum quartum. adscendunt iidem per dies septem, stant octavo in acme, ab eo die descendunt, & die decimo quinto sanati sunt. Quando nunc *acmen* tardius procedit, scias morbum semper in eadem mensura ab acme in sanitatem iturum, qua a sanitate ad *acmen* adscenderat. Has mutationes medicus clinicus accurate debet observare, & notare omni hora an morbus auctus fuerit, sive vita fuerit minuta. Quando nunc a primo die morbi, quavis hora symptomata graviora fieri videmus, altero vero die jam stat, certum est cito finitum iri. Si adscensus duorum dierum fuerit, status vero die tertio, morbus sexto die finietur. Haec HIPPOCRATIS doctrina est, qui dicit, „ Primus dies est index tertii, quartus septimi, quinti noni. Haec non fallunt, quandiu naturae morbum committis, neque te immisces curationi.

§. DCCCCCLIII.

Alius morbus) Futurus praevidetur, quando, in morbo cum materia, vis morbi, & symptomata remittunt, absque bona ratione, aut coctione sufficiente. Quae tunc post crisin imperfectam relinquuntur, semper recidivam prioris morbi, aut novum morbum pariunt.

§. DCCCCCLIV.

§. DCCCCLIV.

Pejor) Saepe optat aeger, ut a dolore aliquo liberetur, & eo pervenire omni modo laborat: si finem obtinuerit, saepe in pejus malum, ipsamque mortem incidit. Ita, si dolor in pleuritide subito remiserit, oritur pessimum, & plerumque funestum empyema; ulcus enim auferre non possum, cum possem inflammationem.

§. DCCCCLV.

Arte] Quando in morbo acuto, in quo materies vaga in sanguine haeret, curo, ut locus aliquis laxus, mollis, & minus resistens fiat, ut caleat, & doleat, certus spero, materiam morbi eo secessuram, & ibi facturam abscessum. Ita nemo medicorum variolas confluentes pessimas sanare potest, nisi fecerit, ut pedes pene gangraenosi fiant, per balnea, & epispastica, quibus eos maceravit. Ergo soleo pulvem ex lacte cum farina, vel pane albo, pedibus adplicare, eamque die, nocteque renovare, ita tument pedes, dolent, & miros morbos patiuntur; sed interim malum a pectore, & capite remotum est. Sed olim SYDENHAMUS observavit, in variolis confluentibus periculum ex numero exanthematum aestimari, quae in capite erumpunt. Contraria ratione, si in acuta febre fecerim, ut pedes frigeant, & caput calidis foverim, tunc phrenitis orietur, ex artis potius effectu, quam ex morbi ingenio.

DE PULSU ARTERIAE,

UT SIGNO.

958. **P**ulsus arteriarum (217. 218. 219.), quum nunciant conditionem definitam cordis nostri, ut motoris primi; tum indolem, copiam, motum, humoris nostri universalis, unde reliqui omnes; tum & statum varium arteriae, vasis fere primarii omnium partium corporis; patet in arte Signorum multum valere doctrinam de Pulsibus.

959. Pulsus igitur Fortis notat, i. vim validam cordis contracti muscularem; adeoque etiam valorem causae contrahentis,

vis, id est; 2. validum, satisque copiosum, influxum humoris nervosi, cerebellosi, in villos cordis; 3. copiam cruoris; 4. circuitum, & secretionem, humorum optime procedere. Est ergo talis pulsus boni praesagii, si toto corpore in omnibus ejus partibus, talis. Fallit saepe in morbis apoplecticiis, & aliis quibusdam, ubi libero itinere a corde in cerebellum, ab hoc in cor, reliqua valde obstructa, imprimis in visceribus.

960. Debilis notat omnia contraria prioribus [959], sed aliquando fallit in iis, qui valde obesi.

961. Pulsus Magnus notat, 1. copiam cruoris; 2. vim cordis; 3. arteriam liberam, & contractilem; 4. circulationem, & secretionem, bonam. Parvus designat contraria. Plenus inde, & vacuus, intelligi possunt, quatenus vere observantur.

962. Durus autem adeo famosus varia quidem significat, ut 1. membranam arteriae ficciorem naturali; adeoque 2. obstructiones in vasculis minimis membranas arteriarum contextentibus; 3. arterias plenas; sed 4. ad fines capillares inflammatoria tenacitate obstructas; 5. cruorem densum valde, & compactum; hinc 6. circulationes, secretiones, excretiones, laesas; 7. omnia, eaque sane numerosissima, quae ex omnibus his sequuntur. Mollis autem significat omnia contraria, sed tamen in Peripneumonia acuta fallit maxime.

963. Pulsus rarus intra datum tempus notat 1. tardiores contractiones cordis; adeoque 2. tardiores influxus humoris cerebellosi per nervos in villos cordis; 3. circulum sanguinis saepe expeditum, & aequabilem; 4. humorum per omnia vasa circuitum facilem. Si autem talis est ex debilitate, malus habetur & periculosus. Pulsus autem frequentior designat contraria; ut & acria irritantia; spiritus agitados; febres, phrenitidem.

964. Pulsus aequalis roboris, & frequentiae, vitae constantiam declarans, bonus est: inaequalis ideo malus.

965. Intermittens, vitae vim labilem designans, perniciosus.

966. Furtis, magnus, aequalis, tardusque simul, omnium optimus fortis, & magnus; fortis, & tardus; magnus, & tardus simul, boni sunt. Debilis, parvus, durus, inaequalis, intermittens, frequens simul, est pessimus omnium. Atque eo quidem peior, quo plures tales notae concurrunt simul, & contra.

967. Myuri, ferrati, caprizantes, dicroti, hinc etiam facile intelliguntur.

968. Ex doctrina Pulsuum itidem comprehendimus quid significet calor, quippe qui effectus pulsus: etenim notat vas arctatum, humorem densum, propulsionein humorum validam, resistentias magnas circa fines vasorum; unde & imminutus calor contraria significat; & aestus, & frigus, quoad diagnofin, & prognofin, fcuntur.

969. Tamen oportet meminiffe, quod natura arteriae singularis, aetas, fexus, animi affectus, fex res nonnaturales, habitus corporis, temperies propria, regio, tempeftas, mirifice haec omnia mutare queant. Et quod multum interfit, quo ordine pulsus diverfi fe invicem excipiant.

970. Sed & acuratiffime eft obfervandus Pulsus; quatenus eft index materiae morbofae movendae, motae, excretioni paratae, & jam incipientis fecerni: nam ibi demonftrat egregie tempus agendo aptum praeter caetera.

§. DCCCCLVIII.

Cordis) Absque ullo subtili ratiocinio intelligitur, pulfum in femeiotice multum valere, quia demonftrat naturam & fanguinis, quo nullo liquore reliqui in corpore humano continentur omnes, & cordis, & arteriarum, quae non funt, nifi iflum cor contractum, & proprie omnia in corpore humano faciunt.

§. DCCCCLIX.

Optime] Nunquam pulfus fortis erit, nifi cor fanguinem multum fortiter expulerit. Verum non alium habet fanguinem, nifi quem ex pulmonibus accepit: hi a venis habent, venae ab arteriis. Ergo demonftratur ex pulfu forti, cor bonum efle, pulmonem meabilem, venarum cum arteriis

teriis commercium liberum, & totam sanguinis circulationem rite peragi. In sola apoplexia hoc signum fallit, in qua pulsus ad mortem usque bonus est, & fortissimus, quia solum cerebrum adficitur, corde, & cerebello illaesis. Sed & aliter fallere potest. Qui aegrum pulsus tangentem decipere voluerit, constringat ejus manus, quam tangit, venas sua manu comprehensas, ita sanguis ante manum accumulatus majori vi arterias dilatat. Prudentiae ergo est, pulsus non in uno, sed pluribus locis explorare, in carpo, carotide &c.

§. DCCCCLX.

Obesi] Hi 1. habent infratam vasis pinguedinem, quae absorbeat ictus vehementiam: 2. quo plus pinguedinis, eo minus sanguinis habent; verum robur pulsuum a sanguinis copia pender, hinc in obeso pulsus debilis minus mali portendit.

§. DCCCCLXI.

Plenus] Non differt a magno, nisi forte, quod in diastole valde magnus, in systole valde parvus fit. Neque enim medici de eo pulsu dicunt, qui in morbis inflammatoriis nunquam definit plenus esse, ortus a sanguine denso, qui promoveri nequit: sed medici fere plenum, & magnum confundunt.

§. DCCCCLXII.

Durus] Quando medicus, qui arteriam tangit, quasi ligneum canalem, seu pennae calamus durum percipit, neque constringentem se, neque fere dilatantem, sed constanter aequaliter extensum.

Membranas] Tunc arteria non sui sanguinis, sed corporis vitio durum micat: cum repletae ultra modum, & inflammatae RUYSCHIANAE arteriae tumeant, distendantur, & digito resistent: uti vesica ab aqua impleta durefcit,

Plenas] Uti medicus ille Allobrox apud BONNETUM observat in febre acuta inflammatoria fieri, ut sanguis in arteriis plurimus, & crassus, in venis paucus, & solutus reperiatur.

Mala) Omne fluidius in vasa lateralia secessurum, sanguinem densatum iri &c.

Mollis] Is in omni morbo inflammatorio bonum signum est, excepta peripneumonia, in qua pulsus mollis malus, & durus bonus est. In eo enim morbo mollities pulsus oritur a sanguine, qui per arterias non transit, aut certe parcissime, ob pulmonum obstructionem.

§. DCCCCLXIII.

Expeditum) Homo perfecte sanus semper calet, & eo calidior est, quo perfectiori sanitate fruitur. Verum calor pendet a sanguinis per arterias transmissi quantitate, hinc sanissimus quisque maxime calet. Atqui sano homini pulsus etiam rarus est, quo demonstratur, cor in uno tempore perfecte repleti, in altero perfecte evacuari. Quando vero pulsus creber est, tunc post depletionem aliquid in corde manet, & cor irritatur, ut celerime quidem se moveat, neque tamen sanguinem promoveat. Hinc adparet, quare in pulsus crebro fere semper simul sit inaequalitas. Hac ratione se pulsus in moribundis habet, quibus semper creberrimus est. Quando vero cor se perfecte evacuat, & una pulsus creber redditur, tunc a nimio adritu mors ipsa brevi sequitur. [1732. Celeritas plerumque indicat obstructionem magnae partis arteriarum. Si vero pars tertia systematis obstructa fuerit, sanguinem una tertia parte celerius per liberam corporis partem circumire oportet.

§. DCCCCLXV.

Intermittens] Signum est vitam de morte participare, sive cor subinde quiescere; si vero tandiu cor non egerit, donec sanguis omnis ex arteriis in venas transferit, & arteriae inanes factae sint, tunc syncope & mors ipsa sequitur.

§. DCCCCLXVI.

Debilis, tardus &c.] Qui pulsus has malignitatis notas omnes conjunctas habet, certum lethi signum est, neque talem hominem evasisse exemplum exstat. Uti vicissim vix crediderim, cum magno, forti, tardo, constante pulsu ullum aegrum periisse.

§. DCCCCLXVII.

Myuri) Medici in distinguendis absque utilitate pulsibus nimis subtiles fuerunt. Harum variationum causae praecipuae sunt arteriae aneurysma, aut tumor, aut ex loco proprio discessio. Myurum vero vocamus, qui ex pleno paulatim in nullum abit, uti cauda muris sensim gracilescit eundo. Hic pulsus fit, quando cor arterias non replet ad fines extremos.

Servatus] Quando una pars pulsus bona, altera mala est. [1732. Quando pulsus in uno loco adest, in alio minime. Dubitari potest, an unquam vere detur: si adest, videtur in aneurysmate, aut ossibus fractis reperiri.

Capri.

Caprizans) Qui & in suprema, & in ima parte sensibilis est, in medio vix percipitur. Ab aneurysmate &c. [1732. Quasi subsilit, & hic fit, ibi nullus fit.

Dicrotos) Qui in systole repulsant; signum est maximae inflammationis, arteriae plenissimae, & cordis valide sanguinem implentis. Ex duri pulsus genere est. [1732. Quando medicus pulsum in utroque brachio tentat, & intra datum tempus hic unum, ibi duos reperit: hi duo pulsus possunt ab aneurysmate fieri, repercutiente sanguinem sui brachii.

§. DCCCCLXVIII.

Attritus] In loco inflammato calor percipitur, quia vasa obstructa sanguini resistunt, dum sanguis celerius movetur, & a corde validius urgetur. Calor non oritur a fermentatione. Nam si homo partem aliquam maxime inflammata habuerit, quamprimum animo linquitur, nihilo minus friget, quam alius quisunque: & si mortuus fuerit, locus ille, qui in inflammatione quasi candebat, frigidus redditur, quale reliquum totum corpus est. Ergo calor ab humorum per vasa motorum adritu ad vasa oritur, quem pulsus indicat, adeoque aucto pulsu calor augetur, & vicissim.

§. DCCCCLXIX.

Mutare] Quando pulsus numeramus ad horologium, quod minuta secunda horae indicat, in homine jejuno ante prandium inveniuntur una tertia parte debiliores, & rariores, quam in eodem homine una hora, postquam pastus est. Si deinde pulsus hominis quiescentis, cum pulsibus hominis iracundi, aut per ambulationem calefacti comparaveris, ingentem reperies diversitatem. Itaque neque duorum hominum sanissimorum pulsus eundem numerum observant. Ergo oportet, ut medicus hic famae suae caveat.

Ordine] Pulsus fortis post debilem semper bonus est, & debilis post fortem semper malus.

§. DCCCCLXX.

Motae] Saepe morbi acuti ab optimis medicis pro desperatis habentur eo tempore, quo in via ad salutem versantur: quando nempe subacta a vitae viribus materies critica fluere incipit, tunc pulsus turbatur, & in tremulum, aut intermittentem, omnique modo malum degenerat; & facit, ut hominem credas perituum esse, qui intra breve tempus perfecte convalescet. [Haec explicat 1732. de atra bile ab usu fructuum horaeorum aestivo tempore soluta, sanguini reddita, & in pulmones infecta.]

In

In muliere pariente, & nutriente pulsum mirabiles varietates fiunt, medicum in capitales errores seducturæ, si ab istis pulsibus solis prognosin desumerit. Neque horror semper mali ominis est: potest enim indicio esse, peregrinum, ingratum, horridum a natura oppugnari, vinci.

DE RESPIRATIONE

UT SIGNO.

971. **R**espiratio facilis, non dolens, constans, in morbis designat organa omnia respirationi servientia rite valere; pulmones facile explicari, sanguinem commode transmitti; adeoque eum aptum esse fluere per vasa omnia corporis; hinc optimi est semper praesagii. Difficilis omnia contraria designat; adeoque praesagii semper est pessimi.

972. Quae autem Respiratio simul valde dolet, haec ut plurimum notat aliquid inflammationis internae; hinc pessimi semper auspicii.

973. Respiratio magna semper notat pectus per se bene dilatabile, diaphragma mobile, explicabile abdomen, pulmonem, cruorem facile meabilem, & vires bonas; adeoque bona quaeque in morbis portendit.

974. Respiratio parva significat contraria quaeque priorum (973); maxime autem designat pulmonem vel cruorem, vel alia materie, non meabili, rigidum; fistulamve pulmonalem tumose quodam, aut aliqua materie sic obsessam, ut aer vix queat immitti: hinc est pessimi ominis.

975. Respiratio lenta demonstrat pulmonem esse aequabiliter liberum, explicabilem; sanguinem penetrabilem, & aequabiliter pulsam; hinc optimi vaticinii, si molestia abest, & desipientia.

976. Respiratio celeris declarat organa respirationis laesa, pulmones obstructos, rigidos ficos; cruorem ineptum transfluere, ideoque semper apportat aliquid metuendi.

977. Respiratio aequalis praedicit bonum pulmonem ; bona organa ; bene coctum cruorem ; hinc bona vaticinatur ; inaequalis vero declarat causas vitae proximas periclitari ; adeoque semper mala est.

978. Respiratio suffocativa , quae creat aegro sensum suffocationis , eloquitur pulmonem inflammatum , obstructum , plenum , rigidum , ficcum ; cruorem autem immeabilem ; hinc brevi lethalis est , nisi talis fuerit ex causa spasmodica levior in hysteriis , hypocondriacis , aut consueta plane , ut in asthmaticis .

979. Respiratio in suprema parte thoracis exercitata designans conditionem pessimam pulmonis impleti , adeoque & periculum vitae , fere est lethalis .

980. Sublimis , quae fit cum claviculis elevatis , sterni agitato , motis scapulis ; narium pinnis anhelosis , costis inferioribus , & abdomine , simul valide agitatis , mortifera est ; nam significat difficillimum motum cruoris per pulmones , atque simul deficientes vires .

981. Facilis , magna , lenta , aequalis reficiens , peracta solo , leni , motu muscutorum intercostalium , diaphragmatis , & muscutorum abdominalium , est quam maxime salutaris . Illa autem , quae plurimas harum conditionum implet , bonitate optimam sequitur .

982. Difficilis , dolens , parva , celeris anhelosa , inaequalis , suffocativa , sublimis , exercita omni molimine muscutorum costis adnatorum , indubitato lethalis . Sed ea , quae habet plurima horum vitiorum , eo est peior , quo plura eorum secum gerit .

983. Frigida lethalis ; utpote fere semper nuncia gangraenae viscerum , & vasorum interiorum .

984. Parva cum sibilo stertoroso , atque fervente quasi pulmone , & gutture , cito lethalis , si reliqua signa mala adsunt : significat enim fere semper humorem vitalem immeabilem in pulmones congeri .

985. Magna , & celeris , saepe salutaris ; signum , & causa , bonae coctionis , & crisis .

986. Magna, & rara, denunciat cerebrum, obstructum, atque morbos inde factos, futurosve; ut sunt coma, lethargus, deliria, &c.

987. Interim bene considerandum est, respirationem mire turbari, & variari, in diversis hominibus, pro nativa constitutione; formatione varia thoracis, pulmonum, diaphragmatis, abdominis; diversitate aetatis; sexus; graviditatis; affectus animi; habitus corporis; regionis; tempestatis anni, & coeli; atque similia.

988. Varius quidem ordo, quo variant se mutuo excipientes mutationes respirationis, multum affundit lucis diagnosi, & prognosi: nam ex mala in bonam optima, & ex bona in malam pessima, permutatio est.

989. Quae autem tempore crisis insurgit, optima.

990. Quia ergo una respiratio nobis designat conditionem praesentem cordis, pulmonum, cruoris; liquidi cerebelli, pleurae, thoracis, diaphragmatis, abdominis, patet observationem accuratam esse ejus summi momenti in omni, maxime in acuto, morbo ad fidam prognosin, atque diagnosin, firmandam.

§. DCCCCLXXI.

Hoc signum in primis consideravit HIPPOCRATES, & de respiratione plurima, de pulsu paucissima scripta reliquit.

Omnia fluere) Pulmo totum corpus humanum quasi exemplar exponit, & tot habet vasorum series, quod totum corpus. Ergo sanguis, qui per pulmonis vasa fluere potest, liberum itidem iter per totum corpus inveniet. Vicissim, quando respiratio difficilis est, humor omnis, qui per arterias expellitur, & antequam cor sinistrum attingere possit, per pulmones transire cogitur, moram ibi patitur, ut totum corpus inde turbari necesse sit.

§. DCCCCLXXII.

Dolet] Semper est signum inflammationis in organo aliquo respirationis, neque unquam negligi debet; nam inflammatio in his partibus maximum malum est, & subito ex parvo in maximum increfcit. Uno verbo, parvus suspectus est, magnus fere lethalis.

§. DCCCCLXXIV.

§. DCCCCLXXIV.

Magna] Quae in una inspiratione plurimum aerem admittit. Parva aliquando oritur a robore musculorum mesochondriacorum nimio, & aeri praevalente.

§. DCCCCLXXV.

Molestia] Ita nempe, ut aegri lente respirent prae dolorum vehementia, & suffocari malint, quam celerius respirare. Praeter hos casus respiratio lenta semper bonum signum est, & inter bona optimum.

Desipientia] Quando mens non attendit ad molestiam, neque pro nata necessitate celerius respirat: tunc saepe fallitur medicus, & pro bono signo habet, quod mortem proximam praecedat. Ergo in febribus ardentibus respiratio lenta & magnum inter expirationem, & inspirationem intervallum absque crisi, aut bonis signis orta, suspecta est: solent enim postera die aut convelli, aut desipere, & cito mori.

§. DCCCCLXXVI.

Celeris) Pulmo majorem sanguinis quantitatem respirationis ope transmittit, quam si quiesceret. Quando nunc intra idem tempus plus sanguinis per pulmonem movetur, necesse est respirationem citatiorem fieri, ut haec major copia transire possit: & vicissim, si, manente eodem sanguinis impetu, respiratio duplo minor fit, tunc oportet duplo celerior esse; nisi id fiat, sanguinis pars dimidia in pulmone stagnabit, quae denovo aerea vasa magis comprimet, & integre opprimet, mortemque faciet, nisi cito tollatur.

§. DCCCCLXXVIII.

Plenum) Haec mors plerunque morbos acutos terminat: nempe pulmo in parte sua sanguinea ita infarcitur arterioso sanguine, ut nihil ad venas, & cor sinistrum venire possit, hinc pulsus deficit, sudores erumpunt algidi, & a morte pulmo reperitur ponderosus, niger, sanguine plenissimus in arterioso systemate, dum venosum vacuum est, cum sani hominis pulmo levissimus sit.

Hysterica] Hae feminae, & hypocondriaci viri, & asthmatici maxime, respirationem habent perfecte lethalem: sed quando nunc mori videntur, subito solent liberari; debilitate enim summa nata solvitur spasmus, qui respirationem suppresserat. Talis etiam strangulatio oritur a sulfuris vapore, quo inspiratio supprimitur, excitata convulsione musculorum mesochondriacorum.

§. DCCCCLXXIX.

Pulmonem) Tunc stagnat in pulmone materies, ad cuius per pulmones transitum promovendum vulgaris respiratio non sufficit: hinc natura varia tentat, & corpus miris modis agitat, ut sanguinis paullo plus per obstructa vasa transpellat. [1727. Incipimus mori ab inferioribus sursum, superiora diutius vivunt. Hoc ergo signum demonstrat, partes inferiores sanguinem non transmittere, & pene mortuas esse, hinc sanguinem ad superiora vergere omnem, atque summo conatu NATURAM uti, ut vitam paullisper conservet, elevato pectore toto, uti in feminis elevari videmus. A cursu etiam valido oritur, sed cum quiete evanescit. Haec est respiratio *μετεωρος*, quam adeo frequenter damnat HIPPOCRATES.

§. DCCCCLXXX.

Sublimis] Haec semper ante mortem adest, nisi homo perfecta *ἀσθενεία* extingatur.

§. DCCCCLXXXI.

Facilis, &c. Magna] Cum his signis neminem unquam credo non evasisse morbum. Ita dudum edixit GALENUS.

§. DCCCCLXXXIII.

Frigida] Quando aer exhalatus dorso manus acceptus, aequè frigidus est, ac ille, qui inspiratur: signum est, pulmonem, ipsumque sanguinem ad temperiem atmosphaerae reductum esse, adeoque hominem jam pene mortuum esse, [alioquin caleceret ob copiosi sanguinis trajectum] & absque ulla exceptione mortem praefagit.

§. DCCCCLXXXIV.

Fervente) Hac voce Europaei fere per omnia idiomata utuntur: est strepitus, quasi bullientis in lebeae aquae, & fit, quando vasa sanguinea pulmonum ita infarta sunt, ut vasa aerea a sanguineis pressa elidantur: tunc enim aer admissus cum renixu irruens ad vasa compressa, & resistentia adteritur. Solent tunc amici aegros admonere, ut molestum phlegma ejiciant. Verum malum in sanguineo pulmone est, non in bronchiis, solet autem mortem fere semper praecedere, & aliquando biduo, aut triduo mortem praegredi, semper autem lethalis est.

§. DCCCCLXXXVII.

§. DCCCCLXXXVII.

Diversis] Vix decem mortales sunt inter centum, quibus numerus respirationum intra datum tempus, v. g. horam, perfecte aequalis sit.

Sexu) Femina etiam sanissima multo citius respirat, quam vir integrae valetudinis: & scapulas adtollit: quae respiratio in viro mortem indicaret; maxime vero gravidae, quibus intumescens uterus pectus arctat.

Coeli] Non datur thermometrum canis sentientius. Nam hoc animal sudorem suum omnem per rictum aperti oris exhalat. KEILIIUS comparavit aream pulmonis cum area totius corporis. Deinde consideravit pulmonis laxitatem, calorem vim proximi cordis, & inde conclusit, incredibilem copiam esse, quam pulmo exhalet. Vides nunc, quare canis a calore aucto statim anhelet.

§. DCCCCLXXXVIII.

Mutationes) Quando aeger in morbo acuto cum morte haecenus luctatus subito nunc fortiter anhelat, & valide crebroque respirat, bonum signum est; nam id, quod in arteriis obstructis stagnavit, nunc in venas ruit, & auxit copiam liquidorum, quae pulmones transmittere debent. Respiratio fortis tempore criseos bonum signum est. HIPPOCRATES.

§. DCCCCLXXXIX.

Fac experimentum, pulmonem sume, infla per asperam arteriam, reple totum aere, videbis amplitudinem aerae areae, quae in pulmone est. Verum pulmo in thorace calido suspensus plus aeris admittit, quam frigidus, & exemptus ex pectore. Ergo pone duplo plus in vivo continere. Nunc pone augeri vasa sanguinea arteriosa, & venosa, neque augeri aerae pulmonis partem: necesse est hanc diminui, ut cedat dilatatis vasis rubris. Si vicissim aerea pars pulmonis increverit, neque arteriae, & venae simul increverint, sanguineam oportebit minui. Quo major autem pars aerea est: eo melius homo valet: eo plus enim aeris intra unicum inspirationem adsumitur, eo plus adeo sanguinis in una respiratione per pulmones transmittitur. Ergo respiratio libera simul lenta est. E contrario, quo aera sanguinea major est, eo minus aeris potest intra unicum inspirationem pulmone recipi, per priora: sed massa sanguinis promovendi interim etiam major est. Ex duplicata adeo ratione oportet celerius respirari. Ex his experimentis apparet, quomodo medicus ex respiratione praefagia sumere possit.

DE URINA, UT SIGNO.

991. **E**X conspectu urinae, judicaturus de statu corporis sciat 1. Lotium sani hominis in eo ipso, & in aliis illi comparatis, varium esse pro varietate aetatis, sexus, temperiei; tempestatis anni, sex rerum nonnaturalium, medicamentorum; 2. hinc ergo in ferendo judicio de urina simul accuratissime attendendum ad reliqua signa in morbis apparentia: aut aliter artem hanc ubique fallaciae esse plenissimam.

992. In urina examinanda ad usum medicum pro diagnosi, vel prognosi, consideratur copia, color, odor, sapor, fluiditas, & contenta illi inhaerentia.

993. Copia urinae aucta ultra solitum designat aliquid horum sequentium, vel quaedam, aut omnia simul; 1. abundantiam potus aquosi; 2. laxitatem singularem fistularum renalium; 3. perspirationem, sudorem, salivam, imminui; 4. diuretica assumpta; 5. cruoris miscelam imperfectam, qua aquosa facile secedant a reliquis; 6. affectus nervosos, temperiem hysterica, vel morbum hypocondriacum.

994. Praefagit talis urina (993.) 1. crassitiem remanentis; 2. acrimoniam ejus; 3. sitim; 4. anxietates; 5. obstructions, harumque effectus; 6. tabem ex diabete, quae siticulosa, sicca, aestuans.

995. Urina parciore longe solito procedens significat; 1. potus penuriam, vel nimiam in eo abundantiam spirituum fermentatione productorum; 2. vasa obstructa, vel spasmo contracta; 3. augmentum aliarum quarumcunque excretionum. Si autem integre intercipitur, denotat ischuriam, ejusque causas varias (821.).

996. Praefagit talis secretio urinae (995.) futuras repletiones, gravitatem, torporem, soporem, tremorem convulsivum, mortem apoplecticam imprimis, si oritur ex causa secunda (995.).

997. Urina tenuis, quasi aqua, limpida, excolor, insipida, ino-

inodora, copiosa exeuns, denunciat; 1. copiam aquae, vel potus aquosi ingestam; 2. vasa renalia admodum constricta, dum interim humores valide agitantur; 3. arctam cohaesionem olei, salis, & terrae, in ipsa urina, horum tenacitatem, simulque difficilem aquosi cum his permixtionem; 4. affectus animi enormes, insultus hypochondriacos, aut hystericos, pallorem virginum, partum modo antegressum; 5. viscera coctioni imparia, cruditates, pituitam, frigus; 6. obstructions vasorum, & viscerum; 7. in acutis vero morbis impedimenta notat coctionis, & crises, atque hinc materiae morbosae depulsum in partes interiores corporis.

998. Urina talis (997.) portendit eadem fere ac (994.); in morbis autem acutis, & inflammatoriis, praedicit pessimam conditionem viscerum, deliria, phrenitides, convulsiones, mortem, nata ex acri retentos gangraena.

999. Urina rubra, absque sedimento, in morbis acutis, docet 1. motum validum attritus inter partes humorem constituentes, inter vasa, & humores; 2. intimam, & tenacem, permixtionem, olei, salis, terrae, aquae in humoribus; 3. hinc ergo cruditatem magnam morbi; 4. longam futuram durationem ejus; 5. & magnum in eo periculum.

1000. Urina autem haec (999.) praesagit 1. destructiones gangraenosas vasculorum minimorum, maxime in cerebro, & cerebello; atque inde mortem; 2. coctionem difficilem; 3. crisin tardam, eamque valde ambiguum. Patet autem omnia haec (999. 1000.) eo pejora, quo magis rubra, simulque sine sedimento, urina.

1001. Hinc urina flammea, tenuis, sine ullo sedimento, notat quidem eadem, sed violentiora, unde & praesagium idem, sed longe adhuc periculosius.

1002. Rubra una cum sedimento copioso, gravi, lateri rubro contrito, aut bolo rubrae, simili designat 1. antegressum esse motum attritus vehementem; 2. vasa laxa; 3. cruorem acrem, salinum, solutum, nutritioni ineptum; 4. febres intermittentes valido paroxysmo defunctas; 5. in oris septentrionalibus his scorbutum.

1003. Praefagit 1. longitudinem morbi ; 2. vasculorum attritionem , debilitationem , destructionem ; 3. sudores , urinas , salivam , diarrhoeas , colliquativas ; 4. ἀτροφίαν ; 5. hydropes quoscunque .

1004. Si in tali Urina (1002.) sedimentum est furfuraceum , squammosumve , designat eadem quidem , sed pejora .

1005. Si autem urina est colore croceo , immissa tingente , aut vitrum sic colorante , simulque habet sedimenta , ut in priori (1002. 1004.) , designat icterum , atque certa ejus symptomata in cute , alvo , hypochondriis , toto corpore ; unde & praesagia clara ex historia ejus morbi petenda .

1006. Viridis colore urina una cum sedimento crasso significat ; 1. temperiem atrabiliarium ; 2. ejusque materiem jam solutam excerni , adeoque anxietates ad praecordia , perturbationes alvi , dolores iliacos & colicos .

1007. Praesagit talis urina materiem atrabiliarium solutam , motamque , raptum iri in cruorem , & viscera ; unde infinita , & acuta , saepe mala , quae ex historia atre bilis sic dispositae peti debent . Quin etiam ex his noscitur , quid sentiendum sit de urina nigra , utpote ejusdem , at peioris naturae (788. 789.) .

1008. Sanguis , pus , carunculae , filamenta , pili , anguillulae , grumi , arenulae , partes calculi , mucus in fundo , designant vitia renum , ureterum , vesicae , testium vesicularum feminalium , prostaticarum , Glandularum *Covvperi* , urethrae .

1009. Quenam vero sit natura mali designati per dicta symptomata , ut & qui locus sit affectus , docere debent signa simul concurrentia , & observata , in eo morbo , ubi dicta prodeunt .

1010. Pinguis apparens urina plerumque gerit arenulas minimas viscido quodam nexas , & sic affingentes speciem membranulae oleosae ; tum notat abundantiam terrae , & salis hebetioris , in sanguine ; praesagit hinc scorbutum , calculos , & similia .

1011. Urina autem vere pinguis , & oleosa , rarior certe , si observaretur unquam , notaret ; 1. vasa arteria per majorem
rem

tem motum , hinc soluta , cruori mista , & cum urina excreta pinguis ; 2. humores acres . Et ideo minabitur phthisin , & atrophiam .

1012. Urina , quae conquassata spumam diu retinet , notat olea , & sales in lixivium saponaceum mista , atque soluta , adeoque 1. tenacitatem miscelae arctae ; 2. coctionem difficilem , & crisin , 3. morbos fere pulmonicos , aut catarrhos in capite .

1013. Urina foetida sponte , notat sales , & olea attenuata , soluta fere putrefacta ; hinc discrimen summum ; tam in chronicis , quam in acutis , nec facilem sanationem .

1014. Urina in morbis colorata apparens , sed plane insulsa , clamat effoetas naturae vires , mortemque propinquam .

1015. Pallida , tenuis , cum sedimento mucoso , tenaci , falsamenta putrida spirans , fere semper notat calculum vesicae .

1016. In febribus autem acutis imprimis consulitur Urina , utpote satis certa praenuncia : nam 1. Urina , quae habet sedimentum album , leve , laeve , aequale , cito subsidens , turbatum , vix odorum , toto morbi tempore usque ad crisin , est optimi indicii , & praesagii . 2. Urina multa , alba , stranguiosa , cum sedimento copioso , alboque , critico tempore emissa , sanat , & abscessus tollit . 3. Urina die indice critici copiosior , cum sedimento albo , vel rubello , copioso , levante , notat , die critico sanationem fore integra crisi . 4. Urina tenuis , & rufa , non subsidens ; alba , tenuis , aquosa ; aurea tenuis , constans , non turbata ; turbida perpetuo , nec subsidens ; notat in morbis valde acutis coctionem impeditam , cruditatem magnam , crisin difficilem , morbi longitudinem , summum vitae periculum : sed in acutissimis inflammatoriis fere certam portendit mortem ; denique in acutis moderatis designat longum , molestumque morbum ; deinde abscessum , fore varium ; aut *μετάστασις* mali variam .

1017. Urina igitur declarat nobis vere , 1. sanguinis indolem , impetum , symptomata ; 2. morbi statum , & coctionis ; 3. statum secretionis , & crisis . 4. morbos renum , ureterum , vesicae , testium quodammodo , vasorum deferentium ,

tium, vesicularum seminalium, prostaticarum, glandularum, *Covoperi*, urethrae; 5. aliquas aegritudines in bile natas, Caetera si sola ex sola Urina conjiciuntur, admodum incerta, & ridicula fere sunt.

§. DCCCCLXXXI.

Haec praesagia apud prudentem medicum certissima sunt, infana vero & ridicula apud illos, qui istis nimium tribuunt.

Aetatis] Infantum urina semper feri lactis similis est, dulcis, & inodora: cum aetate eadem sensim acrior editur, acerrima in senibus, & foetidissima; tunc enim vesica rugosa vix unquam penitus evacuatur, hinc urina retinetur, & per moram acris fit.

Sexus) Urina, quae in homine sano, agricultura corpus exercente, sanitatem denotat, eadem a puella delicata, sedentaria, reddita, morbum pessimum, & lethalem indicaret. Huic enim etiam sanissimae minus rubra, minus foetida, minus spumosa est, quam mari.

Anni) Aestivo tempore ab omnibus hominibus urinae coloratiores redduntur.

Non naturalium) Etiam peritissimo medico imponi potest, ut ex urina male praesagiat, si aeger asparagos coenaverit, deinde noctu cassiae unciam cum rheo sumserit; ita enim lotium reddet nigrum, & foetidissimum, & medicus peritus, sed ignarus hujus diaetae, edicet urinam hominis esse brevi ex gangraena partium internarum morituri, qui altera die sanissimus medicum deridebit. Imo, si flavam, viridem, rubram urinam volueris reddere, talem solis innoxii simplicibus medicamentis efficere poteris. Curcuma adsumta lotium ictericum dabit, crocus urinam febris ardentis urinae similem &c. His artibus explosos vidi duos Professores hujus academiae, qui urina probe considerata, ex artis regulis pronunciaverant, nihil contra artem peccantes, sed ignari, eorum, quae aeger adsumerat.

Fallaciae] Mirum est, homines ignarissimos quosque ex urina praesagia audere edere. Hujus farinae tres prophetae in hac ipsa urbe (Leida) vivunt. Eorum unus ne proprium quidem nomen scit, adeo mente stupet, & tres, quatuorve formulas praesagiendi didicit, quae symptomata continent omnibus fere morbis communia. Haec dicitur in omni morbo; neque enim literas pingere didicit. Alter paullo plus sapientiae possidet, ad novem enim usque formulas habet, quae semper aliquid veri continent.

Urina hominis ex ardente febre morituri, ad tres libras reddita, decolor, vix spumosa, refert, perfecte lotium hystericum, sed enormis error esset, hystericam pronunciare, quae nunc in primis cum morte luctatur.

§. DCCCCLXXXIII.

§. DCCCCLXXXIII.

Salivam] Hypochondriaci perpetui sputatores sunt, si sputum forte substiterit, mingunt aquosa, & pessime habent. Quando sputum redit, minuuntur urinae.

Minui) HIPPOCRATES dicit medicum fuisse, qui in Graecia tantam sibi famam pepererit, ut fere pro deo habitus sit: illum aliquando juxta domum aegri transeuntem, servum offendisse, urinam domini ferentem: continuo medicum in domum introiisse, & edixisse aegro, non potasti, non dormivisti, & tenesimum passus es, ut me jeres.

Imperfectam] Aqua efficit fere novem decimas partes massae sanguineae: & tamen in sano homine cum reliquo sanguine mista manet, ut neque sudet, neque mingat multum: quando vero per morbum a sanguinis reliqua massa secedit, urinae egeruntur copiosissimae, seri lactis similes, quod a caseo secessit. Tales sunt urinae feminarum hysteriarum: effectus vero harum urinarum pessimi sunt, major melancholia, aut ipsa tabes, siccitas, sitis perpetua, & defectus nutritionis.

§. DCCCCLXXXIV.

Crassitiam] Dissipato enim liquidiori sanguis, & crassior fit, & diluente amisso salior.

§. DCCCCLXXXV.

Fermentatorum] Omnia vina eo minus diuretica sunt, quo plus alcoholis continent; haec enim caput potius, quam renes petunt. Acida vero, & oligophora, ad matulam ducunt. Qui strenue potarunt, ea nocte nihil mingunt, sed luctantur cum interno aestu, quia spiritus vini in vasis manserunt.

Augmentum] Qui sudat, aut diarrhoea laborat, continuo videbit diarrhoeam minui, quamprimum stanguria adparet.

Excretionem] Omnis homo sanus parum mingit, parum sudat, parum faecum egerit, sed perspiat plurimum. In morbo vero acuto, si post squallidam cutem urina suppressa fuerit, lethale est.

§. DCCCCLXXXVI.

Apoplecticam) Quos perfecta ischuria occidit, ii non prius pereunt, quam morbus caput infestaverit.

§. DCCCCLXXXVII.

Constricta] In spasmodicis adfectibus semper talis urina adparet; vasa enim renalia simul a spasmo constricta arctiora sunt, & tamen urget vis liquores agitans, multa adeo, sed ob angusta vasa tenui excernitur. His causis concurrentibus talis urinae excretio oritur.

Inodora] In morbis acutis sanguis crassus repellit aquam, & si posses sanguinem diluere, sanasses totum morbum. Id saepe testatus sum in consiliis medicis, nullum morbum acutum lethalem futurum, si remedium haberemus, quo posses aquam cum sanguine miscere. Verum, quantumcunque aquae adfuderis, perinde repellitur omnis, ac si in chartam oleo madentem aut in picem infunderes: sanguis enim adeo tenax est, ut aqua epota praeterlabatur, & ad vesicam properet. In variolis pessimis inundavi aegros potu tenui, bibebant avidi, sed exhibit aqua per urinas insipida, inodora, insulsa, pellucida, neque potui obtinere, ut cum tali potu urina flammea, acris, & odorata prodiret.

Partum] Quando lochia supprimuntur, aquae per lotium pluvia non minus clarae redduntur. Hic spasmus subesse necesse est.

Cruditates) Sanguis constat ex elementis diversae naturae, ita inter se mistis, ut certo gradu cohaereant. Quando non accurate miscentur, secedit aliqua pars fluidior, relinquit terram immobilem, & continuo perit sanitas.

Acutis) HIPPOCRATES dicit, lethale esse, quando post urinas stranguriosas, flammeas inodora, succedit & limpida: his aegris cerebrum laborat, cito mortem illaturum. Id enim, quod urinam tingit, & acrem facit esse, id sal est, semivolatilis redditus, & oleum rancidum. Haec agitata, & destituta vehiculo aqueo, petunt cerebrum ex natura volatili, & corrumpunt, dum sola innocua aqua inmatulam exit.

§. DCCCCLXXXIX.

Absque) Quamprimum sedimentum ponit, signum coctionis est.

Vasa, & Adtritum) Quanto urina coloratior quam sana est, tanto auctus est adtritum in massa humorum, super gradum sanitati idoneum. Nam oleum solum colorem, & saporem, & odorem, urinae praestat, uti in Chemicis demonstravi: terra enim oleo orbata albissima est, sal albus, aqua depurata limpida. Verum oleum illud in urina copiosius esse non potest, nisi adritum aucto solutum fuerit, & per calorem ex albo, & dulci, flavum, nigrum, amarum factum esset. Ita lac candidissimum combustum primo flavum, deinde nigrum fit.

Vasa

Vasa, & humores) Quando urina a causa interna coloratior fit, semper febricula aliqua, & inflammabilitas adest: neque unquam febre etiam levicula quisquam tentatur, quin signum in urina adpareat.

§. M.

Minimorum) Quando liquoris blandi impetus moderatus adest, eum vasa facile ferunt. Quando idem liquor, & acrior factus est, & movetur vehementius, non manet in vasis majoribus, sed transit in minora, ibi auget plenitudinem, aucta humoris eo pulsi & copia, & velocitate. Verum minima in corpore vasa in cerebro sunt, adeoque hoc ipsam ex hoc liquore acri laborabit [1732 addit pulmones.

Sine sedimento) Urina flammea, quae reposita nullum sedimentum ponit, neque pinguem nebulam, indicat aegrum difficillime evasurum.

§. M I.

Flammea) Omnia eadem, sed violentiora praesagit ita lac, cremor butirum, oleum, coctum, flavescit, rubescit, nigrum fit, amarum, & acre. Similia sunt, quae oleo nostro a febrili calore contingunt.

§. M I I.

Antegressum] Talis urina, dum mingitur, opaca est; quando vero stetit, superne ruberrima fit, inferne crassum sedimentum ponit.

Intermittentes] Ante paroxysmum nulla unquam hujusmodi urina reperitur. Quando urina superius pellucet, inferius rubra est, & ad latera pelliculam pinguem habet, in fundo vero massa furfuracea est, tunc audacter praesagiri potest, scorbutum subesse, aut intermittentem febrem. Sed scorbutus vera febris continua est, etsi debilior, & scorbuticis pulsus semper febrilis est.

§. M I I I.

Atrophiam) Sanguis nutrire nequit, ex quo hujusmodi lotium provenit. Hoc praesagium certum est; nam neque hi morbi absque tali urina, neque talis urina absque hujusmodi morbis est.

§. M I V.

Furfuraceum] Quasi ex parvis squamulis factum. Demonstrat violentiorem adtritum.

§. M V.

Croceo) Haec urina facile distinguitur; nam oleum ex flavo viride refert, & semper denotat icterum, eaque visa edici potest, hominem anxietates, & tormina ad praecordia passum esse, postea per totum corpus flavum colorem se diffudisse.

§. M V I I.

Solutam] Ad hujus bilis atrae determinationem animum tunc advertere oportet, raro tamen determinatur. Si tamen determinata fuerit ad ventriculum, nauseas faciet, & vomitum; si ad intestina, tormina, & diarrhoea exspectanda. Alias gangraenam renum denotat. Ab utraque causa fere lethalis est.

Nigram] Talis reddi solet in quarto gradu atrae bilis. Aliquando in corpore melancholico post magnos animi adfectus observata est. Ex castae etiam usu hujusmodi urina editur.

§. M V I I I.

Sanguis) Haec multum aucta sunt, post tempora HIPPOCRATIS, qui dixerat, talia non venire, nisi a rene, aut fellea vesicula. Sed novus morbus luis Venereae omnia mutavit.

Testium) Quando corruptam materiem continent, propellitur ea vi muscoli cremasteris haecenus integri, ad epididymidem, & vas deferens, feminales vesiculas, & urethram. Si enim semen eo pervenire potest, cur non morbosus tenuis corrupti testis ichor? Hic morbus hodie observatur, post diros, quos prius excitavit, dolores, dum corruptum semen per excoriatas partes urethrae transit. Sed rarus est.

Vesicularum) Haec ultima, & pessima species Gonorrhoeae est, quae per ipsum anum cuniculos agit, & in erosam urethram liquorem suum destillat: sed morbus rarus est. Haec vero omnia, quando in morbi praesentis causam inquiritur, sub oculis habenda sunt.

Prostatarum) Frequens morbus, non ignotus GALENO.

COVPERI, & MORGAGNI) Haec prima, & frequentissima Gonorrhoeae sedes est. Quando v. g. post diuturnos obtusos ad lumborum alterum dolores, & aliquando post equitationem sanguis cum urina redditus est, deinde purulenta materia, & mali in vesica haerentis nullum signum adest, certum est, malum in rene esse. Quando vero cum recente effluvio materiae feminalis simul pus de urethra fluit, tunc fere Gonorrhoea virulenta est.

§. M X.

§. M X.

Scorbutum) Quando urina, post quietem in matula, innatantem quafi talem pinguedinosam habet, aranearum telis similem, quae vitro inclinato ad latera vitri adhaeret, adsunt fere arenulae cum oleo tenaci inviscaetae, quas ipso microscopio saepe vidi, non aliter ac sales, in calida aqua soluti, ea inspissata, aut addito frigore, superiora petunt, & pelliculam primo faciunt, deinde crystallos. Quando tali materiae urina adfunditur, calculus intra breve tempus circum eam adcrefcit.

§. M X I.

Pinguis] Experimentum RUYSEHIUS solus habet, & ante eum veterinarii, qui dicere solent, quoties equum obesum a subito, & validiori motu exstinctum vident, *de reusel is gesmolten in 't ligham*, verissima phrasi usi. Nam RUYSEHIUS vidit omnino effusam ad aliquot libras in cavitatem abdominis, solutamque pinguedinem. Simile quid vidi post oleosum clyisma diutius retentum. Talis pinguedo omnino resorberi potest in venas, & per arterias cum urina expelli. IPSE ego urinam vidi, quae strigmenta oleosa in urinali traxit, qualia in aqua nascuntur, priusquam adfusum alcohol probe cum ea mistum fuerit.

Si observaretur] Nam fabula est. Dedi bibendum hominibus oleum, non ideo per renes cum urina quidquam transivit: si transfret, etiam chylum cum urina effluere necesse esset, qui oleo meabilior est.

§. M X I I.

Retinet] Nunquam vidi me fefellisse praesagium. Quando prius urina spumam retinet, uti aqua, in qua sapo dissolutus est, tunc tenaciter adhuc olea, & salia sibi adhaerent. Quando vero die septimo, urina concussa bulla inde orta mox sponte diffilit, certum est aegrum in vado esse.

§. M X I V.

Insulsa] Amstelodami vixit ex urina propheta, qui nihil praedicebat, nisi, eventum ad salutem, aut ad mortem. Sedulo rogabat, num urina diu retenta fuisset, & jejuno stomacho tempore matutino reddita. Deinde quando adfirmatum erat, in angulo gustabat lotium. Quando sapor inerat, respondebat, nondum mortis horam adesse: quamprimum vero inspidam invenerat, praesagiebat instantem mortem: hac sola arte divitias sibi paravit. Prudenter utique: nam vitae vires ex omni adsumto cibo, vel potu, & ex ipso lactis sero parant falsam urinam, quod in ME IPSE exper-

expertus sum. Quando nunc nullus sal in urina superest, & aqua haud immutata per urinas tranſit, ſignum eſt, nullas vires vitae ſuperſeſſe.

§. M X V I.

Turbinatum] Quod conum facit in urinam adſurgentem. Signum eſt, ſedimentum leve eſſe, & in aqua ſuſtineri, adeoque coctum eſſe: optimum, & raro fallax ſignum in morbis acutis. Quando vero ſedimentum planum eſt, demonstratur nimis ponderoſum, eſſe & coctionem difficilem futuram.

Siranguioſa] Quando materiae crassa, & obſtruens iter per laxa renalialia vafa nunc liberum, invenit, nullam amplius viam quaeret, quae magis reſiſteret, neque adeo apoſtaſin faciet. Hac ratione in critico die fere omnes morbi inflammatorii ſanantur. Si vero jam natus fuerit abſceſſus, per eandem viam purgari ſpes eſt.

Indice] Haec pulcherrima doctrina ſolius HIPPOCRATIS inventum eſt, neque ab ullo aliorum medicorum exulta fuit, cum tamen medicum fere ad Deos elevet. Quando morbus acutiſſimus eſt, ex iis, qui intra quintum diem judicantur, tunc tertius quinti index eſt: & ſi tertio die urina bona fuerit, morbus quinto ſolvetur: in morbo vero intra novem dies ad finem decurrente, tertius ſeptimi index eſt; vel in acuta febre vulgari, ſeptimus decimi quarti, tuncque urina, quae per ſeptem dies limpida fuit, octavo dabit ſedimentum; & aeger die decimo quarto ſalvus eſt. Quando enim die tertio, quinto, ſeptimo, ante acmen, materiae jam cocta eſt, ſperari poteſt, die critico, poſt acmen, materiem expulſum iri, vera criſi, corpusque ſanitatē recuperaturum eſſe. Neque unquam faller praefagium, quando ſeptimo die urina dotes hic recensitas habet, die decimoquarto ſanitatē reſtiturum iri; & poteſt abſque omni temeritate promitti.

Rufa] Nempe aquoſa, alba, in qua aliquid ſubrutilum pellucet, ut in achate, vel buſonino lapide, & quibuſdam ſpeciebus carneoli: haec peſſima eſt, & multo deterior, quam flammea urina.

Lactea] Quae nullum ſedimentum deponit, pernicioſa eſt, & demonſtrat nullam criſin fieri, neque morboſa elementa de ſanguine decedere.

§. M X V I I.

Incerta) Nihil ultra ea ſperandum eſt, quae dixi, & monendus eſt medicus, cum vulgus velit ex urina ſibi praefagia fieri, ut ſemper addat, ſe ex aliis ſignis morbum ſatis dignoſcere, neque urinam neceſſariam eſſe: neque aliis praefagiis ſe inmiſceat. Certiſſimum eſt, nullum mortaliſimum ex lotio dignoſcere poſſe, an femina minxerit, an ſexus maſuli aeger, niſi forte ſemen, aut anguillula a gonorrhoea ſuperſtes ſexum virilem prodi-

prodiderit. Multo minus definiri poterit, num virgo, num viro usa, num gravida sit, cujus lotium offertur, neque haec nisi risum merentur. Vidi ante multos annos duos Professores Leidenses cum sua *ουροσκοπία* turpissime delusos, cum ex artis regulis nobilissimae matronae graviditatem negarent: infans autem in lucem prodeuns prophetis silentium imponebat. Praecipuos in hac republica uroscopos novi tantos, & tam turpes errasse errores, ut merito se abscondissent, si pudor quisquam inesset miseris. Caeterum de tota hac disciplina legendus est HIPPOCRATES, & DURETUS, & PROSPER ALPINUS, qui fere soli medice de urina scripserunt.

Testium) Saepius & vidi, & vos monui, posse ab inflammatione circa vesiculas feminales orta vas deferens comprimi, ne semen iter suum persequi possit, ita stagnare semen, & testem urgere, hancque causam tumidi testis adeo frequentem esse, ut inter centum aegros nonaginta novem ex hac causa laborent. Hi aegri vix curantur, nisi largissima venae sectione; qui haec ignorat, & fomentis utitur, cogit suppurare, & destruit testem.

ΥΓΙΕΙΝΗ.

1018. **T**Ria sunt munera Artis tuendae Valetudini sanae; nempe conservare Sanitatem praesentem; Morbos in temperie ut in femine latentes, & facile excitandos praecavere; Vitam disponere ad longaevitatem.

1019. Sanitas enim, quum sit aptitudo in corpore ad exercendas actiones, & quum haec consistat in determinata mobilitate partium tam firmarum, quam fluidarum, necessario haec ipsa, inquam, Sanitas; si semel ponitur perfecta, deteret ex sua natura partes firmas, consumet fluidas, corrumpit utrasque, adeoque se ipsam destruit.

1020. Proinde Sanitas conservatur jugiter restituendo eandem copiam, & qualitatem partium omnium in corpore, quales ante descriptam destructionem (1019.) in corpore erant in firmis, fluidisque partibus.

1021. Restitutioni huic (1020.) materiem praebent, cibus, potus, forte & aer: hanc praeparant, & aptant, gesta in corpore per actiones vitales, naturales, animales: praeparatum appli-

applicandis locis requisitis, & reparandis, eadem gesta: denique & per ea liberatur a superfluis, crudis, nocituris.

1022. Quamobrem patet, totam hanc artem Sanitatis tuendae absolvi descriptione legum, quae definiunt illum definitum usum classium recensitarum (744. vel 745.), quo satisfiat illi scopo jam descripto (1020.).

1023. Tamen difficile est ita promulgare has leges, ut observatio earum omni homini aequaliter proficit.

1024. Cujus difficultatis causa in *ιδιοσυγκρασία* ut plurimum haeret; ideoque operatur saepe effectus oppositos in hominibus, qui tamen eandem normam vivendi sequuntur.

1025. Ita quidem, ut unicuique fervetur saepe sua, & integra, Sanitas, licet utantur homines non tantum vario, sed & plane opposito, usu sex rerum non naturalium; quum contra, si vivendi rationem permutaverint vicissim inter se, mox utrique alieno more fruente aegrotent, qui suo morigeri bene valebant.

1026. Ipsa quoque consuetudo, quam non male alteram naturam, vel *ιδιοσυγκρασίαν*; appellant, fert vix credenda, sive spectaveris effectus aeris, cibi, potus, motus, medicamenti, veneni, sive consideraveris reliqua.

1027. Quamobrem mutatio subita a consuetis in nova, est ubique; & semper, quammaxime periculosa; licet ex malis vulgo habitis in bona putata transiverit.

1028. Sed, sensim mutando, saepe variare vitam quotidianam, egregium est auxilium tuendae Sanitati.

1029. Aer maxime gravis, adeoque simul, ut fere semper est, serenus, & siccus, suo cuique loco saluberrimus habetur.

1030. Aeris effectus varii; & ejus favens, vel nocens, natura; descripta habentur, ubi de causis Sanitatis [160.] & Morborum (746. ad 754.) in aere latentibus actum est; unde proinde peti debent.

1031. Qualitates enim aeris, excessu suo producentes morbos, emendari possunt oppositis inductis: frigidus enim, & humidus, poterit mutari in calidum, & siccum ope ignis accensi, per signa sicciora, & aromatica, nutriti; halitu aromatum cal-

calidiorum sponte, vel igne, fragrantium; vento calido admisso, vel arte excitato: si vero calore, & ficcitate aer peccat, emendatur exhalatione dispersae frigidae; vento artificiali, vel expiratu halituum aquosorum ex plantis frigidis aquae immixtis, ut sunt falix, populus, rosa, sambucus, opulus, morus &c.

1032. Aer igitur ferens, gravis, temperate calidus, & ficcus, a mediterraneis puris, & a fluminibus, spirans. leni agitato vento, subitarum, & magnarum mutationum expertus, apricus, & ruralis, ab exhalationibus salinis, oleosisque defocatus, optimus est in genere Sanitati tuendae.

1033. Cibus autem censetur optimus ille, qui simplicissimus, parum foeculentus, acrimonia omni carens, haud praeditus magna mobilitate suarum partium, sano nostro corpori similis; aut illi facillime assimilandus per vires nostras coctrices, tum in acquisitione praedictarum dotium arte culinaria praeparatus est.

1034. Qualis habetur omnis quidem, qui diligitur, 1. ex Seminibus Frumentaceis, farinosis, bene maturis, puris, moderate ficcatis, satis recentibus, Tritici, Zeae, Secalis. Hordei, Avenae, Orizae, Fagopyri, Mais, Milii, Panici, Phalaridis; atque tritu, subactu, fermentatione, coctione, praeparatur ita, ut sapore, & odore, gratissimo, se commendet nomine Panis. 2. Ex Leguminosis tam Corticibus tenerioribus, quam Seminibus adhuc viridibus, aut maturis, Fabarum, Phaseolorum, Pisorum, Lentium, Cicerum, Viciarum, dum maceratione, coctione; tritu, saepe levissima tostione praemissa, parantur. 3. Ex Oleribus recentibus, viridibus, aut colligando folia crescentia leniter utcunque suffocatis, Lactucae, Intybi, Cichorei, Portulacae, Apii, Hippocistini, Brassicae, Malvae, Betae; maxime, si levi coctione in proprio succo moriuntur. 4. Ex fructibus tam solidioribus, quales Cinarum, Nucum, Amygdalae, aut bulbis Raporum, vel radicibus Dauci, Pastinacae, Raphani, Betae, & similibus, quam mollioribus, ut sunt Poma Arborea, vel Plantarum scandentium annuarum; Pyra,

Pyra, Baccae, Pruna, Cerasa. 5. Ex Succo, & Corpore, Animalis sani, junioris non nimis pinguis; si fuerit Quadupes, Avis, Piscis, siue & insectum, vel Crustaceum; si elixatione, affatione, frixatione, suffocatione, praeparantur, quo & Lac, & Ova referuntur.

1035. Alimenta dura, sicca, crassa, ponderosa, foeculenta, profunt his, quibus sunt valida viscera, celeris digestio, motus muscularis ingens, humores moti valde in sanitate. Mollia, humida, tenuia, levia, defoecata, his obseunt, vel perpetuam fere mensam imperant.

1036. Illis vero, quibus viscera debilia, difficilis digestio, vita quieta, sedentaria, otiosa, profunt cibi arte; vel natura, simillimi chylo diluto.

1037. In temperie alcalescente conducunt acescentia (1034. 1. 2. 3. 4.); in acescente profunt alcalescentia (1034. 5.)

1038. Ex quibus paucis tota ratio delectus, copiae, praeparationis, alimentorum peti potest; si modo prius cognoveris usuri viscera, humores, temperiem, aetatem, sexum, vitae genus, studia.

1039. Copia cibi optima cuique, quam sequitur sensus refectiois, non torporis. Tutior sobrietas, sed debilibus; excessus melior, sed robustis.

1040. Condimenta autem ex acidis, sale, aromatibusve, petita, nocent sanis acrimonia sua noxia, vascula tenuissima laedunt, & falso appetitu per stimulum excitato corpus gravant plus, quam nutriunt.

1041. Quin & ex iisdem regulis intelligitur bonitas potus [1035. ad 1041.] si enim ille requiritur tantum ad emendandam sitim, siccitatem, crassitiem humorum, vel eorum acrimoniam, tum aqua frigida, limpida, levissima, inodora, insulsa, cursu, exercitata per flumina pura, est potus optimus homini robusto.

1042. Si vero potus requiritur simul eo scopo, ut calefaciat, in motus stimulet, & attenuet, tum profunt cerevisiae coctae, fermentatae, ad defoecationem usque tantum asservatae, ut & vina limpida, fragrantia, grata. Sed & illorum delectus, co-

pia, usus, determinatur per conditiones assumpturi.

1043. Cibi minime pingues, & potus, aquae firmissima reddunt, & fortissima corpora.

1044. Corporis motus ad primum usque exortum lenissimi sudoris, vel usque ad sensum incipientis lassitudinis, post initia coctionis, cum sensu levitatis, optimus est. Unde & Quietis regula pendet.

1045. Somni tempus, quando corpus sanum torpet. Optima ejus mensura agilitas corporis dum evigilat, nata.

1046. Omnia medicamenta, vel evacuantia, vel acria, cujuscunque tituli, vitanda omnino sunt.

1047. Sed purgationes cutis externae per friciones, loturas, balnea, fomenta, natationes, deterfiones, egregie profunt.

1048. Animi autem affectus, non sunt omnino suppressendi; sed neque excitandi nimis: torpor enim oritur, vel circulationis perversio. Spes, & desideria, corpori saluberrima deprehensa sunt.

§. M X V I I I.

Latentes) Uti plethora, quae nondum morbus est, sed ex levissima causa potest in morbum abire.

Longaevitatem] Hoc caput neglexisse medicos, jam VERULAMIUS adnotavit, primusque hanc disciplinam excoluit.

§. M X I X.

Deteret) Et quidem eo citius, quo vita ipsa melior est, & fortior, eo magis enim corpus adteretur, cum sanitas status sit corporis humani actuosissimus, & consistat in possibilitate exercitii omnium actionum: fiet adeo adtritus humorum omnium ad vasorum omnia genera, & vicissim; sicque adterentur, & destruentur omnes partes corporis tum fluidae, tum firmae. Cachecticus homo facile tridui inedia fert, uti vulgo notum est, solent dicere morbum se ipsum alere: cum sanissimus homo post viginti & quatuor horas animo linquatur.

§. M X X.

Eandem copiam] Si homo ipsum merum sanguinem biberet, sanguis tamen in ventriculo mutari deberet, & in alium statum transformari:

ovaque ipsa mutari, si iis uteretur. Ergo per cruda quidem restitui debent, quae amissa sunt, sed per cruda subacta ab actionibus corporis individualibus.

§. M X X I.

Aer] Procul dubio: nam chaos est omnium rerum, adeoque & nutritionum particularum, sed volatilium, & adtenuatarum. In Britannia demonstratum est, hominem de sola materie extus per fomenta &c. applicata tantum sibi sumere, ut vitam utcumque sustinere possit. Ergo & ab aere aliquid alimenti recipere poterit.

Requisitis] Homo, qui solum lac maternum pro omni alimento adsumit, conservatur hujus lactis ope, dum illud praeparat, coquit, & applicat: pars vero cruda, crassa, ad nutritionem inepta, ex corpore eliminatur, stercoris specie. Nam etiam purissima alimenta, & lac ipsum excrementitiam partem continent, quam separari necesse est: cum lac purissimum infusum in venas vivum animal occidat.

§. M X X I V.

Ἰδιοσυγκρασία] Haec ponitur in proportione inter solida, & fluida, & facit, ut actiones unius hominis differant ab actionibus alterius, pariter sani. Sed actiones istae faciunt, ut adsumta alimenta in humores humanos mutantur, adeoque ex iisdem cibis non fiunt iidem humores, quando a diversis hominibus adsumuntur. Sunt, qui aqua pura, & pomis, herbisque vivunt. Alii omne rerum genus ingerunt, sani tamen omnes. Date horum uni poma priorum, aegrotabit, & ille sobrius perinde ab hujus lauritia offendetur. Ergo non potest de ullo cibo generaliter dici, bonum esse, sed cuius homini propria, & peculiaris victus ratio unice convenit.

§. M X X V I I I.

Variare] Hoc CELSI consilium est [L. I., c. 1.] sanus homo, qui suae spontis est, nullis debet se obligare legibus, . . . & varium habere vitae genus; modo plus, modo minus, modo non amplius adsumere . . . Sic vivere, ut nunquam idem diu obtineat. Qui nimis aequabile vitae genus sequuntur, sanitate gaudent perfectiori, verum iidem *εὐμεταβλητοί* ne minimam mutationem absque morbo ferunt, qui vivere nequeant, nisi in doliis suis cum DIOGENE latuerint. Medicus erat, qui secundum SANCTORII staticas regulas vitam ordinaverat, vivebatque pusillam, sed sanam hactenus vitam. Levissimos vero contactu aeris minus salubris percussus idem praedixit se moriturum, stetitque promissis, malo levissimo, quod adsumtum non laesisset.

§. MXXIX.

Gravi] Paradoxum hoc vulgo videtur, cum ante inventum barometrum omnes homines tunc aerem gravem esse dixerint, quando corpus ad sensum ponderosius videbatur, & contraria ex ratione, levem. Verum nunc satis demonstratum est, austro spirante, & zephyro, quando graves languent artus, levem esse aerem, eundemque gravissimum esse serenissimo coelo, & spirante borea, quo tempore corpora ad sensum leviora percipimus. Et in universum, nebulis exceptis, aer gravis serenus est.

Cuique loco) Boreas nobis saluberrimus est, in aliis vero regionibus ille semper ventus, qui super maximum terrae continentis tractum spirat, adeoque minime particulis de mari exhalantibus impraegnatur: talis nobis boreas est. Caeterum in universum venti salubres sunt, & sola quiete aer pestilens redditur.

§. MXXXI.

Accensi) Potest obtineri, ut in conclavi aer semper serenus adsit, etsi ubique regnet humiditas. Faciam rimas inter caminum, & proximum hypocaustum communicantes; aliasque porro in parte a camino averfa in aliam cameram patentes. Deinde caminum instruem ligno juniperino, abiegno, & succino, ita omni alio aditu clauso aer amittitur, non alius, quam qui super ignem excitato vento advenit, atque per alias rimas iterum aufugit, sicque perpetuo novus sibi succedit, & aquam suam deponit: testes sunt sales chemicorum, qui in tali aere vix delinescunt, cum ab aere eosdem facillime dissolvi notum sit. Etiam spongia explorari potest, quae in aere humido intumescit; sicco contrahitur.

Frigidis) Aqua sola non multum exhalat, huiusmodi vero plantae in aquam dimissae, incredibilem perspirant aquae copiam, uti maximam hauriunt, & totum aerem, in quo haerent, humidum reddunt. Haec per recentissima experimenta, hoc anno Londini edita, nunc demonstrata habentur. (a) Excellunt autem ubertate perspirationis Salix, Rosa, Populus, Sambucus, Morus & plantae aquaticae. Potest etiam refrigerari ope salis ammoniaci. (a)

§. MXXXII.

Optimas] In aere huiusmodi oportet aulas principum, & domus venatorias aedificare, & deceret archiatros, si in regno loca aere purissimo beata inquirerent.

[a] HALES *veget statics*.

§. MXXXIII.

§. MXXXIII.

Mobilitate] Cibus optimus est, qui corpori nostro simillimus, & omni acrimonia, vel magno odore, aut sapore destituitur. Id VERULAMIUS dudum vidit. Hoc alimentum constans est, neque dissipabile. Quod volatile est, & fragrantia excellit, idem inconstans est, neque bonus facit succos. Omnes cibi, quos natura nobis subpeditat, blandi sunt, & molles, sive carnes fuerint, sive cerealia, aut fructus horaei maturi. Potus naturales itidem blandissimi sunt, nam fermentatos non dedit natura. Verum haec omnia pariter minus mobilia sunt. Ex mustu fermentato virtus ita non avolat, ut meracius fiat; etiam quando ad unam decimam coctionem redactum est: quamprimum fermentavit, & nunc vinum est, si unam centesimam partem ponderis exhaverit, reliqua moles inutilis est, nullisque frugis.

§. MXXXIV.

Farinosus] Haec debent prius fermentationem pati, ut deponant facultentiam, sive facultatem generandi aeris elastici, mirabilem illam, a BOYLEO detectam. Qui solis cerealibus vixerunt, plerumque longaevisissimi fuerunt, exemplum est in gymnosophistis, antiquissimis inter philosophos, qui nihil comedebant, quod animam habuisset, neque quidquam quod sub terra adolevisset; sed unice vegetabilibus vivebant, quae de terra ascendissent, solisque sensissent radios. Adeo sani, adeo longaevi fiebant, ut pertaesi vitae mortem sibi consciscerent, vivosque se comburerent: quod spectaculum CALANUS ALEXANDRO dedit.

Panis) Hic cibus acceptissimus est humano generi, & ubique terrarum fundamentum est totius nutritionis. In Europa ex tritico paratur, in Asia ex oryza, in America ex Mahiz. Certum est, in mari mediterraneo remiges illos catenatos in durissimis laboribus perdurare sanos, fortesque, cum solo pane biscocto, & aqua vivant, nisi forte aefuosus aer, aut epidemici morbi corpora eorum labefactaverint. Eadem observatio vera est de hominibus ad transtra damnatis, qui per infortunium absque sua culpa eo devenerunt.

Coctione] Veteres pro cibo placidissimo frumento tosto utebantur, quod farinam suam in aquam deposuerat. In scriptura sacra hic cibus legitur, & HIPPOCRATES ipse pro levissimo alimento commendat orobos tostos, & per noctem in aqua maceratos. Fabis gravior farina est, quam tritico, hinc conveniunt corporibus robustioribus.

Oleribus) Cum paucissimo jure carniū coquere, & tota adsumere oportet, coqui vero male succum abjiciunt, in quo tota vis plantae residet.

residet, & convivis scelerum atque cadaver plantae offerunt.

Lactucæ] Itali solent dicere, in paradiso non aliam herbam ad vitam producendam aptiorem fuisse.

Junioribus) Quale ovum est, quod longe praestantius esset crudum, quam coctum. Idem verum est de mytilis, & de ostreis, quae cocta duriora fiunt, & deteriora, & absque ulla mutatione in substantiam corporis nostri transire queunt. Etiam alia cruda nonnullis hominibus non nocent. Princeps CONDEUS aliquandiu hominem sola cruda carne aluit: vixit robustissimus, sed ferox & bestiae similis evasit, & voracissimus canina fame ita incitatus, ut vix sibi temperaret, quin in proximum, quem forte viderat, bovem impetum faceret: simul perpetua diarrhoea aderat. VERULAMIUS homines *αυροπαγους αιτοφαγους* putat salubris vivere.

§. MXXXV.

Ingens] Ως, ὁ πικρος ἐστὶ τὸ ἵπποον. Si aratori, aut messori homini jus carniū cum succo citri dederis, post horam aequè famelicus erit, atque prius fuerat, & animo fere linquetur. Da lardum, cum pane nigro; ita bene habebit, viresque reparabit.

§. MXXXVI.

Chylo) Eruditi viri nolunt gulae temperare, & audente eadem edere quae rustici, & tamen cum plena cibis alvo somnolenti ad labores sedere. Verum non ferunt non naturalem victum: optent, aut feriari a studiis, aut a duris cibis. Optionem multis sapientibus viris proposui. Durus enim cibus in non adluetis, capitis dolorem, & somnum turbulentum facit, CELSO teste.

§. MXXXVII.

Alcalescentia] Aestuante aetate homo, qui corpus valide exercuit, carnes assas oblatas repudiabit, nisi acidulae sint, aut salsae. Vicissim homini, in quo acidum dominatur, alcaliescentia alimenta conveniunt, uti jus cancrorum fluviatilium, olim ab ΗΑΡΡΟCΒΑΤΕ laudatum. Similis fere gelatina est, ex carne viperina parata, maxime alcalina, quam Itali laudant. Si vero tales cibo in morbo alcalino praeparaveris, aegrum utique occides. 1732. PECQUETUS ille invento, post EUSTACHI in equo observationem, thoracico dustu nobilis, incidit in mirificam sententiam, non debere ciborum coctionem exercitatione corporis promoveri, sed unice spirituosus: ergo dabit spiritum vini moderate bibendum, & ipse exemplo praecivit. Aliquandiu bene habuit, sensim

fenſum vero ventriculus, & inteſtina ita ſe contraxerunt, ut ſolum ſpiri-
ritum vini tranſmitterent, donec in ipſo munere publico defecerit ul-
timo, & exſpiraverit. Hujusmodi ſpirituoſa poſſunt per aliquot dieſ
alere, uti panis vapor DEMOCRITUM ſuſtentavit, ſed conſuetudine vi-
res amittunt.

§. MXXXVIII.

Torporis] Qui ſomnolentus de menſa ſurgit, nimium ingeſſit cibo-
rum: tunc vero optima proportio ciborum ad labores eſt, quando corpus
a paſtu leve ſentitur, & agile.

Sobrietatis) Haec robuſto homini minus convenit, qui ſe ipſam con-
ſumeret, ſi diaetam tenuem ſequeretur. Qui ad longaevitatem perve-
niant, raro leguntur jure carniſ, aut ſimilibus vixiſſe, ſed lardo, aliif-
que durioribus cibus. Fames inter morbos excellit, quod acutiſſima
ſit. Si offa non offeratur fami, corpus adrodet; omnia aſperiora ſient,
bilis acerrima fiet, ſanguis incaleſcet, fiet febris, extenuatio &c.

§. MXXXIX.

Acidis] Divites, qui in juventute voraces fuerunt, & appetitum
perpetuo ſtimularunt, ut luxuriae ſufficeret, cito ſenefcunt; nam vaſa
ab acribus corrumpuntur, ventriculi ultra modum repleti viſ contra-
ctilis perit &c. Adjuvant ſe, aut gulam ſuam, quantum poſſunt, ſu-
munt abſinthiata vina, ſed ita corpus depravatur, ut nihil ferat ul-
timo, & ad omnem cibum aegrotet. Hic inprimis condemnandi ſunt
illi pernicioſi *ragouts*, ipſis debilibus non niſi raro utiles. Confer BER-
NARDI SVALVE de *querelis ventriculi*, utilem libellum, gravis, & no-
biliffimi auctoris.

§. M X L I.

Aqua] Vino certe ſalubrior eſt. Omnes fanorum hominum morbi
oriri ſolent a motu nimio, & acuti eſſe, chronici vero tum demum
naſcuntur, quando vires deſciunt, & vix ante quinquageſimum an-
num robuſtus homo aliunde, niſi a nimio imperu aegrotaverit. Si
nunc idem homo potum ſtimulantem adſuſerit, augebit equidem ma-
niſeſto morbum ſuum, aut accerſet adſimilem. Solent equidem reſ-
pondere, incertum eſſe, an unquam ad aetatem debitam ſint perven-
turi, adſumtuſos ſe interim quae placent. Sed ita in periculum ex-
caecati ruunt. Frigida vero aqua blanda, & lenis eſt, roborat viſce-
ra, & omnia depurat, hinc a Graecis, & Romanis fere pro panacea
habita eſt. Si ea vellent contenti eſſe ſani juvenes, vix unquam in
acutos

acutos morbos inciderent. Quoties ficcitas peccat, aut bilis, aut acidum abundat, aqua optimum medicamentum est; & frigida quidem melior calida, quae sensim, parco haustu in corpus prius refrigeratum ingeri debet.

Cursu excreitata] HERODOTUS causam maximae longaevitatis aethiopum *παροβίων* videtur ponere in aqua, quam adeo levem bibunt, ut in ea ligna fundum petant. Utrumque etiam nostro aveo verum est.

§. M X L I I.

Stimulet) In gaudiis publicis. Ipse solebat subinde gaudia curis miscere SOCRATES, neque *symposia* detrectabat. Haec omnia necessaria sunt scitu; saepe enim magnates quaerunt ex medico, quid filio meo suades, quid filiae pro valetudine gubernanda, ex consilio tuo pendebunt. Tum semper simplicia praescribere oportet.

Cerevisiae) Quae in hydrope, & leucophlegmatia ipsi vino praestat, meracissima nempe, ut ale anglorum, ejusque similes.

§. M X L I V.

Motus) Robustissimi milites gregarii saluberrimam vitam vivunt, atro suo pane (ammunitions-brod) contenti, & fluminum lympha; nam ex tribus, quatuorve assibus non laute vivitur. Homines vero lautiori vitae adueti hos labores minus tolerant, anhelant continuo, & deficient. Sed omnes pariter mortales a nimis laboribus exhauriuntur, & pereunt ante diem. Ex mille rusticis, qui manu sua victum quaerunt per durissimos labores, pauci omnino sexagesimum annum adtingunt, dudum fracti nimio labore. Literati vero homines, qui contrario modo deficient, nunquam deberent ad mensam se componere, quin per horam antea corpus exercuissent, & expurgassent, secuti LEONIDAE consilium. Sed quiescunt, & sedent perpetuo, & rarissime ad magnam aetatem perveniunt, uti ex diariis constat.

Initia coctionis] Quando ventriculus nimis plenus est, tumet, & post aliquot horas etiam magis tumet, tunc motus major nocet.

§. M X L V.

Somnus diuturnior continuo caput adgravat. An admitti debeat a cibo, quaeritur. Vulgo negant, sed receptam opinionem pridem suo exemplo refutavit FELIX PLATERUS; cum Princeps Badensis in colloquio medicorum interrogaret, an praestaret somnum post prandium capere? an ante cibum salubrius dormiretur? Omnes Medici cum schola Salernitana somnum pomeridianum damnabant. Solus PLATERUS; tunc septuaginta

annos natus, pro somni a cibo innocentia se ipsum testem dedit, qui per tot annos absque morbo vixisset, cum tamen nullam diem absque somno meridiano clausisset. Ipsa natura docet, quae somnolentiam post cibum in omnibus animalibus facit: qui legere volunt, niſtitant, obdormiscunt, neque quidquam boni faciunt; praestat quartam horae partem somno dare, tunc reddita alacritate ad labores redire.

§. M X L V I.

Medicamenta non debent adhiberi a sano homine, qui medico non egeat. Si vero Princeps a medico ad umbram morbi remedium petierit, non credunt responderi posse, eum medico non egere, timent se gratia excisuros: ergo habent arcana magnifona, quae nihil juvent, & ne noceant quidem.

§. M X L V I I I.

Supprimendi) Ita enim vita absque igne est, & sale. Nimis vero vitam consumunt, & liquidum nervum dissipant.

Spes) Expectatio boni desiderati, cum spe certissima, est dulcissimus omnium adfectuum, & ipsa possessione amabilior. VERULAMIUS monet, nunquam sibi plene satisfacendum esse, sed relinquendum aliquid, quod optes. Senes eruditi instar lapidum vivunt, quando ab objectis stimulati desierunt.

ΠΡΟΦΥΛΑΞΙΣ.

1049. **P**Raecaventur morbi, dum, simul ac adfuturorum signa deprehenduntur prima, statim occurritur eorum causis.

1050. Primaria vero remedia prophylactica morborum brevi oriturorum sunt profecto haec; abstinentia, quies, potus, aquae calidae, deinde blandus, & aliquandiu continuatus motus usque ad initia lenis sudoris, tum postea somnus largior corpore bene tecto: his enim crassa diluuntur, laxantur vasa, excernuntur noxia.

1051. Neque est aliud, quod plus defendit corpora contra vim causarum externarum, quam si quis verno tempore tarde minuta vestimenta hyberna, rursusque cito augeat aestivas vestes autumnali tempore.

1052. Eodem etiam facit quam plurimum moderamen diaetae simplicibus descriptum, & paucis regulis his: aestate conducit victus levis, mollis, laxans, humidus, lenis, ex oleribus, fructibus, lacte, jusculis; cum potu copioso aquoso, vel admodum diluto; & cum motu corporis leniore, vitato omni violentiore.

Hyeme prodest victus gravis, durus, siccus, aromate, vel sale acrior, caro assa, panis plus coctus; cum potu parciore vini meraci; & cum motu corporis validiore plus exercitato.

Vere, & Autumno, victus moderandus media quasi inter aestivum, & hybernium temperie; considerando simul, in quodnam horum temporum plus, minusve inclinaverit.

§. M L.

Abstinencia] Non ab omni cibo, sed ab eo, qui notatu dignas mutationes infert, acri, aut duro. Saepe abstinencia, modico motu, dilutione, morbi interni gravissimi praeoccupantur, qui postea curari nequeunt. Aquosa corpus laxant, levi exercitio mobile fit, maxime si levis sudor accesserit, deinde somno pacatur. Haec conveniunt, quoties corpus nobis gravius videtur, atque inde scitur, perspirationem Sanctorianam deficere. Cave vero des tunc vomitorium, vel venam feces *par precaution*; nescis enim quid agas, & materiem expellis nondum coctam, naturam vero turbas, & debilitas.

§. M L I.

Vestes) SYDENHAMUS observat, inter centum homines, qui morbis autumnalibus (pleuritide, peripneumonia, catarrhis) corripiuntur, paucissimos esse, qui morbum non debeant vestium mutationi, iisque nimis frigidis, nunquam justo calidioribus. Caute HORATIUS.

Maturina parum cautos nunc frigora mordent.

§. M L I I.

Moderamen) Nullus admitti debet cibus, qui facile putrescat, multum bibere oportet vini aqua diluti. Hyeme vero paucior, & meracior potus convenit.

Laxans) Natura providens videtur hanc diaetam ipsa nobis praescripisse: dum aestate carnes jussit citissime putrescere, ne adeo frequenter iidem uteremur, fructus vero horaeos uberrime provenire voluit,

eosque replevit tum aqua, quae aestum temperaret, tum acido sale, qui putredini resisteret.

Hyeme] Has regulas HIPPOCRATES sanxit, tum DIOCLES in epistola ad ANTIGONUM.

DIAETA AD LONGAEVITATEM.

1053. **C**ORPUS bene sanum per actiones a vita sana inseparabiles sensim ita mutatur, ut fibrae minimae rigidissimae fiant, vascula autem tenuissima concrecant in fibras concretas, & humoribus non pervias, vasa majora durecant, ardenturque, omnia autem simul contrahantur, compingantur, concrecant sibi invicem, unde siccitas, immobilitas, imminutio senilis. Hinc vasculorum minimorum munera destruantur, humores in iis stagnant, lentescunt, coalescunt inter se, & cum canalibus propriis, adeoque subtilissimi deficiunt, coctio debilitatur, reparatio deficit, crassiores per sola majora vasa lenti decurrunt, & vitam solam absque animalibus actionibus sustentant, unde tandem mors senilis per has mutationes accidit inevitabilis, & ex ipsa sanitate sequens.

1054. Quae igitur citior accidet, si actiones vitae sanae violentiores fuerint; tardior, si moderatiores. Atque in modamine justae hic mediocritatis videtur promitti longaevitas possibilem arti, maxime si Hygieine, & Prophylaxis conspirant ita in suos effectus, ut non turbent hunc scopum, cuncta fere huc redeunt, si collecta erunt.

1055. Debent corpori conciliari omnes illae conditiones, quae explicatae sunt (885.); quantum ulla arte id obtineri poterit. Actiones corporis ita instituendae, ut reparatio perditae, assimilatio assumpti incrementi requisiti terminus, foecis expulsio, blande, lente, assiduo, fiant; unde labor moderatus, assiduus, ad initia levissimae lassitudinis prodest; in pueritia levior, sensim crescens cum aucto robore corporis, rursumque cum senio diminuendus semper. Vita interim varia omni fere ratione; praepriis in agricultura.

1056. Animae operationes eligendae illae, quae singulari genio uniuscujusque maxime sponte placent; hae autem ipsae ita dirigendae; ut moderatione servata, spiritus nec torpeant quiete, nec dissipentur, aut rodant, per nimios motus. In pueritia animi contentio acrior prohibenda, sensim plus exercenda; in senio sensim magis, magisque, moderanda. Occupationes saepe variatae.

1057. Cibi simplices, sicci, duri, tenaces, difficilius putrefaciendi, non acres; ex Vegetantibus panis, radices fructus austeriusculi; ex Animalibus carnes macilentiores salitae, aut pisces sic praeparati, maxime annosiores, se probaverunt. In pueritia lac, sensim panis, dein reliqua danda eo firmiora, quo plus crevit robusta aetas, in senio sensim redeundum ad victum pueritiae.

1058. Potus aquae bonae, frigidae, parvus, soli fiti, dilutioni, temperiei inserviens, maximis laudatur effectuum exemplis; cerevisia, & vinum, matura, pura, blanda, admittuntur moderato usu, nimia valde nocent. In pueritia lac, sensim dilutius, deinde aqua in robore aetatis, in senectute vinum molle, edentulum.

1059. Interim abstinentia summa, dietae accuratissimae, exsiccantes, emaciantes, rarissime interpositae, mirifici usus.

* 1059. Increfcente senio introductio nutrimenti per appositam externam, halitu, fotu, balneo, clysmate, unguento, fiet.

1060. Aer purus, campestris, montanus, ut & umbrosus in sylvis, tum quoque insulanus, frigidior, laudatur hic praeter caeteris.

1061. Excretio crassi circa senectutem tutissimis juvanda, iis nempe, quae magis excitent fibras, & solvant faeces; ubi crocus, sal, gummi aromatica, praecipua sunt cum melle, & molliori vino.

1062. Mutationes fere radicales humorum per res solventia, horum dein excretiones succedentes, ut sunt receptae curationes per virtutem argenti vivi; aut per decocta attenuantia, exsiccantia, sudorifera, saepe disponunt corpus quam optime ad expulsum veterascentis, & instaurationem novae vitalis materiae,

teriae, unde prudens Ars per has ad vitam longam ducit.

1063. Vapores, fatus, inunctiones, balnea, clysmata, ex odoratis suavibus, lenibus, lacte, jure carniū, oleo, animalibus vivis, ariditatis senilis egregia remedia, mortis remotae, vitae longae auxilia, in juventute nocent.

1064. Sed tamen ex dictis [1053. ad 1064.] constat illa, quae corpus vastum, durum, constans, aetatis patiens, reddunt, & morbos validos arcent, plerumque vividissimae mentis aciem per rudiora organa heberate, impedire. Nec ideo auxilia perfectissimam sanitatem generantia causae sunt, vel auxilia procurandae longaevitati.

1065. Vanissimae autem jactantiae, nulla vera ratione, nec experimentorum fide, firma promissa sunt, quae in hunc scopum commendantur: scilicet usus Entis primi Cedrini *Helmontiani*; Elixiris proprietatis *Paracelsi*; Tincturae Physicorum Adeptis laudatae Entis, primi ex metallis, fossilibus animalibus, vegetantibus; Purgationis repetitae per Hellebori nigri folia; Spiritus sulphuris per campanam; Spiritus florum rosmarini; Virtutis attrahentis Spiritus ex sano corpore Juvenis, ut in *Artephio*; Animalium longaeavorum, aut saepe iterum renovantium partes; Sigillatorum planetarum vitam producentium.

1066. Neque methodo tamen vel optima vitam in numerosos adeo annos protrahi posse, ut Chemicis Adepti spem faciunt, ullo modo verisimile fit: imo suis redarguuntur ubique omnes hi experimentis.

§. M L I I I.

Tenuissima) In infantibus recens natis nullus humor magis abundat, quam nerveus, neque ullus in sensibus magis deficit: his autem venae surgunt ad oculum, ex abundantia humorum crassiorum.

Rigidissima) Sanissimus homo, quo diutius vivit, eo fit rigidior.

Contrahuntur) Senes rugosi fiunt, neque cutis extenditur super carnes, gracilescunt iidem, & tenues fiunt; hic marasmus senilis est.

Imminutio) Qui in juventute procerissimum corpus extulerunt, nunc maxime minores se ipsis & curvi redduntur; quod olim HIPPOCRATES vidit. Homo octogenarius fere una tertia parte minor fit se ipso, quando

quando quinquagesimum annum nondum superaverat. Causa est in destructione spatiorum inter vertebrae mediorum, a DUVERNEYO observata, & in coalitu earumdem vertebrarum immediato, unde spina tota incurvatur.

Animalibus) Hae enim peraguntur per vasa subtilissima, quae omnium prima occalescunt. Inde illae querelae BARSILLAI, cum a DAVIDE ad regiam mensam invitaretur. Inspice senum oculos, adtende ad auditus organa, vide quam omnia debilia sint.

§. M L I V.

Motus nimius) Et a teneris adfuetus, frangit corpus si praecocem facit senectam; hinc doleo, quando infantes ante tempus a parentibus ad labores video cogi. Motus vero iusto parcior cruda adgerit, ut copia humorum non motorum corporis inundet. Ergo mensura observari debet, ut satis moveamur, ne cruda colligantur, non vero adeo, ut dissipentur cocta. Hanc mediocritatem scimus non observare, quando corpus per plures annos manet aquae grave. Quando ponderosus fit, tunc motus deficit: quando levius, tunc excedit.

§. M L V.

Assumpti) Non debet plus nutrimenti adponi, quam perditum est, neque minus.

Expulsio) Non opus est purgatione; nam homines octogenarii reperiuntur, qui nunquam alvum medicamento duxerunt, neque ideo faeces congefferunt. Si vero necesse habueris alvum mollire, id efficere poteris aucto potu, diminuto cibo, vel omisso prandio, & motu ante pastum paullo majori. Haec naturalis est purgatio.

Robore] Ita potest corpus ad annum quinquagesimum usque robustum conservari. Tunc necesse est minuere labores, nisi corpus velis exhaurire, ut quondam in amico suavissimo vidi. Obliviscatur curarum senex, fruatur innocente voluptate, & corpus moderate exercent.

§. M L V I.

Genio) Visi sunt aliqui quasi reviviscere, quando post exosum aliud quod studium, ad quod coacti accesserant, ad aliud sibi acceptius, & naturae suae adfinius dimittebantur.

Varietate) Idem objectum frangit animum, varietas recreat. Ergo ab exquisitissimis contemplationibus mathematicis oportet ad poeseos delicias transire, & a medicis meditationibus ad historiae flores descendere. Optime VERULAMIUS, spiritus non debent cum vasis per quietem

quietem concrefcere, fed neque diffipari, neque denique vafa adro-
dere.

Acrior] Vidi puerum pene omnifcium, monftrum eruditionis: fed
vix ad annum decimum quintum pervenit. Vidi doctiffimum juvenem,
qui diu, noctuque ftudiis incumbemat, anno aetatis decimo nono abfque
morbo confumtus occidit.

§. M L V I I.

Pueritiae) Hoc nemo melius docuit, quam proprio exemplo ALOYSIUS CORNARUS.

Sensim] Pueri nafcuntur abfque ullo dente, ne ubera matris laedant;
poftca dentes nafcuntur, fed minime firmi, ut unice mordere panem,
& fenfim adfuefcere poffint. Deinde & hi dentes decidunt, renafcuntur
firmiores alii, poftremi vero firmiffimi prodeunt, ut anno 25. dura quae-
quae fubigi queant.

§. M L V I I I.

Robore] Praematuram mortem, in ipfo aetatis flore, non marti, fed
vino, & certamini bacchico debuit ALEXANDER.

Edentulum) Non acre, neque meracum, uti vulgo folent commen-
dare; nam corpora fenilia aliunde ficcantur, hinc lente irrigari debent,
non obrui. Sapienter SOCRATES, quando pincernae imperabat; ut parum
fibi infunderet, fed quoties luberet: nam imbres deftruunt, ros reficit.

§. M L I X.

Abftinentia] Quando lues venerea Hispanis, & Italis primum incubuit,
nondum nota efficacia argenti vivi, adhibebant Medici exficcantem diae-
tam, ex pane bis cocto, uvis paffis, & copiofiffimo decocto ligni guajaci.
Ita omnem in toto corpore pinguedinem confumebant, luemque fanabant,
cujus in pinguedine fedes eft. Haec ipfa curatio nunc mercurio optime,
& excitata falivatione obtinetur, qua praeterea totum corpus quali reju-
venafcit. Melancholicus homo, ex primaria ftirpe ortus, perfuaferat
fibi, adhaerere fibi aliquod veftigium peccatorum juventutis, neque pa-
tiebatur fibi hanc opinionem eripi. Incepit interpellare Medicos de fa-
livatione excitanda, invenit ultimo, qui imprudentibus votis adnuerent,
expertus eft femel, iterumque vim mercurii, & fanata luce imaginaria, fa-
niffimus ad octogefimum annum aetatis fupervixit, cum ex minimelona-
gaeva familia natus effet. Hac enim operatione funduntur omnes humo-
res, & profligatur, quod maligni ineft, exeuntque de corpore, adjuvante
bona diaeta. Quando vero in corpus exhaustum continuo nimia vis cibi
ingeritur, tunc in locum humorum expulforum renafcuntur alii pejores,

&

& toto corpori nocetur. Primus VERULAMIUS observavit, ad longaevitatem facere medicamenta, quae omnes humores consumunt: sed oportet viscera adeo fortia esse, ut ex ingestis cibis bonos humores facere possint. [1732.] Purgare corpora, quibus vides expurgatis humores eliminari, imprudens est. Cum malis enim humoribus vivere possunt, cum nullis non possunt.

§. M L I X. *

Fotu] DAVIDIS exemplo, qui vigore omni per senium extincto, nulla ratione calefieri poterat. Ergo suaserunt Medici, ut virginem pulcherrimam, & sanissimam, concubinam haberet, cujus consortio reficeretur: & videtur consilio eventum respondisse. Potuerant foco structo Regem calefacere, sed prudentiores Medici vapores sanae virginis in usus emarcidi corporis adhibuerunt, absque ullo metu, decrepitarum igniculorum, quos antiqui cineres dudum obruerant. Vidit SYDENHAMUS, sanari horrendos dolores iliacos, folis canibus vivis junioribus super nudum aegri abdomen impositis. Ita enim ex sano corpore exhalantes maxime volatiles particulae in corpus aegrum se insinuant: sed in somno maxime, quo tempore corpus laxissimum promptius inibit.

Unguento) Quando oleum jasmini, ligni rhodii, rosarum, & similia sub aegri nares offeruntur, ut benigno vapore vires destructae cerebri perpetuo refocillentur. Fama vetus est de DEMOCRITO, quem soror per triduum solo recentis panis vapore sustentavit, ne inter solemnium ceremoniarum tempus exstingueretur.

§. M L X.

Montanus) DAVID justis hominibus promittit habitationem in monte Domini. Hanc phrasin interpretatur HELMONTIUS, longaevos victuros in monte optimo, qualem Orientales montem DEI vocasse poterant. Certum est in praealto monte promontorii bonae spei aediculam sibi struxisse batavum hominem, ibique supra totius coloniae memoriam vixisse in viridissimo senio. Etiam campestris aer laudatur, ventis nempe libere perflatur.

Umbrosis) Homines in sylvae hercyniae durissimis, & nudissimis montibus, cum asperissimo victu, vivunt ad annum centesimum quinquagesimum.

§. M L X I.

Excretio) Talia exhibere oportet, quae faeces educant, corpus non solvant; vires enim naturales excernentes roborandae sunt, non frangendae.

§. M L X I I.

Instauratione] Quando vir torosus, cujus corpus centum libras pendet, obelsum corpus mercurii ope consumsit, tunc lactea diaeta, paulatim, intra non multas septimanas vires recipit, & corpus suum ad longaevitatem efficaciter praeparat.

§. M L X I I I.

Lenibus] F. HOFMANNUS demonstrat, ex acidulis, leni calore adhibito exhalare limpidam aquam nullo fere odore, aut sapore, aut colore conspicuam, sed concentratam habentem aquae medicatae potentiam, & adeo ad augendas vires efficacem, ut nihil sit supra. Hujusmodi lenis, sed gratissima simul, & reficiens facultas in lacte est.

Vivis] Tyranni aliqui regionum barbararum saepe sibi vitam prorogaverunt, lepramque sanaverunt adhibitis balneis ex sanguine sanissimorum juvenum. Mitius remedii genus paratur ex lacte humano recenter mulcto.

Remorae] Post quinquagesimum annum jam declinant corpora, ergo cavendum, ne praesidia juventutis in viridi aetate consumas per potus spirituosos, venae sectionem. Ex quinquaginta hominibus, qui spirituosos abutuntur, vix unus est, qui quinquagesimum annum superet.

§. M L X I V.

Perfectissima) Summa enim mobilitas, quae ad perfectissimam sanitatem requiritur, nimis cito corpus deterit.

Rudiora] Qui corpus nimium curant, hebetant mentem: qui vero nimium studiis incumbunt, corpus invalidum reddunt. Vividae illae agitationes mentis, & corporis non permittunt corpori, ut duret. Haec firmantur per historias hominum longaeavorum.

§. M L X V.

Cedrini] Adepti plurima commentati sunt de longaevitae, & tradiderunt tales sententias, quas aegere aliquis chemiae non peritus refutavit. Dicebant, & vegetabilibus, ex animalibus, (sed hoc minimi pretii esse) & ex metallis pariter educi posse *Ens primum*, sive spiritum Retortorem. Inter vegetabilia annosissima est illa Larix, quam Cedrum Libani vocant, neque enim vermes timet, neque cariem, vasta arbor, quae in Chelsejano horto (I. G. Sheldoniano Oxoniensi) quinquaginta passuum ambitum umbra sua protegit, & continuo crescit. Hanc nunc arborem solum ex arboribus Paradisi superesse credebat HELMONTIUS, neque ullam

noviter nasci; (quod falsum est, prodit enim ex seminato), sed totidem hodie superesse, quot ante diluvium creatae fuerunt (& ex iisdem, & arcam NOAE, & arcam foederis factam fuisse 1732.) Hujus Cedriens primum, eductum ope *αωδ* *alcabest*, & in liquorem lactiformem praeparatum, dicebant corpus humanum usu suo aequae longaeum in sua specie facere, quam inter arbores cedrus est. Verum haec cedri longaeuitas facultas est semini a creatore insita, neque habitat in humore cedri, aut spiritu. Nos vero Cedrum non fecimus, sed factam accepimus, neque possumus ex ea vim eximere, quae in idiosyncrasia fundata latet, tam in solidis, quam in fluidis partibus.

Proprietatis) Quod proprietatem producendae vitae possideat. Hoc medicamento fretus, promittebat PARACELSUS, se ad annos Methusalemi victurum, tunc vero deliberaturum, an placeret diutius in vivis manere. Verum non video illos adeptos longaeuitatem esse. Ipse PARACELSUS anno aetatis quadragesimo septimo extinctus est, HELMONTIUS sexagesimo septimo, ad eam vero aetatem plebs etiam inter computationes pervenit. Solus LULLIUS supra octoginta annos natus dicitur a barbaris occisus fuisse, dum Religionem Christianam promulgat.

Metallis] Dicebant chemici, causam esse, quare aurum simplicissimum & idem constantissimum sit inter corpora, & a paucissimis corporibus erodatur, posse vocare ens primum; aut spiritum rectorem auri. Hanc causam fixitatis concentratam, volebant educere per dissolutionem auri, deinde ad corpus humanum applicare, & sociabilem reddere naturae nostrae, & elementis tenuissimis radicalibus corporis eandem inspirare constantiam, quae in auro est, ita corpus vel immortale reddere, vel certo longaeuissimum. Inde illae laudes auri potabilis. Causa erroris est, quod omnem formarum sedem unice in humoribus ponerent: verum causa firmitatis auri est in constructione solidorum elementorum auri: Neque quidquam sapientius consilium dederunt, quam ille, qui leporum carnes adsumeret, ut velox fieret cursor.

Juvenis] ARTEPHIUS aliquot exiguos libellos reliquit *de lapide philosophorum*, egregios certe, quos chemici pro oraculis venerant, quia non intelligunt. De hoc viro narrant, eum invenisse magnetem spiritus humani, tunc eduxisse spiritum vitae ex juvene, cui ad hunc finem mori necesse fuerit: deinde, cum in provecitissimum senium vixisset, vitae pertaesum hanc tincturam modice volatilem lagenulae inclusisse, ipsum vero se in sepulcrum abdidisse, ibi subinde aliquid de tinctura vitalis naribus haurire, tantum, ut ad vivendum satis sit, ita jam supra mille annos vixisse. Hoc utique certum est, vim sani corporis posse transire in corpus effatum. Nam virgines, quae cum aniculis dormiunt, certum est consumi, vetulas vero melius inde habere.

Animalium) Qualis cervus esse creditur: verum carnes cervinae durissimae sunt, & nocere potius videntur, quam ad longaeuitatem praeparare.

Hellebori] Hanc plantam *Dauram* vocavit PARACELsus; quod ad scopum n. MLXII. idonea sit, corpus enim ab omni labe purgatum sperabat longaevissimum fore. Prudenter hic HELMONTIUS, contra chemicos stetit. Nempe oportet artem nosse, qua corpus exhaustum novis, bonisque humoribus repleas: ita MEDEA AESONEM quidem vetustis succis detractis juventuti reddidit, PELIAS autem male periit, quem exhaustum sibi ipsi reliquit.

Sigillatorum) Adepti dicebant, in omni creatura CREATOREM fecisse marem, feminam, & semen. In eo semine scintillulam minimam latere, quae totam molem dirigat, & faciat, ut hoc ens, neque aliud ex semine nascatur, hanc scintillam a NATURA obsignatam esse, tanto firmitus, quanto constantiorem oporteret vitam esse entis, quod ex eo semine nasceretur, omnium ergo firmissime in auro obsignatam esse. Ergo oportere arte chemica ens primum resolvere, per idem ens, unde concreverit, v. g. spiritum rectorem cinnamomi per aquam, tuncque sperabant medicamentum se habiturum, eandem cum homine firmitatem communicaturum, quae in auro est, cujus ens primum praeparassent. Ego vero credo, si auri firmitas homini conciliari posset, aeternum quidem fore, sed perinde uti aurum immobilem. Statuam facerent ex machina.

§. M L X V I.

Adeo] Perpetuum mobile durat, quandiu ipsa materia superest, se ipsum tamen agendo adterit. Corpus humanum autem ita factum est, ut se reficiat eodem tempore, quo deteritur: id vero nulla potest machina, neque poterit unquam. Verum & ipsum corpus humanum ultimo se ipsum destruit, omnia enim, quae in rerum natura novimus, corpora habent principium suum, & fastigium, & declinationem, neque naturae cursum licet invertere. In Britannia visus est homo provectissimae aetatis, qui centesimum, & quinquagesimum annum superavit vivendo, neque nota sunt certa exempla hominum, qui nostro seculo ad majorem aetatem pervenerint. Sumatra, & Java dicuntur senes alere ducentorum annorum. [130. 149. 1732.] Caroli M. armiger, cui nomen faciunt Johanni de Temporibus, dicitur tercentis annis vixisse, & intus melle, extus oleo corpus conservasse: haec tamen historia fabulam sapit, quis enim testis fidem fecerit de remotis seculis? neque enim ulli sodales tali seni supersunt; & non sine magno labore a CAROLO II. Britanniae R. effectum est, ut illius sesquiseularis senis, nomine PARRY, aetas adfereretur, neque forte effectum fuisset, nisi certo anno in archivis testem fuisse repertum esset, cum ex legibus Regni notum sit, ante definitum annorum numerum non potuisse pro teste admitti. Hic Leidae homo vixit, qui seculum decimum septimum nasci viderat, & finiri, semper sanissimus: interrogatus, quibus artibus ad tantam aetatem pervenisset, solebat respondere, ea methodo, quam nobis imitari, moderatione, & sobrietate.

1067. **U**ltima haec pars Institutionum Medicarum docet praecepta generalia, quae tradunt, quomodo in ipsa curatione aegrorum Medicus absolvere queat quatuor haec munera, 1. conservare vitam. 2. Tollere causas morbi. 3. Auferre ipsum morbum. 4. Abigere effectus morbi praesentes.

1068. Ut quatuor haec (1067.) perficiantur, corpus aegri arte mutari debet; quare requiruntur instrumenta, quorum applicatorum efficacia mutationes necessariae his peragendis excitentur; illa autem vocantur auxilia, remedia juvantia, vel medicamenta.

1069. Haec autem remedia sunt applicanda unicuique aegrotto singuli ita, ut in eo fiat mutatio necessaria (1068.); quare Medicus scire debet primo quidnam in eo debeat mutare, atque deinde quibus auxiliis ad haec uti; ideoque & nosse debet effectus, qui ab applicatis his in hoc aegro sequuntur; quae ambo tantum potest discere ex iis, quae in hoc aegrotante ipsi innotescunt ita certo per sensus, aut per accuratum ratiocinium, ut inde perspiciat actionem quaesitam, & auxilia.

1070. Ipsum illud, quidcunque demum sit, quod sic deprehensum in aegro mentem Medici ita instruit (1069.), vocatur Indicans: sed intellectus Indicantis in Medico natus, appellatur Indicatio; id vero, quod cognoscitur agendum, dici solet Indicatum.

1071. Indicans (1070.) proinde poterit esse omne id, quod cognoscitur in aegro, vel circa eum, praesens, praeteritum, futurum, ita ut hanc cognitionem (1069.) pariat, quare id ipsum multiplex invenitur.

1072. Tamen omne id (1071.) revocari potest 1. ad vitam in aegro superstitem, ejus causas, naturam; sequelas, gradus. 2. Ad morbum in eo praesentem, ejus causas, indolem, sequelas, symptomata.

1073. Etenim ex omnibus his (1072.) discit Medicus 1. quid sit agendum, ut fervetur vita praesens; ut reficiatur labefactata; ut illa tollantur, quae vitam destruere, vel immi-
nuere,

nuere, possent. 2. Quenam sint eligenda huic operi instrumenta, quomodo haec adaptari, applicari, certo ordine, & tempore, debeant.

1074. Illa tandem pars Therapeutices, quae tradit regulas, quarum demonstratione deteguntur Indicantia (1070.), & Indicata (1073.), vocatur Methodus Medendi. Cujus jam sequitur brevissimum compendium.

§. M L X V I I .

Haec ars docet regulas, quarum usu medicus prudens detegit, quid sit faciendum, ut vitam conservet morborum causas inertes reddat, & morbum, ejusque effectus tollat. Et de hac parte artis medicae voluerunt Academiae fundatores, ut in examine candidati rigidissime explorarentur.

§. M L X V I I I .

Medicamenta] Sunt instrumenta, sive corpora physica, per quae adplicata corpori, Medicus corpus ita mutat, ut sanum fiat ex aegro.

§. M L X I X .

Applicanda) Medicus scire debet, quid mutare oporteat, & per quam media, & qua methodo. Debet nosse effectum medicamentorum; nihil enim auderet moliri, nisi praevideret, quid ex curatione sua secuturum sit. Ars enim tota versatur circa futura, quod ipsum eam difficiliorem reddit.

Aegroti) Haec signa debent ab ipso praesente aegro peti, non ex generalibus institutionibus medicis: nam istae, quando ad singulares casus adaptantur, fallunt saepe. Sit casus, qui indicet emeticum, poterit fieri, ut datum hominem occidat, si medicus ad idiosyncrasiam peculiarem aegri animum non adverterit. Dantur enim, qui a vomitorio medicamento continuo convelluntur.

§. M L X X .

Indicans] Est conditio physica in corpore humano praesens, praeterita, futura, ex qua disco, quid in praesente casu agere oporteat, vel num maxime, vel in futurum.

Indicatio] Notitia indicantis, sive eorum cognitio, quae ex cognitione indicantis, & nunc, & in futurum agere oportet.

Indicatum] Id, quod secundum leges artis, ex notitia indicantis, & indicationis, agere nunc oportet, & deinde oportebit.

§. M L X X I.

Circa] Non tantum in ipso aegro, quod methodicorum non bonum consilium fuit. Nam indicatio petitur ex omni, quod scitur posse in aegrum aliquid agere. Sit aeger, qui ex variolis decumbat, & pone me scire posse ex astrologicis, aut physicis, crastino die ingentem aestum futurum, deberem utique ex hac observatione, utcunque aliunde petita, discere, quid agendum sit, ut praeventatur noxa, quae alioquin ex hoc aestu aegro imminet.

Praetervitum) Si noverim aegrum alcohol copiose adsumsisse, inde discō, quid mihi faciendum sit.

M E T H O D U S M E D E N D I .

1075. **I**N omni aegro vita superest, tum causa vitae, ejusque effectus; vocantur haec Res Naturales, res secundum Naturam, & saepe Natura ipsa.

1076. Quum vero vita semper agat, erunt in aegro superstites aliquae actiones, quae & sanitatem prius comitabantur, & ideo possunt censerī reliquiae sanitatis prioris, effectusque vitae praesentis, quae nomine Virium donari possunt.

1077. Quae rite examinatae deprehenduntur pendere a motu humorum per vasa superstite, qualiscunque ille fuerit.

1078. Ille autem reductus ad minima possibilis, saltem adhuc ponit circularem motum humorum per cor, pulmones, cerebellum; in quo consistit ergo vis minima vitae; quae etiam variis gradibus augeri inde potest.

1079. Patet quidem evidentissime haec (1075. ad 1079.) Medico deprehensa, & cognita, in aegro, requirere sui conservationem, atque restitutionem in integrum. Quae cognitio etiam appellatur Indicatio vitalis, vel conservatoria.

1080. Causa cognita morbi indicat correctionem, vel ablationem sui. Censetur causa prior effecto; ideoque Indicatio
haec

haec vocatur Προφυλακτική, vel Praeservatoria, utpote eradicatione causae morbum futurum praeventens.

1081. Morbus vero ipse perspectus indicat sublationem sui. Quae Indicatio vocatur Curatoria, vel Θεραπευτική.

1082. Symptomata denique cognita, si dant plus periculi, vel molestiae, quam ut curatio eorum queat differri eousque, donec morbus, unde pendent, sanatus sit, indicant sui mitigationem, & curationem singularem; diciturque haec Indicatio urgens, vel mitigatoria, aut palliativa.

1083. Unde jam constat non posse indicari bene agenda, & actura, nisi cognita prius vita, hujus causa, statu, viribus, effectis, tum & perspecto prius morbo, ejus causa, statu, viribus, effectis.

1084. Item indicari prius quid agendum sit, deinde autem per quae, qua dosi, conditione, tempore, ordine, &c.

1085. Quum vero omnia haec (1083.), singula sint in uno, eodemque aegro, ita ut singula quaeque singulare quid indicent agendum, atque etiam dicent singularia auxilia adhibenda esse, accidit saepe, ut unum horum aliud quid indicet, quam quidem aliud, imo quandoque requirat contrarium quid agendum, aut oppositum remedium, quam quod requirebat alterum indicans. Hinc itaque nata est utilis illa, & celebris doctrina Indicantis, contraindicantis; repugnantis, permittentis; coincidentis, correpuignantis; quae sane ex dictis facillime intelligitur.

1086. Quando itaque contingit contraria hujusmodi (1085.) simul occurrere Medico, praesto sunt Axiomata Medica, quae determinant quid eligendum sit ex dubiis, itaque tollunt aliter hinc orituram difficultatem: primaria sunt.

1. Quidquid indicat in aegro, id petit conservationem, vel ablationem, sui.

2. Quidquid in aegro deprehenditur secundum naturam, id conservationem sui semper requirit.

3. Quidquid in aegro deprehenditur contra naturam, id ablationem sui jubet.

4. Constat iis, quibus nutritur, corpus.

5. Simi-

5. Similibus conservanda similia.

6. Causa curans per remedia morbos est vita superstes, & propria cuique temperies, illa deficientes iners medela.

7. Ergo ubi aequae urget Indicatio vitalis, & simul alia quaelibet, erit tum semper satisfaciendum priori.

8. Sed ubi Indicatio impar simul urget, tum semper erit satisfaciendum maximae.

9. Juvantia, & nocentia, praecipue indicant.

10. Contraria tolluntur contrariis.

11. Natura gaudet consuetis, aegre fert insolita quaeque.

12. In maximis malis cito, & semel, tentanda summa remedia.

13. In mitiori malo sensim, & repetendo, danda remedia leniora.

§. M L X X V.

Aegri Vita perfectissima est facultas omnium actionum naturae: vita vero morbosa est facultas exercendi aliquas functiones humanas, quae in aegro homine superest.

§. M L X X V I.

Agat) Morbus semper seipsum sanat. Nam Morbus est illa vita imperfecta, quae de perfecta superest. Hanc ipsam naturam vocavit HIPPOCRATES, alii vires, nempe potentias generandi motus.

§. M L X X V I I I.

Hinc intelligitur vita minima. Homo in syncope jacet, vix perficitur sanguinis circulatio, cor tamen haecenus palpitat, nondum adeo mors est. Adspargite faciem frigida, augebitur elasticitas vasorum, hinc suscitatur sanguinis motus, & aeger ad se redit. Vita vero maxima est calor auctus, a violento motu, aut in febrili pulsu.

§. M L X X X.

Causae) Tunc non quidem ipsum morbum curo, nam causa, certo ordine cogitandi, effectus prior est. Sed praevideo, quid eventurum sit, ex iis, quae nunc praesentia adsunt, & noxam inde orituram occupo. Hoc vocamus praecavere morbum.

§. MLXXXII.

Palliativa] Curanda est febris ardens: ago in ipsam causam morbi, five adtritum nimium, ex quo secuturam gangraenam prae video. Haec sanatio potest pro prophylactica haberi. Quando vitam victu sustineo, dicitur curatio conservatoria. Si vero inde tanta haemorrhagia oriretur, ut mortem inde metuerem, deberem tunc omnia relinquere, & admovere vitriolum, ut effluxus sanguinis reprimeretur.

§. MLXXXIII.

Vita] Si nihil medico agendum esset, quam addere aliquid, aut auferre, tota quidem ars per ludum disceretur. Sed & apponendo noceri potest, & removendo: & in eodem morbo, diversis temporibus, aegri ejusdem, vel eodem tempore ejusdem morbi in diversis hominibus alia, & alia curatio requiritur. Ergo oportet distinguere, quid nunc noceat, quid nunc proficit. Nunquam quidem eo empiricus pervenit. Medicus, omnia ea doctus, quae nostro saeculo sciri possunt, potest aequè firmiter, & confidenter de rebus a se gestis respondere, ac juris consultus rationem actionis suae ex Digestis dare didicit. Vulgus autem medicorum, prae oscitantia, vel ex oppressione nimiorum laborum, errant quotidie. Ita ipse Ego, cum sim homo occupatissimus, saepe video ex postliminio ME temere, & negligenter egisse, idemque fatebuntur de se ipsis, quicunque curationes suas scripto consignant.

§. MLXXXV.

Repugnantes) In peripneumonia notha indicat oppressio pulmonum, sanguinis vim impellentem, & infarcientem, & brevi suffocaturam: hae causae indicant venae sectionem, quae revellat. Verum repugnat morbi natura lenta, quae sanguine subtracto augetur. In hujusmodi bivio id semper praefendum est, quod ad vitam magis necessarium: nempe hic mitti sanguinem oportet, ut avertatur imminens suffocatio, & tempus acquiratur pro resolvendo viscido. In alio casu homo vulneratus haemorrhagiam passus, debilissimus est: medicus obvius commendabit forte potum boni vini, quo vires recuperet, sed cautior alter monebit, non movendas esse guttulas illas sanguinis, ne redeat haemorrhagia, neque adeo vinum exhibendum. Tunc idem vulnus indicat contraria. Hoc in medicina maxime terribile est. Da vinum, aeger sanguinem omnem amittet: non da, peribit forte per animi deliquium: & tamen ex continuo petendum est consilium, nam in morbis, praesertim acutis, nulla dilatio locum habet.

§. MLXXXVI.

§. MLXXXVI.

Naturam] Maxime secundum naturam est vis vitae, neque tamen semper conservanda est: quamprimum enim aliquid magis urgens contraindicat, minuenda est vis vitae, ut in futurum restituatur. Exemplum in Pleuritide notum est.

Contra] Ut sanguis effluens ex naribus fisti possit, vena in alio loco secanda est.

Nutritur) Id enim omne, quod vocamus nos ipsos, fuit aliud corpus, quod nunc in nostram naturam mutatum est. Olim fuimus grano fabuli minores.

Vita superstes] Ergo ars nostra non in morbum operatur, sed in vitam: eam HELMONTIUS archeum dicebat, in eum adeo archeum medicina agit: pone enim liquida humana non fluere, subito omnis occasio medendi ablata est. Quamprimum vita amissa est, nullum superest medicamentum, cum nullum in cadaver operetur. Ergo manifestum est, in contrariis indicantibus ea media oportere eligi, quibus vita conservatur.

Simili] Sanguis reparatur sanguine, lac lacte, blanda blandis, acris acris.

Contraria) Non iis, quae praesenti morbo contraria opponuntur, sed iis medicamentis, quorum effectus in futurum causae morbi contrarius est. Ergo male hoc dogma PARACELSI irridet, & HELMONTIUS, quod v.g. homo congelatus occidatur, si continuo eum foco admoveris, & e contrario calor vitalis renovetur, si aqua frigida ablueris. Non considerant, frigus morbosum etiam in hoc casu debere per calorem conservari, & remedia, quae calorem renasci faciunt, quaecunque demum fuerint, tamen certe frigori contraria esse. Quando in febre ardente frigus naturale restituere oportet, non ideo aquam frigidam dare oportet, verum talia, ex quibus postea refrigeratio sequatur.

Insolita] Utinam haec ubique praesens oculis haberemus! In museo quidem gubernamus, non in crasi aegri: ex aegro tamen oportet docere, quae sint agenda: non enim omne novum semper optimum est, sed id, quod naturae congruit. Qui diu vino adsuevit, etiam in morbo vix potest vino integre carere. MITRIDATES, dum insidias novercae timet, antidoto suo eam consuetudinem acquisivit, ut impune ferret omnia venena eo tempore cognita; quae denique felicitas ipsi in calamitatem cessit; gladio enim se confodere coactus est, ut triumphum effugeret, nihil proficientibus venenis. Indica mulier ita adsueta fuerat veneno vehementissimo, ut exhalaret undique auram venenatam, & per concubitum occidere posset amantem, ipsa interim libera, vigenisque hanc occidendo ALEXANDRO destinaverunt.

Leniora] Nunquam in parva mole magna remedia adhibere oportet. Hac ratione conciliabantur duo celebres medici Amstelaedamenses, quorum alter FABII instar cunctatoris, omnia timide agebat, & ex pro- pinquo: audacior alter urebat, secabat, tentabat extrema quaelibet. Singuli adhiberi saepe negligebat alter, fata praecipitabat alter. Con- juncti vocati dabant optima consilia, cum phlegma bilem temperaret.

INDICATIO VITALIS.

1087. **V**itae conditio cognoscitur, perspectis ejus viri- bus.

1088. Hae innotescunt per effecta in aegro edita.

1089. Quae sunt exercitationes superstites functionum adhuc permanentium.

1090. Hae autem sunt propulsiones humorum per vasa, & viscera.

1091. In quibus ergo requiritur copia debita humoris apti, & hujus per ipsa vasa actio continuata.

1092. Vasorum actio unice pendet a contractione illa fibra- rum, qua hae ab humore transfluente distractae, & in arcus distentae, se accurtant, in lineas rectas disponunt, versus axin suae cavitatis accedunt, humores propellunt contentos: adeo- que hae sunt proprie vires vasorum varie determinandae pro figura illorum.

1093. Patet autem has requirere vim elasticam, & contra- ctilem, fibrae, quae renitatur suae distractioni.

1094. Atque simul exigunt in majorum vasorum membranis vasculosis influxum humoris tenuissimi acti in vascula minima nervosa, & in alia, alterne ad pulsus humorum crassiorum per vasa maxima.

§. M X C.

Propulsio] Integra vita est unice distributio aequabilis liquidi vitalis per vasa omnia. Quando homo, omnibus conditionibus ad vitam con- servandam instructus, brevissimo tempore sub aqua demersus tenetur, sic ut omnia eadem maneant, motus vero cordis, & pulmonum desit, tunc & sanitas, & ipsa vita pereunt una.

§. M X C I.

Apti) Ut nempe in humore ad cor ingresso sint partes omnes, quae requiruntur ad replenda omnia in corpore humano vasa,

§. M X C I I.

Contractilem) Nequit ista subsistere, absque humorum motu, neque motus humorum absque elasticitate vasorum. Haec nihil aliud est, quam conatus, ut reddant se minora, inde vero necesse est humores promoveri. Neque unum absque altero potest fuisse, sed utrumque necesse est factum esse ab ea causa, quae omnia simul praevидit: adeoque corpus humanum non mechanice fabricatum, sed ab ENTE omnipotente, simul omnia faciente, constructum est.

§. M X C I I I.

Fibrae) LEEUVVENHOECKIUS, & RUYSCHIUS demonstrant, vasa majora constare membranis, has habere sua vasa, & hanc progressionem pergere, donec veniatur ad vas ultimum inter cognita, nempe nervulum.

§. M X C I V.

Scopus est, ut liquor adfit, ea copia, & ea qualitate, quae requiritur ad motus omnes perficiendos: & ut vas elasticum sit, motumque, qualis requiritur, liquido imprimat.

CARDIACA, ET DIAETA AEGROTI.

1095. **Q**Uum vero cor sit causa princeps omnium illorum motuum, unde vires vitales aestimantur, hinc auxilia indicationi vitali satisfacienda jure quodam vocantur Cardiaca, licet soli cordi proxime non inserviant.

1096. Varia quidem haec esse invenies, sed tamen reduci posse, & debere, ad aliquas classes; nempe 1. nonnulla restitunt in corpore copiam requisitam humoris sani, vel illi quam proximi. (1091.) 2. Alia autem infundunt fibrosae com-
pagi

pagi vires roboratas , atque conciliant iis requisitam elasticitatem. (1092. 1093.) 3. Et quaedam augent copiam ; & motum humoris nervosi , ut repletis vasculis minimis roborentur vasa tam majora , quam minora. (1094.) 4. Denique ultima stimulant fibras motrices , atque sic movent vasa inertia , & humores stagnantes .

1097. Ad primam ergo horum classem (1096. 1.) refero liquores , qui sunt 1. praediti facultate nutriendi corpus ipsius aegri. Et 2. ita praeparati prius , ut non indigeant iis motibus manducationis , digestionis gastricae , atque intestinalis , qui in aegris debilibus , & exhaustis , vel deficiunt , vel nimis tarde operantur . Ex tali materie constant , quae sponte sua non putrescat facile , dum scilicet deficit vis expellens satis cito , quia debiles jam sunt actiones viscerum ; aut dum in corpore assumtis admiscetur aliquid humoris morbosus , & saepe putrefacti , saliva , bilis , aliudve quodcumque fuerit . 4. Et denique ne sint talis indolis , quae similis humoribus in aegrotis corpore forte morbosus , eorum malignitatem , sicque causam saepe morbi foveat , augeat , ejusve symptomata excitet .

1098. Tale Cardiacum (1097.) indicatur dandum a defectu virium una cum signis exinanitorum vasorum quibuscunque .

1099. Materies autem singularis in hoc Cardiacis requisita cognoscitur , si Medicus primo noverit accurate indolem propriam humoris vitiosi , qui in aegro praedominans peccat ; tum enim eligenda est ea materies Cardiaci , quae opposita sit illi detecto vitio : haec autem doctrina jam tradita habetur in Semjoticis (909. ad 920.) .

1100. Ergo , ubi humores vergunt in naturam alcalinam , (725. 757. 911.) tum materies Cardiacae haec (1096. 1. 1097.) optime petitur 1. ex decocto bene maturato feminum frumentaceorum lenissime prius quodammodo tostorum , cum aqua pura longa coctione praeparatorum , ut fiat inde ptisana levior , flos meracior , vel cremor paullo spissior , aut plus crassior , Graecorum ; aut ex similibus praeparatis ex mica panis cum aqua , ut sunt panadae , vel panatellae , Italicorum , varia pariter spissitate differentes ; vel Britannorum , & Germanorum , talia fa-

Ita ex avena celeberrimo usu laudatissima: inserviunt his omnia semina frumentacea, & leguminosa, sic praeparata (1034. 1. 2. & 53. parte priore), & emulsa, vel decocta, amygdalarum, pistachiorum, papaverini seminis, &c. 2. Ex fructibus bene maturis, gratis, acidodulcibus, maxime succulentis, recentibus, aut in saccharo conditis, vel in gelatinam versis cum aqua coctis, & cum pauxillo panis incocti deinde praeparatis; talia hic apta sunt poma acidula, vinosa; Cydonia matura; Aurantia Indiae Occidentalis, & Lusitanniae; pyra acidula, vinosa; Persica; Armeniaca; Pruna matura, ficcata, Gallica, Hispanica, Damascena, acidodulcia; cerasa; mora; uvae; uvae passae; Rebesia, Rubi fructus; Baccae vitis ideae, sambuci, ebuli; fraga, &c. 3. Ex fructibus, pulposis, mollibus, similiter diuturna coctione in aqua resolutis, atque deinde condimento sapidiore gratioribus redditis; cui apta censentur operi poma, cucumeres, cucurbitae, melones; & cinarae capita. 4. Ex Oleribus lacteis, blandis, acidulis; Brassica rubra; Rapa; Intyba; cichorea; portulacae; acetosae; Scorzonerae; Tragopogona; Sifara, huc spectant. 5. Lac animalium solis herbis pastorum; ejus serum; lac defloratum; flos, lac acidum; lac ebutyratum, & similia.

1101. Quorum quidem omnium (1100.) delectus, praeparatio, condimentum, copia, occasio adhibendi, ordo offerendi, indicantur ab aetate, sexu, temperie, victu consueto; causa, morbo ipso, statu morbi, duratione ejus praeterita, & futura; symptomatibus, anni tempore, coelo, & similibus, quae circa aegrum adfunt.

1102. Si autem indoles acida (912. 760. 725.) deprehenditur praedominari, tum Cardiaea haec (1096. 1097.) petenda sunt ex familia animalium (1034. 5.) quorumcunque salubrium: quorum tum partes firmiores diuturna, sed levi, coctione cum aqua resolvuntur in jus tenue, meracius gelatinam, consummatum, vario gradu tenacitatis differentia: ova eo referuntur; & quae ex his binis varia compositione nata habentur. Optima hic quae aliis animalibus pascuntur.

1103. In usu eorum (1102.) observanda iterum omnia, quae modo recensita (1101.)

1104. Si

1104. Si muriatica acrimonia praestit (913. 760.), conveniunt descripta (1000. 1102.) salis condimento orba.

1105. Ubi autem peccat oleosum acre (761. 762. 765.); eadem (1104.) dempto oleo, & pinguibus, dilutiora profunt.

1106. Quin etiam facile apparet, quibus utendum sit in temperie nimis fluida, aut crassa, humorum: quum praesto sit materies in recensitis modo (1100. 1101. 1102. 1103.) ad hosce casus apta.

1107. Ad classem alteram Cardiacorum (1096. 2.) censentur pertinere illa, quae 1. fibrillis nimis flaccidis vasorum applicant partes illas, quae adhaerescerent iis, eas rigidiores reddunt: qualia sunt omnia, in quibus moderata virtus adstringens laudatur; quae sunt inprimis poma, & pyra, austriuscula, Cydonia, Punica; fructus leniter acerbi, corni, arbuti, mespili, omnis Myrobalani, glans quercina, Berberis, Myrti, Acaciae, Rosae, Sorbi, Hypocystidis; Herbae, Pentaphylla, Tormentillae, Lapatha, Plantago, Portulaca, Pimpinella, Bistorta, &c.; flores Granatorum, Rosarum; cortices Granatorum, Peruviani, Tamarisci, radicum Capparis, Myrobalanorum; succi Acaciae, Pruni sylvestris, Omphacii, Mastiche, Tus, sanguis Draconis, Lacca, vina Austera; terrestria, vel metallica, Boli, Rubricae, Cretae, Alumina, Vitriola, Chalybs. 2. Quae fibras corporis, resolutas a se mutuo vi austera compingunt in unam molem; qualia sunt omnia praecedentia, sed inprimis, quae valde acerba deprehenduntur; ut sunt vegetantia, & fossilia austerissima; fructus immaturi, vitriola calcinata, ossa acriter calcinata. Inprimis si juventur illa motu frictionis, &c.

1108. Indicantur talia (1107.) necessaria esse tum, quando adest magna debilitas in toto corpore, una cum pallore, frigiditate, torpore, colluvie serosa, flacciditate corporis notabili.

1109. Sed in exhibendis iis prudens requiritur cautela petenda maxime ex jam dictis (1101.); sed praecipue tamen ex consideratione certi experimenti hujus, quo scimus austera in primas vias nimis, in interiores difficulter, agere.

1110. Classis autem tertia Cardiacorum (1096. 3.) videtur con-

confistere inprimis in subtilissima parte animalium sanorum, juniorum, vegetorum, derivata copiose in corpus debile ex defectu hujus: fieri id videtur 1. inspirando exhalationes ex iis emanantes, dum fomenti instar applicantur corpori aegro 2. Sugendo lac ex ipsis uberibus. 3. Primo jure decocti carnis clauso vase parati assumendo. 4. Vaporibus odoratis, blandis, ut Croci, Jasmini, Citrii, Aurantii, Melissae, & similibus. 5. Vino fragranti, limpido, suavi, fatis volatili, & mobili.

1111. Cardiaca haec necessaria sciuntur, quando cognoscuntur vires deficere, simulque apparent evidèntia signa languoris ad omnes motus musculares, simulque valde impediuntur exercitia sensuum, inprimis vero si tum simul cernuntur signa clara humorum crassiorum per reliqua vasa. Hinc & alia intelliguntur.

1112. Ultima tandem classis Cardiacorum (1096. 4.) multiplex profecto admodum invenitur, quae ideo in varias subdividi debet doctrinae facilius ergo. 1. Itaque sunt succi recentés omnium illorum fructuum, in quibus gratus, acidulus, penetrans; sapor, atque reficiens, suavis, fragrans, odor, inest, simulque aliqua vis nutriendi. Primarii sunt Aurantium tam acidorum, quam dulcium, inprimis Curassavicum; Granatorum maturorum; Pomorum fragrantium vinosorum; Ananas; Melonum; Ceraforum sapidissimorum; Fragorum, Mororum; Baccarum Rubi Idaei; Uvae odoratae; Ribesiorum nigrorum; Prunorum acidulorum; Malorum Armeniacorum, Persicorum; & multa similia: quae in sicca, calida, debilitate sunt optima stimulantia. 2. Huc spectant odores diffusi vegetantium odoratorum, quorum suaveolentia est α . lenis, & fere unicuique tolerabilis, ut habentur Cortices Arantium, Citriorum, Limoniorum; flores Borraginis, Betonicae, Botryos, Buglossi, Croci, Jasmini, Liliorum, Ladani, Melissae, Melissophyli, Myrti, Philadelphiae, Sambuci, Sassafras, Hyacinthi tuberosi, radice Rhodiae, &c. vel β . acrior, & calidior, ut in Abrotano, Absinthio, Amomo, Agallocho, Anetho, Angelica, Aniso, Artemisia, Acoro, Cypero, Calamintha, Chamepiti, Cumino, Chaerophyllo, Caro, Coriandro, Carophyllis, Cin-

namomo, Cardamomo, Diſtamno, Galanga, Hyſſopo, Imperatoria, Junipero, Lavendula, Lauro, Macere, Mentha, Majorana, Maro, Maſtichina, nuce Myriſtica, Ocymo, Pulgio, Ruta, Sabina, Salvia, Serpillo, Thymo, Zingiberi, &c. quo & Gummi Ferulacea, & alia, reducuntur, Ammoniacum, Bdelium, Elemi, Galbanum, Myrrha, Opopanax, Olibanum, Sagapenum, Aſa foetida, Camphora, Styrax, Liquidambar.

3. Odores quidem plane ſingulares in multis mirificas ſtimulationes producentes, ut inveniuntur in Ambaro, Benzoino, Caſtoreo, Mosco, Styrace tam ſicca, quam liquida, Zibetha.

4. Ex his omnibus intra corpus receptis, ibique agentibus.

5. Numerofa hic eſt ſeries eorum, quae volatili, tenui, acri, ſtimulante, vi praedita nervos mire afficiunt, & reduci queunt.

α. Ad acida, ut ſunt vina, & aceta, tam ſimplicia, quam aromatica facta. β. Ad Spirituoſa dicta, ut ſunt omnes ſpiritus vegetabiles fermentatione parati ſimplices, vel aromatum odoribus repleti. γ. Spiritus alcalinos volatiles ſimplices, aut unitos Alcoholi, aut & oleis Aromatum. δ. Olea Aromatum ſtillatitia, vel preſſa. ε. Denique compoſita ex his innumerabilia pro arbitrio artificis, quo epithemata, linimenta, potus medicati, ſuffimenta pertinent: ut & huc referas aquas ſtillatitias aromaticas ſimplices compoſitas; Baſama odorata arte facta ſimplicia, compoſita; Elaeo ſacchara varia; Confectiones cardiacas nomen a primario accipientes; Spiritus aromaticos, oleoſos, compoſitos, cardiacos; ſales volatiles, oleoſos, aromaticos, ſpirituoſos, admodum varios; Tincturas cum alcohole paratas ex fragrantiffimis quibuſque aromatibus: & multa ſimilia pro cujuſque genio inventa.

1113. In uſu humorum omnium [1112.] maxima cautela opus: data enim in corpore, ubi humores haerent in vaſis non diſpoſitis ad facilem liquidorum transmissionem, excitant motum, qui tendit in deſtructionem citam. Itaque iterum attendendum ad omnes cautelas datas [1101.]

1114. Indicatur hoc genus Cardiacorum (1112.) a defectu motus circularis liquidorum orto ex ſola inertia fibrarum una cum humoribus blandis, vaſiſque transmittendo aptis: quae-

nam vero singularis species eligenda sit, docemur considerata indole mali peccantis, & Cardiaci adhibendi.

1115. Quin etiam patet simul jam actum esse de victu aegri ad curationem morbi requisito [1097. ad 1115.]

§. M X C V.

Hoc nomen datum est, non quod in cor immediate agant, sed ob effectum oblique cordis vires augmentem, & vitam conservantem. Latini cardiacae nomine morbum stomachi intelligunt. *Horatius* de avaro, qui prae turpi surditie nolebat edere, ait, *Non est cardiacus.*

§. M X C V I.

Restituant) Homo per vulnus amisit sanguinem omnem: morietur utique, nisi ex suppeditato alimento novum sanguinem simillimum prioris fecerit.

Vires roborantes) Si humores quidem boni fuerint, defecerit autem elater in corde, & arteriis, quiescent utique humores, & aeger vel animo linquetur, vel peribit.

Stimulando] Vis in nostro corpore insita est inexplicabilis, ut ad applicationem alicujus acrimoniae se contrahant omnia. Si fortissimus homo, dum, cum truculentissimo hoste dimicat, guttulam aceti oculo illapsam percipit, neque vitae certe cupido, nec robur impedit, quin oculum claudat invitus.

Stagnantes) Homo sub aquis mergitur, illico extrahatur; si tunc vim adplicuerim, quae faciat, ut diaphragma contrahatur, redibit ad vitam, qui mortuus videtur. Concutere oportet hominem quam fortissime, aërem vero valide per os; & nares impellere, more Afrorum, uti ex *M.S. didici*, & experimento *HOOKIANI* simili.

§. M X C V I I.

Non indigeant] Saepe actiones adeo debiles sunt, ut adsumta neque expellant, neque subigant, vel humores adeo corrupti, ut etiam cibos inficiant. Si bilis putrida in ventriculo haeserit, tunc ova, carnesque non convenient, quae ex contactu putridi putrescunt. In nidorosis rubibus obesorum, ab oleo abstinere oportet &c. Ea vero danda, quae recto cursu per mesenterium, & vasa lactea sanguinem adeant, & absque praeparatione per angusta vasa pulmonum transire possint. Ergo, quando indicatio vitalis urget, percurrere oportet has causas, & videndum, quaeenam species cardiacorum conveniat.

§. M X C V I I I.

Saepe vero debilitas a sola plethora est: tunc inanitio ipsa pro cardiaco est.

§. M X C I X.

Vitio] Prouti sal, vel oleum, vel bilis, vel alcali, vel acidum peccaverint, semper contraria eorum exhibenda sunt: Signa vero, ex quibus naturam dominantis vitii discas, supra in femejoticis dicta sunt.

§. M C.

Cremor] In Pleuritide, quando aeger debilissimus est, ut vix spirare possit, acuta vero febris pergit saevire, nihil potest cardiacorum exhiberi, neque dabit quidquam HIPPOCRATES, praeter aquam, in qua tostum hordeum coctum sit, ut tamen sero lactis non esset crassior. Deinde crassius exhiberi potest, quam serum lactis recens, & sic adscendi, aucta paulatim meracitate alimenti, donec veram pulvem propinare liceat. Eadem tenuiora, aut crassiora, pro aegri diversa indole concedebat HIPPOCRATES.

Panis] Itali loco hordei panem decoquunt, qui flatus non generet.

Avena] Britani fere solis carnibus vivunt, eorum juvenus floridissima est, iis nihil pene magis salubre est, quam avenae decoctum, quod facillime acescit, alcali subigit, & sanguinem diluit, neque putrescit unquam. Talia ipsa NATURA commendare videtur: offeratur homini acute febricitanti avicula delicatissima, horrebit ad odorem: sed offer nunc cerasa cum lacte ebutyrato, aut ceraforum succum, cum succo aurantii aqua dilutum, devorabit avide, & optime inde habebit. Avenam inter haec commendo, quod in morbo acuto id praestat, cujus natura est citissime acescere: nam avena hoc mane cocta, hora duodecima jam acida est, aceti similis. Caeterum etiam hordeum, oryza, & alia cerealia hic adhiberi possunt.

Fructibus] Omnia bona sunt, dum ita cocta sint, ut aer exeat, deinde panis micula, & nitrum, & saccharum addatur. Saepissime dedi in variis morbis acutis: & gratissima sunt aegris. Fructibus horaeis non aliud praestantius alimentum est in regionibus fervidis, Gallia citeriore, Hispania &c. Ibi homines in alcalinam indolem vergunt: his NATURA dedit medicamenti loco fructus horaeos, in regione minus ardente non proventuros, ibi vero semper maturitatem perfectiorem adepturos, ubi caelum maxime ardet. Hos fructus homines non hyeme, sed aestate appetunt; quando corpora putredini maxime obnoxia sunt. Videtis naturam hic pro medico esse, dare hominibus, quae prosint, & facere, ut

appe-

appetant, quando egent, nec appetant, quando iis carere possint.

Pulposis) Hi acescunt, fermentant, & humores mitigant. Nihil credo ad temperandam bilem, & in ardentibus morbis praestabilius dari posse, quam cucumeres, quos non video, cur adeo valde vituperent aegri.

Lac) Et lac facile acescit, serum lactis etiam magis, lac vero ebullitatum jam acidum est. Hujus serum per manicam colatum, inter sera subtilissimum est. In febre ardente, peripneumoniam, morbillis, variolis, nihil pulchrius est, quam hydrogala, sive lac triplici pondere aquae temperatum, vel lactis serum cum saccharo, ne acescat.

§. M C I.

Ordo offerendi) Nihil hic doceri potest, quod in omni causa conveniat. - Cruda vix soleo dare, quod flatu faciant, coctio vero expellit aerem. Ergo coquam pomam in aqua, addam vini paulum, aut citri succum cum saccharo, & in putridissimis morbis avenam cum sero lactis acidulo coctam.

§. M C II.

Animalium) Inprimis avium, quae vermiculis pascuntur, & quarum carnem luxuriosam vocant. Inter omnia, quae acido potentissime resistunt, ova sunt, nihil enim citius putrescit. deinde aves rapaces, perdices, attagenes, pisces, & eorum ova.

Gelatinam) Cave tamen, mentalia debili ventriculo offeras: nam magna demum vi vitae superantur, & nisi haec adfit, in gluten abeunt. Vulgi error est, haec eo magis roborare, quo meraciora sunt, & certum est debili ventriculo magis profutura esse, si decupla aqua dilueris.

§. M C I V.

Muriatica) Utatur fructibus, aut recentibus carnibus.

§. M C V.

Dilutio) Qualis fit ex aqua, cum succo presso cerasorum maturorum, & pauco saccharo. Eadem decocti, avenae natura est. Nescio, unde nomen venerit mortalium, saccharum, & mel biliosa esse: utrumque certe solo calore in acetum acerrimum abit. Non ignoro mel in Asia certis locis nigrum, & venenatum gigni. Sed hoc tribui debet plantis, ex quibus apes mel colligunt.

M C V I.

Fluida) Si nimis fluida, poma subaustera, vel pira darem. Si nimis crassa, solo succo recenter presso uvarum maturarum omnia in aquam dissolvam.

§. M C V I I .

In unum) Ita succus cydoniorum intra unicum momentum os mane saliva totum humidum exsiccat, dum vasa constringit, salivam adeo arceat adplicatione partium medicatarum, quae fibras admotae cogunt, ut fortius contrahantur. Ita ab uvis maturis diarrhoea producitur. Deinde vasa roborantur, quia fibrae corporis solutae, & distantes, in unam molem coguntur. Terra tabacaria, quae porcellana paullo crassior est, humentibus labiis adhaeret, ut vix separari possit, quin membranulam detrahat, extracto enim liquido fibrae vasorum propius ad se invicem accedunt. Idem facit ferrum frigidissimum, puerili experimento linguae adplicatum. Sed haec omnia prudenter adhibere oportet, cum valde nocere possint.

§. M C I X .

Prudens) Nam optima medicamenta imprudenti usu noxia fiunt. Vulgo laudatur in leucophlegmaticis austerorum usus, qui tamen resorbentia vasa, & ventriculi, & intestinorum constringit, neque ad sanguinem pervenit, adeoque unice in primis viis operatur, & si in sanguinem perveniret, moraretur sanguinis per minima vasa transitum. Praestat motus muscularis, & frictio, quae elaterem fibrarum languentem suppleat, & in humores ea ratione agunt, qua vasa sana. Haec methodus merito a GALENO tot laudes accepit, qui integrum de frictionibus librum reliquit.

§. M C X .

Sanorum) Homines debilissimi melius respirant in consortio multorum sanorum juvenum, quam ubi soli degunt.

Uberibus) Tunc ipsa femina sanum humorem pro lactente praeparat, neque lac sugitur, quale bibitur, sed plenum eo spiritu, quem solet exhalando amittere. Hoc remedio CAPIVACCIVS contabescentem Principem COLUMNAM, unicum nobilis stirpis conservavit, jubendo, ut delectae feminae, certo victu utentes, cum lactarent, consilio adeo felici, ut nunc post duo saecula stirps antiqua superstes floreat.

Vasa) Machina nempe PAPINI, ne spiritus avolent.

Mobili) Quando vinum maturum optimum in latam patinam effunditur, spargit odorem volatilem, diversum ab odore ejusdem vini, dum bibitur, quo exhalato, reliquum vappa est. Oportet tamen cautius haurire; nam odor vini Rhenani, Jasmuni, Mari, diutius hausti spiritus nostros veluti figere videntur.

§. M C K L .

§. MCXI.

Deficere) In febre ardente, ubi humores alioquin nimis celeriter circum obeunt, haec omnia nocent; tunc vero adhibere oportet, quando nervorum languor adest. Qui ex viso vulnere pallet, & animo linquitur, ei tamen vasa fortia sunt, & humorum abunde, & spirituum, solus motus deest. Sufficit ergo adspargere frigida, aut spiritum vini naribus offerre. Qui aqua submersi extracti sunt, reviviscunt etiam post septimanae sub aqua transactae tempus, si spina dorsi fricetur, rotetur corpus, & aer infusetur in os, & anum, teste PECHLINO.

§. MCXII.

Cura savaicum] Nunquam a pedra delporco, neque a bezoar adeo felicem effectum expertus sum, atque ab hoc pomo, cum succo expresso exhibito. Si recens tale pomum animo delinquenti sub nares obtuleris, subito vires recuperabit.

Odores lenes] Volatiles, quibus exhalantibus brevi omnis efficacia perit. Inter haec, suaveolentia intensiora, ut Hyacinthus tuberosus indicus, nocent fere hystericis, & viris debilioribus; his enim non languidum, sed nimis mobile est nervorum systema: foetida vero profunt, neque aliud pulchrius est, quam asa foetida, in pilulas formata, & ter quotidie exhibitae. Magnum medicum novi, cui pilulae pro arcano erant, ex asa foetida factae, cum pauxillo camphorae, & castoreo, multo mastiche, & aliqua vi terebinthinae. Quando femina inter conventus amicorum animo defecerat, dabat talem pilulam, granorum quinque ad quindecim usque, felici eventu; stimulus enim erat, idemque tenax, & diuturnus. Eaedem proficuae erant oratoribus alta voce ad populum dicturis.

Calidiori] Inprimis angelica: omnia vero vaporem volatilem exhalant, & tamdiu vires habent, quandiu hic vapor praesens adest.

Singulares) Viri moschum tolerant, feminae minime, etiam sanae. Zibethum mirum est excrementi genus: vidi Amstelodami cameras, ubi hoc animal adservatur, fere inebriatur, qui primum eas subit, femina vero tenerior certe animo linquitur. Idem de ambra verum est.

Vina] Rheana, mosellana.

Huc pertinet doctrina Adeptorum, qui docent naturam spiritus admirabili efficacia praeditos in quolibet corpore, maxime vegetabili posuisse, minimo volumine comprehensos, qui suscepti nostros spiritus stimulent. Verum iidem, monentibus Adeptis, nimia copia adsumti suffocant nostros, uti lux solis candelae lumen exstinguit.

Aceta] Ad deliquia animi ex prima graviditate, nihil pulchrius novi, quam acetum calefactum sub nares positum. Tutum est, & certo reficit,

§. MCXIII.

Destructionem] In adultis saepe maximum medicamentum cardiacum est ipsa debilitatio, quod saepe, neque unquam satis moneo. Homo juvenis, sanus, plethoricus, vino plenus, maxime si spirituosum fuerit, incidit in tantam debilitatem, ut pedibus suis se sustinere nequeat. Si dederis cardiaca jam recensita, augebis debilitatem. Si vero sanguinem miseris ad duas, vel tres libras, continuo vires redibunt. Haec enim, debilitas orta est ex maximo spirituum motu. Uti duae contrariae procellae se sustinent, & tranquillitatem faciunt in contraria urgendo, coguntque barometrum, ut ante tempestates altum sit. Quamprimum vero boreas austrum vicat, mox in regionem adversarii aer summa vi irruit.

ΠΡΟΦΥΛΑΞΙΣ ΘΕΡΑΠΕΥΤΙΚΗ.

1116. **M**Orborum causae (797. ad 801.) accurate cognitae per sua signa (871. ad 1012.) indicant sui ablationem, si ergo in partibus firmis haerere considerantur, requirunt ablationem destruentis, vel laedentis, externi, aut adunationem partium morbose separatarum, vel separationem, partium morbose unitarum, aut ablationem superflui, vel denique supplementum deficientis.

1117. Indicantia haec (1116.) occurrentia in partibus majoribus, & sensilibus, requirunt Chirurgiam, quae tota occupatur, ut per suas operationes manu artifice peractas, vel per sua remedia applicata, haec quinque dicta peragat. Ut videri potest apud optimos in his Auctores, *Paracelum*, *Hildanum*, *Solingen*, *Dionis*, &c.

1118. Si vero in interioribus haeserint eadem (1116.), aliis remediis, licet in operatione ultima similibus, sunt oppugnanda: inter quae, quum venena sint primaria, primo de his agendum erit.

§. MCXVII.

Talis inprimis elegantissima machina habetur depicta apud FABRICIUM ab AQUAPENDENTE, *σπλομοχλιον* vocat, in qua totum corpus humanum, per omnes articulationes artificiosa machina expressum habetur. Caeterum haec omnia ex Chirurgia oportet repetere, quae aut manus, aut medicamentorum ope mala externa sanat, male unita separat, separata conjungit, supplet quod deficit, & aufert superflua.

§. MCXVIII.

Interioribus) Vulnus musculo Ploae inflatum, vel idem, si in cavum corporis humani penetraverit, non differt in propria indole: discrimen vero facit, quod extus pus salutare, intus malum sit. Quid ergo faciam? emplastrum in externo vulnere adplicarem, quod labia sibi adplicata retineret, nunc non possum, vix ipsum sanguinem sistere licet. Sed ipsa natura facit, quod solent emplastra, roridum nempe spargit humorem, qualem per emplastra accrescere solemus, ardet aerem, & frigus, & efficit, ut non disturbata in sanando vulnere laborare possit.

Α Ν Τ Ι Δ Ο Τ Α.

1119. **V**ENENA velocia (796.) ingesta, vel applicata. (744. I. 4.) causae morborum factae vi propria, vel corruptione prius inducta partibus infectis, indicant
1. Causae venenatae ablationem; 2. Veneni jam suscepti, vel inevitabiliter suscipiendi, correctionem; aut ejus expulsionem ex corpore; 4. mitigationem symptomatum; 5. munitionem corporis contra vim ingerendi, vel applicandi; Veneni.

1120. Causa Venenum spargens, atque communicans corpori, vel atmosphaerae immiscens miasmata, vel corpori jam applicata illi miasmata inspirans, si sensibilis est, & cognita, facile aufertur. I. α, Tollendo rem venenatam, & quidem inprimis eam flammis vivis, magnisque, comburendo. β. Aerem corrigendo, qui miasmata defert; quod

fere optime fit vaporibus densis rerum accensarum , vel calefactarum , quae oppositam habent vim veneno cognito . Ut in peste , causticis , alcalicis , halitibus putridis , conducunt fumi aceti , spiritus falis , pulveris pyrii : in acidis exhalationibus venenatis , sparfi odores spirituum alcalinorum oleosorum . γ. Aerem mutando , dissipando , renovando , per ventum arte factum ; inprimis si simul per ignes magnos accensos transmitti queat arte Hippocratica . δ. Eum fugiendo , vel ad alteram partem montium altorum transeundo . 2. Tollendo , vel corrigendo , id materiae venenatae , quod corpori jam ingestum , vel & adplicatum est .

1121. Venenum ipsum praesens cognitum corrigitur applicatione talium , quae valent inertes reddere illas ejus qualitates , quibus nocet corpori .

1122. Quae 1. in multis venenis haecenus vix noscuntur , nisi deleteria tantum facultate vix patente , nisi per solam mortem infecti ; 2. in aliis deprehenduntur per mirabilia , & vix explicanda effecta ; 3. in nonnullis per effecta in aliis notis morbis occurrentia ; 4. denique in quibusdam intelliguntur a priori , quod ajunt , dum cognita veneni natura faecillime praevidentur .

1123. Priora (1122. 1.) dicta nocere toti substantiae haecenus indicant accurate opposita remedia , aequae parum intellecta , ac illa venena quoad scientiam effectus . Haec proprie vocantur Αντιδοτα , Αντιδοτοι , Αλεξικακα , Αλεξιφάρμακα , Αλεξιθήρια , Θηριακα . Quae sola experientia cognita ex historia Venenorum peti debent .

1124. Secunda (1122. 2.) dicta obesse qualitate occulta similiter exigunt remedia mira . Specifica dicta , vix nisi mero casu inveniendae , in historiam Venenorum referendae , inde petendae .

1125. Tertia [1122. 3.] antequam inferant , dum effectus prius morbosos producant , quibus ita corrumpitur fabrica corporis , ut in certis morbis cognitis , requirunt , ut adhibeantur illa remedia , quae Medicina observavit valere in sanatione talium morborum , qui similibus effectis se distinguabant .

1126. Si cognoscuntur venena (1122. 4.) applicata, vel applicanda corpori, tum vero opus erit illa medicamenta adhibere, quae habeant praesentem, promptam, vim enervandae malignitati illi cognitae, haec autem sunt quamplurimum opposita malignitate valida, ideoque nocitura corpori omnino, nisi illud prius venenum adefset.

1127. Unde cernimus veneni indolem cognosci quidem ex historia Physica, & Medica venenorum; ut & ex scientia Mechanica; tum ex Chemica; denique etiam ex Anatomica effecta exhibente. Atque Scientia hinc nata hic indicat.

1128. Atque ex illa habita indicatione (1127.) scitur remedii correcturi materies, praeparatio, dosis, applicatio, moderamen.

1129. Primaria autem, & fere communia, contra omnia ferme venena, Antidota, quae ideoque summi sunt usus, ubi cognoscitur venenum datum, sed ignoratur singularis ejus natura, sunt haec praecipue: aqua sincera; calidior paullulum sanguine nostro salubri, affatim, subito, diu, ingesta, injecta, applicata; tum lixivium leve, & ex aqua communi, & saponem veneto, simili copia, modo, tempore, usurpata; aut aqua simplex saponacea facta cum oxymelle simili usu adhibita; olea blanda, recentia, pressa ex lenibus, pinguibus, & farinaceis, seminibus, statim, multum, diu hausta, injecta, applicata, vel similia ex oleo animalium recentium cum multa aqua subito decocta; tum plerumque in multis celeribus Acetum; denique & Opium. Generale autem Antitoxicon prophylacticum nullum omnino cognoscitur hactenus, quin & repugnat tale esse.

1130. In dandis antidotis singularibus summa prudentia opus; quum enim haec polleant singulari virtute corrigendi hujus, illiusve veneni tantum, habent ut plurimum violentiam aequae magnam, vel majorem, ac est illa, quam debellant; ideoque haec simul concurrentia in corpore, se mutuo destruunt, inertia evadunt, nec multum nocent: si vero adsunt solitaria, aequae noxia saepe deprehenduntur, ac ipsa venena, quibus demandis exhibentur.

1131. Antidota autem haec omnia five universalia [1129.], five singularia (1130.), fuerint, possunt, & debent, ita praeparari, applicari, dirigi, ut apta sint cito; perpetuo, intactis suis viribus, pervadere ad illa loca, in quibus haeret vitus, atque ibi illud domare: debet ergo intelligentiae Medici semper praesto esse classis, quae complectitur omnes diversitates applicationum, quae primariae sunt aeris suffumigium; vapor ficcus, vel humidus, ad pulmones; Haustus; Clyfma; Epithema; Balneum; Fomentum; Iniecta in uterum, aut in vesicam, fauces &c.

1132. Venenum susceptum expellitur ex corpore 1. minuendo resistantiam eo loco, per quem tutissime expediri queat, ubi minus nocet, ubi exitui proximum habetur, ubi viscera vitalia minus laedit; tum enim vi Vitae, vel Medicamentorum, eo pelletur, ibi expelletur. Id fiebat olim mirabiliterum habito, jam industria RHEDI facile intellecto, suctu Marsorum, & Pfyllorum; hodie per cucurbitas magnas, validas, cum multa flamma applicatas, saepe renovatas, per fomenta tepida, & valde emollientia; per hirrudines; scarificationes; frictions; calores, emplastra. 2. Attractione magnetica, qua corpus vi singulari trahens venenum, aegrum liberat, ut de carne venenatae bestiae, de lapide Ceraftis, calculo serpentum; & similibus, narratur. 3. Omni medicamento validissime diluente, & movente; qualia sunt vomitoria cita, purgantia celeria, fortissima sudorifera, & forte diluentia diuretica. Unde Diacordia, Mithridatia, Theriacae, Orvietana, Confectiones opiatae, profunt, quibus tamen minus tuto fides adhibetur, ut universalibus vel Therapeuticis, vel Prophylacticis, antidotis. 4. Partem toxico affectam, quam ocysime auferendo, ne sincera trahat, quod caustico ex ferro ignito optime fit.

1133. Symptomata saeva, venenorum effectus jam sensibiles, juxta doctrinam pathologicam non difficulter reducuntur in suas classes; tumque poterunt curari ac si essent morbi quidam singulares; de quibus postea agetur.

1134. Corpus munitur contra venena applicanda inprimis
1. Ufur-

1. Ufurpando largiter Antidota generalia , & singularia , quae modo tuta sint ; si prius cognoscitur indoles ejus toxici , quod praevideatur applicandum . 2. Partem corporis , cui metuitur , inungendo iis , quae leniter oleosa . 3. Omnes partes corporis retinendo in perspiratione aequabili : sed nullum tutum hic universale cognosci jam dictum (1129.) licet jaudentur plura .

1135. Quae autem de venenis haecenus (1119. ad 1135.) dicta , similiter intelligenda sunt etiam de peste , contagio , & aliis . Videntur autem optime dicta intelligi ex subsequenti praecipuorum toxicorum , & antidotorum forte non inepto compendio .

1136. Enimvero . 1. Nonnulla venena possunt referri ad acria manifesto , sed ita ut acrimonia singularis sit , & tamen phlogistica , caustica , gangraenam creans , putrefaciens : talia sunt primaria . Coblatum , Arsenicum citrinum , Arsenicum rubrum , Arsenicum album sublimatum , Realgar , Lapis Armenus , Lapis Lazuli . Haec applicata interne , externe , inflammant , erodunt , dolores , ardores , siccitates , primo in primis locis laesis , mox in toto corpore , excitant ; hinc ori , faucibus , oesophago , ventriculo , intestinis , morbos acutissimos inflammatorios creant ; nauseas , vomitus , dysenterias , choleram , ileum , inflant ; palliditatem lividam producant ; inde vertigines , convulsiones , mortem , aut hac evitata ; pallorem , paralyfin , contracturam . Indicant aquae tepidae , acidiusculae , mellitae , copiosum , diuturnum , bibendo , injiciendo , balneando , usum promptissimum . Si vomitu , & alvo rejici potest , eo melius , & magis repetendum . Jura pingua , Lac , Olea , Oleosa , Butyrum , profunt . Deinde requirunt usum diuturnum laxantium , mollium , pinguium , acidulorum , tum ingerendo , quam balneo .

1137. Ex vegetantibus familia (1136.) fere sunt , Aconita , Anacardium , Anemone , Apium risus , Apocynum , Arum , Azedarach , Cataputia , Chamalaea tricoccos , Chamaeleon niger , Clematitis , Colchicum , Corona Imperialis , Cyclaminum , Dracontium , Elaterium , Esula , Euphorbium ,

Flos

Flos Africanus , Grana Nubiae , Helleborus albus , niger ; viridis , Hermodactili , Hyacinthi , Laureola , Mezeraeum , Mel venenatum , Napellus , Nigella Sylvestris , Oleander , Ranunculi , Ricinus ; Scammoneum , femina oleosa , diuturna corruptione acriter rancida facta , Tithymali , Thapsia . Horum effectus fere similes ac modo dicta (1136.) ; quin & indicatio perfecte eadem .

1138. 2. Alia violenta quidem sunt , & acria venena , ita tamen , ut simul quasi viscosa , in ventriculo haerentia , & singulari modo cerebrum , nervosque , inde afficientia : ut sunt Chrysomela , Cicutamajor , minor Petroselino similis , aquatica Gesneri . Huc ob aliam causam refer Crocum , Datyram , Hyoscyamus , Nux Vomica , Oenanthe apii folio , succo viroso , Opium , Solanum Melanocerasos . Hinc vertigines , scotomiae , deliria , furores , nauseae , vomitus , dysenteriae , convulsiones horrendae , apoplexia , mors . Indicant praesentissimum usum promptissimi vomitorii ; aquosa , oleosa , mellita , acidula , ingenti copia illico ingerenda , assidue repetenda , per clysmata , balnea , potus . Sedato morbo sudorem per Theriacalia fortem , & saepe repetitum . Tum dietam mollem , & tenuem .

1139. 3. Sunt venena acria manifesta aciditate , ut nempe
 α. Spiritus Salis . Spiritus Nitri . Aqua Regia . Aqua Fortis , Spiritus Sulphuris , Spiritus Aluminis , & Vitrioli . β. Eadem Acida unita metallicis corporibus , & hinc validissima , ut sunt solutio Auri , atque ejus Crytalli . Solutio Argenti , & ejus vitriolum , lapisque infernalis . Solutio Cupri , atque inde sal . Solutio Argenti vivi in Spiritu Nitri , Salis . Aqua Forti , Aqua Regia , aut ejus calcinatio cum Oleo Vitrioli ; & hinc natus Mercurius Praecipitatus ruber , albus , viridis ; Sublimatus Corrosivus , & dulcis ; Calx , Turbith . Impraeognatio antimonii cum aqua regia , & hinc calx escharotica . Ab his nascuntur sapes horrendi , foetores acidi , inflammationes , erosiones , escharae gangraenosae , nausae , vomitus , dysenteriae , cholerae , tormina atrocissima , cardialgia , Iliaca , colica , tumores ad glandulas , cadaverosus foetor , salivatio ,

vatio, syncopae, mors. Petunt haec dilutionem per aquea; obtusionem per olea; inversionem per lixivium saponacea, vel leviter alcalica; absorbentia fortissima acidorum; deinde vero, impetu sedato, frequentem usum olei, juris pinguis, & similia emulsionum.

1140. Tum 4. Alia venena acia manifesto alcalina cognoscuntur; suntque cineres ustorum vegetantium. Alkali inde factum; idem cum calce saxiusti igneum redditum. Ova, humores, caro omnino putrefacta; sales inde separati; iidem ignei facti per sublimationem ab alcali fixo, calce, lapide calaminari, creta, ferro, &c. haec autem creant citissimam, violentissimam, igneam, inflammationem, erosionem, gangraenam, dolores urentissimos ubique, sitim immanem, convulsiones, febres acutissimas, foetorem cadaverosum, dissolutionem intimam humorum, putrefactionem horum & viscerum, mortem. Petunt autem ad curationem dilutionem per aquosa laxantia; obtusionem per oleosa, pingua, terrestria, pingua; inversionem per acida diluta, volatilia facile mobilia; deinde dietam diuturnam ex acidulis, oleosis, emollientibus.

1141. Et 5. quaedam habentur acrimonia singulari saepe lethalia, ita tamen, ut illa acrimonia vix se manifestet alio, quam deleterio in homine effectu. Aes, Aeris calx usta. Aeris calx per corrosiva. Aeris flos. Ejus squama. Antimonii crocus. Ejus calx ustullando parata. Ut & vitrum hinc factum. Flos Antimonii sincerus solo igne, aut & ope salis ammoniaci factus, dein ablutus. Haec assumpta nauseas, vomitus, dysenterias, choleras, hypercatharces, dolores atroces, viscerum, spasmos, tetanos, syncopas, anxietates horrendas, mortem, creant. Exigunt pro curatione, diluentia; emollientia; obtundentia; acida, mellita; superne, inferne, externe, statim, diu, usurpata; deinde opiata, & oleosa.

1142. Quin etiam numerantur 6. Venena acia mere mechanica. Adamas, Crystallus montana, Limatura Ferri, Limatura aeris. Alumen plumosum. Vitrum contusum. Et similia. Haec pungunt nervos; vulnerant vasa, convulsiones, hae-

haemorrhagias, excitant; inde ulcera, & similia mala indicant usum olei, butyri; citum copiosum.

1143. 7. Sunt toxica, quae constringendo, incrassando, obstruendo, exsiccando, cita, vel lenta morte perimunt. Calx viva, & extincta forte huc spectat; Gypsum; Plumbi minera, Limatura, squamma, calx, cerussa, minium, vitrum, lithargyrium, Cinis stanni usti; Synopsis. Psylli semen, Cynosbati spongia. Fungi, Agaricus, Viscum. Haec conglutinant, constringunt, praefocant, miserimcs hinc morbos, & saepe, post omnem miserabilitatem languorum, tolerantium, mortem creant. Demonstrant necessitatem usus vomitoriorum, purgantium, diluentium, acidorum spirituosorum, alcalium oleosorum spirituosorum, saponaceorum omnium; quae cito, & diu continuato, vel repetito, usu adhibenda.

1144. Octavo denique habentur venena heteroclita, toti vitae adversa, nec, explicato effectu, vel virtute, hactenus bene nota, quae assumpta, applicatu, aut ictu, mortem inducunt. Cantharides, Aranea, Tarantula, Aspis, Vipera, Cerastes, Prester. Spes. Scorpius. Canis rabidus. Bufo. Buprestis. Stellio. Salamandra. Lepus marinus. Pastinaca marina; & similia. Haec varios, miros, vix explicabiles, effectus edunt, dein necant. Indicatio in his, si interne assumta sunt, statim evacuare per vomitum; summopere diluere per aquosum; maxime emollire per laxantia, emollientia, oleosa; putrefactioni resistere per acida spirituosa, & salina. Si externo ictu, morsu, applicatu, agunt; tum indicatur veneni eductio per locum contagii, sugendo, scarificando, urendo, emolliendo, fovendo; tum sudorem fortiter eliciendo per antidota penetrantia, diluta, putrefactioni adversa; Veneni enervatio per acida, salina, vel per specifica antidota.

1145. Ultimo sunt quaedam uno momento specie halitus suffocantia, ut Carbonis clausi Vapor, Aer subterraneus diu reclusus, Halitus Vini fermentantis, Farina volatilis Fungi perniciosa. Fumus Sulphuris. Et similia multa potius tacenda. Haec ex praecedentibus intelliguntur pulmoni, nervisve, applicata, aut vix sanari queunt.

1146. *Causae autem remotiores morborum, sensu cognitae, facile mutantur, aut tolluntur: nam indicant mutationem in sex rebus nonnaturalibus.*

1147. *Si autem eadem (1146.) magis tectae sunt, tamen cognitae per sua effecta sensibilia, indicant per haec sua phaenomena remedia apta.*

1148. *Decursus etiam horum phaenomenon (1147.) rite observatus docet nos, quo auxilio, tempore, ordine, modo, & via, utendum sit, ut causa morbi proxima in corpore humano corrigi, vel expelli queat.*

1149. *Quin etiam docet nos accurata observatio eorundem, quid deficiat, & quae supplementa adhibenda sint.*

1150. *Ut & qui motus excitandi, sustinendi, sopiendi, minuendi, sint in eundem scopum.*

1151. *Ordinata igitur in his, & exacta cognitio effectuum docet egregie correctionem, & ablationem, causae.*

1152. *Unde etiam cognoscitur, quod hactenus duplex via sit cognita, qua itur in cognitionem causae, nempe methodica, vel specifica dicta.*

1153. *Methodica quidem ut cognoscat causam proximam, & tollat, utitur his auxiliis, & viis 1. accuratissime explorat, & ordinat phaenomena (1147. ad 1152.), observatque sollicitae naturae decursum. 2. Si videt vitam labescere in iis agendis, quae ad expurgationem causae morbi requiruntur; illi succurrit per cardiaca (1095. ad 1116.) administrata, vel per ablationem impedimentorum, quo evacuantia mali praeternaturalis ducunt. 3. ubi autem cernit actiones vitae nimis insurgere, adeoque causam morbi magis intricare, quam extricare, tum adhibet moderamen, ut reducantur ad eum gradum impetus, qui hic requiritur; quod efficit per aquosa, evacuantia, blanda laxantia, mollia glutinosa, evacuantia causam materialem virium, opiata, anodyna. 4. nihil omnino agendo, vel mutando, nisi quod evidentissime cognoscitur faciendum ex indicatione clarissima.*

1154. *Specificae autem dicta tollit causam morbi simpliciter applicando tale quid, quod solo usu novit eo valere, non at-*

tendens ad illā quatuor modo dicta (1153.) . Quærit ergo nomen mali, & remedium; ut in cura febris intermittens per corticem peruvianum, doloris per opium, veneni singularis cujusque per cognita sua singularia, propria, corrigentia, vel attrahentia, aut expellentia antidota.

§. MCXIX.

Venena] Multum laborem hic toleravi, legi scriptores omnes, qui in quacunque lingua de venenis scripsere, excerpti experimenta, disposui sub sequentibus classibus, & exiguum de venenis tractatum compilavi. Et si certe in hoc libro pretium aliquod est, hic in hac tractatione de veneno esse credo. Multa didici ex Botanicis, dum venenatas plantas volo cognoscere. Multa addere nolui, cum melius sit ea ignorari, quibus notis generi humano forte plus mali, quam emolumenti inde veniret. Novi autem venena, quæ hominem absque ullo nuncio mali, uno ictu oculi citius mortuum prosternunt. Sed in universum, Venenum dico omne illud, quod ingestum, vel applicatum corpori talem in corpore humano mutationem excitat, quæ per ipsam eam mutationem non superatur. Medicamentum præterea in eo differt, quod ipsa, quam facit, mutatio in sanitatem tendat, venenum vero corpus mutet, ut ex sano aegrum fiat, aut cadaver. Vitrum antimonii parva dosi datum purgat sursum, & deorsum, & aegrum restituit, est medicamentum: idem nimia copia exhibitum occidere potest, tanto vomitu excitato, ut per solam mortem finiatur. Adparet multa corpora eadem & medicamenta, & venena esse.

Velocitas) Possunt arte venefica talia parari venena, ut ad nutum propinantis agant, & vix ulla arte præcaveri queant. Sub LUDOVICI XIV. imperio nobilis femina hujusmodi pulverem invenerat, quo plurimi alienas opes hereditibus extinctis involabant, ab effectu dixerunt *poudre de succession*. Sed complices *camera ardens* ad eam rem constituta extinxit. Occasionem ab hac tragoedia sumsi, ut adtentio animo in hæc corpora inquirerem.

§. MCXX.

Sensibilis] Si sensibus perciperetur, continuo contrariis exhalationibus destrui posset.

Flamma] Graeci in Trojano bello, cum pestilentiam iratus immisisset APOLLO, regis excitatis omnia cadavera combusserunt. Omne enim notum venenum vim suam in igne amittit, adeoque etiam venenatus aer miasmata deponit, quando per flammam ducitur. Ergo recte veteres

PHOEBUN *αλεξικακον* f. venenorum domitorem dixerunt. Et inde forte orta est consuetudo antiquissima comburendi cadavera, quae in Asia obtinet, efficaciter procul dubio cautura, ne de pestilente fomite aliquid reliquum fiat. Verum praeterea omnes vestes, & instrumenta igne delenda sunt, quibus homines peste extincti usi fuerant: vapor enim pestilentium rerum exustarum non nocet. Non ita vapor arsenici combusti, qui per os ingressus certo necat.

Putridis) Huiusmodi vapores reperiuntur in quibusdam speluncis Italiae: & EGO similia passus sum a vapore urinae diu putrefactae.

Aceti] Quando venenum pestis per aerem obvolitans, ejus naturae est, ut gangraenas excitet, spargendum per aedes acetum, & spongiae aceto ebriae sub naribus tenendae: ita nullus aer hauritur, nisi conditus acidis vaporibus. Hinc etiam pyrius pulvis accensus hic valet, dum enim deflagrat, parantur subito volatiles, acidissimi, spiritus nitri, & sulphuris, qui totum aerem late replent. Novi familias praeservatas fuisse in pestilentia, dum aliquoties quotidie drachmam pyrii pulveris in testa clavis funestris, foribusque incenderunt. Puteus, qui multos operarios Parisiis necaverat, injecta sphaera pyria [*bandgranate*] purificatus fuit. Et camera, in qua sulfur ea copia combustum fuit, ut tussi mota non noceat, certo tutos in peste praestat. Merito ergo in peste nomen suum *του Θεου* meretur sulfur, quo ab HIPPOCRATE ornatur.

Alcalina] Aliquando spiritum vitrioli summa vi ignis extorquebam, prodibat jam ficcus quasi, & coeruleus phosphorus, accessi adeo, ut ex HELMONTII consilio vas removerem. Sed halitum in eo labore excepi, qui forte ME unico momento suffocasset, constrictis pulmonibus, nisi spiritus falis ammoniaci ad manus fuisset.

Hippocratica] HIPPOCRATES rogos ingentes per maenia urbium struxit, ut per ignem iret omnis aer, quem venti ad civitatem ferrent, certus purum futurum eum omnem aerem, qui per ignem transisset. (1732. Obstrui jussit aditus per montes Illyricos, qui pestem potuissent in Graeciam admittere, bene gnarus vapores pestilentes non alte de terra adscendere. Deinde focos &c.

§. MCXXI.

Vix noscuntur) Corpus venenatum ordinario non totum venenum est, sed pars spirituosa corporis, quae sola veneni naturam habet. Talis in mercurio, & arsenico vapor est, quo sublato arsenici pars reliqua innoxium corpus est.

Inertes) Venenum viperae iners redditur a viribus ventriculi humani, & primarum viarum. Nam integra uncia veneni viperini per os ingesta non nocet: cum tamen in eodem veneno intincta acicula, cui forte centesima pars guttulae adhaesit, adaesta in sanguineum vas vivi animalis illud pene certo occidat.

§. MCXXII.

Cognitis] Vipera apud academicos Hetrufcos, irritata mordet ad nares robustiffimum taurum, moritur continuo, & fecatur ab accuratiffimis anatomicis, nihil in toto corpore tauri vel in solidis, vel in fluidis partibus mutatum reperitur. Aer ex pestilente labe infectus adlabitur ad nares hominis faniffimi, concidit continuo, & subito expirat, uti in mercatorum ecclesia Londini vifum est. Lardum inficitur tabo pestifero homini ex pestilentia defuncti, & admovetur cuti fani hominis, occidit subito, uti exempla Viennae docuerunt, cum scelestiffimi vespillones hac fraude mortes patrarent, quos in ultionem sceleris sepelierunt vivos. Literae venenatae scriptae sunt, inbutae veneno, quod per chartas non penetraret, sed apertis literis adflaretur legentis faciei, subitoque eum necaret.

Mirabilibus) Ita seps hominis, quem monordit, adiposum panniculum totum ante mortem putrefacit: uti ex Asia, & Africa mihi relatum est, ubi hoc animalium genus nostro seculo adhuc invenitur.

Aliis] Mercurius sublimateus, arsenicum producunt dolores, inflammationes, gangraenas.

Priori) Quae ex ipsa fabrica intelliguntur machinam destruere, uti pulvis adamantum, qui intestina erodit.

§. MCXXIII.

Toti] VETERES dicebant substantiam horum corporum toti substantiae hominis contrariam esse, ita nihil quidem explicabant, neque tamen vellem eos ideo improbare. Difficile ergo videtur remedium invenire, cum venenorum effectus, neque symptomatibus, neque causa, cum ullo notorum corporum conveniat. Invenienda sunt, quae tota substantia sua toti morbo resistent. Ita vipera trita, & imposita in vulnus, quod ipsa inflixit: aut scorpius, vulneri a propria cauda illato admotus, sanare dicuntur, & semper, & sola. Lithuani, & alii scribunt maximum pestis antidotum bufonem esse, si vivus captus, exficcat, in pastillos redactus corpori adpendatur.

§. MCXXIV.

Occulta) Quae per mirifica alexipharmaca sanantur, de quibus nihil intelligitur praeter successum experiendo confirmatum. Ita serpens ille *scorpius* & olim, & nunc in Africa reperitur, qui morfu facit, ut pulmo sanguinem merum pluat. Hujus vim nemo nisi ab experientia cognoscit, nemo etiam nisi experiundo medicamentum inveniet.

§. MCXXV.

§. MCXXV.

Cognitis] Διὰ τὴν σίτιν, nulla arte humana sanabilem. Non ignoro, quid in aliis morbis sitim faciat, & quibus mediis sedari queat. Ergo propinabo acidissimam poscam. Quando vero Σιληνίον hominem momordit, adplicabo toti corpori spiritum vitrioli in aqua dilutum, magna copia, & multum mirabor, nisi utrumque sanatum viderim.

§. MCXXVI.

Promptum) Saepe enim venena valde celeriter agunt, & illico auxilium poscunt.

Adeset] Homo deglutivit mercurii sublimati unciam unam, vel spiritum vitrioli, scio mala ab acidō concentratissimo oritura. Continuo dissolvam in pinta aquae olei tartari uncias duas, & propinabo omnem: ita alcali meum ex sublimato mercurio faciet non sublimatum, sed praecipitatum flavum, innoxium. Nisi prius mercurium sublimatum adsumfisset, periisset homo ab ea dosi olei tartari, quae gangraenam in ventriculo fecisset; nunc, cum adsumferit, peribit, nisi idem biberit.

§. MCXXVII.

Physica] Male medici plerumque venena ad unam classē solent reducere. Nam alia agunt in primis viis vi nota, erodente, mechanica, uti pulvis adamantum, alia operantur in spiritibus, alia in pulmone uti vapor spiritus vitrioli. Longe melius NICANDER, qui venena in classes divisit; eorum alia explicata dedit, cum symptomata describat, in aliis nihil notavit, praeter funestum eventum. In primis illustravit hanc historiam DIOSCORIDES, qui, cum miles esset, pene per totum orbem terrarum cognitum stipendia meruit, ut materiam medicam perfectius cognosceret. Hic fere omnia antidota recenset.

Mechanica) Adamas operatur unice acumine, & duritie glebularum, quae omnes partes nostras discindunt; neque certe ob frigus nocet, quae VETERUM sententia fuit, sed operatur ad modum innumerabilium minutarum lanceolarum. Satis adfinis est efficacia pilorum ex naso tigridis, quos concisos propinant, cum enim rigidi sint, insinuant se in intestinorum carnem, & exulcerant, sic per languorem necant, neque medicamentum inveniri potest, cum nullum norimus, quod pilos dissolvat.

Anatomia] Sed plurima nos latent: quis enim dixerit, quales sint veneni pestiferi particulae? Effectum novimus, modum operandi ignoramus.

§. MCXXVIII.

§. MCXXIX.

Ignorata] Quando ex symptomatibus anomalis cogonvi, hominem ex veneno laborare, neque vero novi, quale venenum sumserit, neque adeo remedium proprium novi, urgens vero malum multam meditationem non admittit, utendum est communibus, ergo propino continuo libras aquae tepidae viginti, aut triginta, ita submergo acerrimum salem in copia liquoris diluentis. Pulcherrimum exemplum exstat apud SYDENHAMUM, in famulo Pharmacopolae, qui sublimato mercurio devorato, aqua affatim hysta, balneis, fomentis, clysmatibus aquosis sanatus est. Neque desistendum ab infundenda aqua etiam per muliebria, donec certus fueris venenum satis dilutum esse, ut nequeat nocere. Argenti vivi sublimati drachma una lethalis est, eadem in viginti quinque aquae libris diluta innoxie adsumitur. Nam aqua omnia venena enervat, quae cum aqua misceri possunt, alia vero aquam respuunt, ceduntque oleo, uti arsenicum.

Lixivium] Uncia una saponis veneti, in libra aquae soluta.

Olea] Butyrum praefens remedium est ad omne genus venenorum, itidemque oleum recens, dulce, ea copia adsumtum, ut intestina resolvantur: maxime vero valet contra arsenicum. Expertus est eam vim empiricus, qui cum adversario de praestantia orvietani sui certabat, ergo plurimum butyrum ante venenum inglutivit, sic nihil ab arsenico noxae passus est. Alter in siccum corpus arsenicum recepit, suo filius orvietano, & misere periit. Post assumptos pillos tigridis, & adamantis fragmenta oleum etiam prodesset laxando.

Animalium) Uti lactis cremor.

Opium) Non debellat quidem ullum venenum, sed spasmodicos motus, suscitatos a veneno sopit. Hinc ab ipso DIOSCORIDE laudatum legitur. Nempe nullum venenum ex se ipso venenum est, neque noceret, nisi a vi vitae in actum deduceretur. Quando mille lanceolas manu teneo laxas, immobiles nihil nocent: quamprimum musculos agitavero, vulnerabunt undique. Ergo opium antidotum esse poterit, dum vires vitae sopit, ne venenum actuosum reddatur.

Generale) Ridiculum est remedium quaerere, quod & contra spiritum vitrioli faciat, & contra tartari oleum, & contra viperæ morsum, & contra adritos adamantes. Orvietanum, mithridatium &c. pro alexipharmacis universalibus vendi solent: sed ea fere ad morsus venenatos profunt, contra contulos adamantes nihil effectura.

§. MCXXX.

Nocent] Aliqua composita profunt, quae seorsim data veneni loco forent. Ita oleum vitrioli, & pariter tartari oleum, seorsim data ventriculam exurant, mista eadem innocentem, & efficacem in chronicis malis vitriolatam tartarum constituunt.

§. MCXXXI.

Haeret] Remedia semper oportet per eandem viam applicare, per quam venena subierunt. Si halitu suo cerebrum occupaverint, antidotus naribus admovenda. Si per os adsumserit aeger, etiam alexipharmaca deglutiat.

Domare] Omnia acida, solo aceto excepto, venis infusa in vivo animale, cogunt sanguinem, faciunt peripneumoniam, mortem. Si ergo nossem acidum venenum se in venas infuisse, [v. g. si ad haemorrhagiam sistendam oleum vitrioli nimia copia extus admotum fuisset] tunc tutissima antidotus foret ligare venam supra locum, ubi venenum infusum est, ne virus continuo ad cor veniret, deinde educere aperta vena sanguinem proximum. Nihil hic antacida facerent, quae per os sumerentur; nimis enim diu morarentur in corpore prius, quam ad locum destinatum venirent.

Classis) Si noverim arsenicum adsumtum esse, interrogabo qua hora? Respondetur, ante sex horas; ergo nihil moliar, nam morbus omni medicamento potentior est. Si vero ante aliquod horae minuta infortunium acciderit, continuo vulgaris olei libras aliquod infundam, post oleum vero bonam dosin vitrioli albi; si vero post dimidiam horam vocatus venerim, & tormina ventris, atque inflatio umbilici indicaverint malum jam in intestinis saevire, tunc per clysmata inmanem vim olei jubebo infundi.

§. MCXXXII.

Susceptum] Id semper fit per venas; arteriae enim nimis resistunt ingressuris corporibus.

Marforum] Exercitus Romanorum, & Graecorum in Africam delati occurrebant legionibus animalium lethiferorum, & plures milites amittebant ab his pestibus, quam ab ipso hoste. Vocabant ergo Pyllos, Marsosque dictos populos, & conducebant stipendio; hi fugebant partem laesam, donec protuberaret tumida, & ita fere semper sanabatur aeger, certo periturus, si haec ope abesset. Ergo his gentibus vim insitam antidotariam adtribuerunt, cum persuasi essent, venena morsu nocentia

etiam

etiam per os adsumta interimere. Sed CATO, cum milites de fonte non auderent bibere, territi metu bestiarum in aquis forte latentium, inclamavit sapientior, & Marforum experimento confirmatus:

Morsus virus habent, & fatum dente minantur,

Pocula morte carent. LUCAN.

& primus, quod minime solebat, aquam haustam ex galea bibit. Confirmavit CATONIS iudicium experimentum JACOBI COZZI, qui in aula hetrusca integram drachmam venenatissimi succi ex ore viperae expressi, intrepidus abligurivit, cum una centesima pars grani certo occidat, si in sanguinem non mutata venerit.

Magnetica) Sunt, qui haec omnia refutant, sed in Italia, ubi magna vis scorpiorum est, nemo subit diverforium, quin hospes ei lagenam oleo scorpiorum plenam indicet, quod vulnere, si quod ei bestiola inflixerit, continuo inungat, sic mortis evitaturus periculum. IPSE possideo lapillum exiguum ex India adlatum; qui eum miserunt, addiderunt, si vipera illa teterrima *cobra de cabelo* (*brillsleng*) hominem momorderit, hunc lapillum vulnere imponi, & adhaerere, & venenum omne exfugere, saturum vero sponte cadere, tunc venenum in lac recenter multum deponere, iterumque impositum fugere, donec hominem omni periculo immunem reddiderit; Cuti vero hominis non demorsu minime adhaerere. Ita bufo venenum pestilentiae per sympathiam aliquam adtrahit. Voces mutare nihil adinet, possemus commutare deterioribus.

Bestiae] Caro viperae, & axungia, & theriaca andromachi, quam caro viperarum ingreditur.

Diascordia] Haec valent, quando mobile, & volatile venenum a centro corporis ad peripheriam pelli, & ea via, excitata febre eliminari debet. Ad venena mineralia, fixa, ineptissime adhibentur, cum a medicamento fixum venenum etiam mobilius, & ferocius reddatur.

Auferendo] Ad morsum animalis aut venenati, aut rabidi, nihil praesentius est, quam illico ferro candente, ab HIPPOCRATE adeo laudato (ad morbum ischiadicum) aut spiritum vitrioli partem laesam adurere, aut rescindere denique, nisi venenum omnino velocissimum, & superlativum fuerit. Tale rex Indus possidebat, cujus insigne experimentum edidit, ut Hispanis demonstraret, quam periculosus hostis esse posset: sanissimo juveni extremum pedis digitum sagitta levissime laesit, iussit praesentes chirurgos tibiam continuo ad genu amputare, & demonstravit legatis, non ideo venenum domatum esse, cum miserum continuo expirare viderent.

§. M C X X X I V.

Generalia) Quando in eum locum tibi eundem est, ubi suspicio adest venenum tibi offerri posse, bibe prius tantam vim hydromeli, ut pene hydropicus fias.

Oleosa) Haec ad alcali potentia sunt. Pestis tempore aegros visitatus non melius sibi cavebit, quam si prius nudus ad focum se inunxerit, aerem vero spiraverit per spongiam aceto vini ebriam. Ita & pori clausi erunt, & accessus putridi aeris occupatus. Cibum vero prophylacticum vix ullum novi, & crediderim, venenum facilius ex vacuo ventriculo eliminari.

Aequabili] In pestilentia nihil firmitus morbum avertit, quam si corpus totum cum sale, aceto, & aqua perfricueris, & in perpetua ad sudorem diathesi conservaveris. SYLVIVS tres pestilentias expertus est, salvusque mansit in omnibus, quod os mane aucto elueret, & spongiam aceto madidam sub naribus gestaret: (utile fuerit etiam, indusia aceto inbuere ex DIEMERBROECHII consilio) unica vero vice oblitus aceti, peste correptus est, uti ipse narrat.

Universale] MITRIDATES, cujus seculo arsenicum nondum notum erat, facile medicamenta invenit ad venenata animalia, quae sola timebat. Sed eadem alexipharmaca contra mercurium sublimatum, arsenicum, aut tartari salem usurpata malum potius auferent. Haec acida alcalicis, aut sigillatis terris destruuntur, alcalina vero acidis exhibitis.

§. M C X X X V I.

Lazuli] Hunc lapidem video in libello sub nomine meo edito, horrendo errore ad integram drachmam praescribi, ad expurgandam melancholiam, quam EGO certe cautissime, neque supra grani dimidium adhiberi docueram. Caeterum hujus §. venena Italus aliquis venena Germanica vocitabat, quae symptomata excitarent, ex quibus monitus medicus quid ageret, discere posset, & tempus praeterea concederent resistendi: nam inflammant guttur, oesophagum, ventriculum, intestina, & cuti applicata escharam inurunt; Italus suis alia, multo potentiora nota esse innuebat, volatilia, *superlativa*.

Lividam) Arsenicum maxime lividum circulum circa os, & oculos facere solet.

Copiosum) Si ad hominem vocarer, qui arsenicum devorasset, indeque jam liveret, juberem per triduum quotidie duodecim libras tepidae mellitae bibere. Similia per clysmata injicere oportet. Nisi haec fiant, morbus per totam reliquam vitam aegro fixus adhaerebit. Superato vero mortis periculo, si morbus reliquus fuerit, hunc curare oportet.

Solet autem haec acrimonia varios relinquere effectus, prouti hoc; aut aliud viscus aggressa fuerit.

Vomitu] Vitrioli albi drachma semis exhibenda, & aqua superbibenda, ita vomet aeger, dein de continuo novam aquam superingerat.

Haec methodus certa est, neque fallit unquam, & absque hac nemo servari potest. Nam theriaca, & omnia alexipharmaca haecenus cognita ad hos morbos merae rugae sunt.

§. M C X X X V I I .

Aconita) Haec omnia solvunt sanguinem per intima, solida vero inflammant. Aconitum in faucibus anginam facit, in ventriculo vero phlegmonem, quae plerumque in funestam gangraenam terminatur.

Mel] Hoc Saccharum est, lectum de floribus. Si de Apocyno syriaco, quod muscas necare solet, apes mella paraverint, vis ipsa terrefica in mel transibit, recens nimirum, nam in annofo melle evanescit, cum totum venenum volatile sit.

§. M C X X X V I I I .

Haec mirifica venena sunt. Quando homo fortissimus, & sapientissimus, a quali viro saepe integrorum imperiorum felicitas unice pendet, pauxillum veneni adsumsit, mox convelletur, per totum systema nervosum, quamprimum virus ventriculum adtigit, & nullus morbus anomalous est, quem aliqua venena non faciant.

Furores) Inde solanum manicum nomen habet.

Cicuta] Vidi octo pueros cicutam devorasse, angebantur, delirabant, vomituriebant, convellebantur omnes. Propinavi vitriolum album, servati sunt, qui vomuerunt omnes. Quando vero homines ita convulsi sunt, ut nihil deglutiant, debet praesto esse canalis metallicus flexilis, qui supra linguam, ad membranam, quae vertebrae anterior succingit, hinc in ventriculum detrudatur: per eum medicamenta injicere oportet. Quam primum vomuerunt, solent sensim ad se ipsos redire, nam malum in ventriculo est, etsi phaenomena videantur capitis morbua indicare.

§. M C X X X I X .

Natae] Haec omnia fiunt ab acido in metallis concentrato. Metalla per se ipsa pleraque innoxia sunt, cum acidis vero in terra venena abeunt: uti argentum, totum mite, cum spiritu nitri in lapidem infernalem abit, qui admotus humano corpori, omnia ad ossa usque erodit. Singularia tamen a singulo metallo, a mercurio salivatio, a

cupro vomitus, ab argento (I. GESN. auripigmento) diarrhoea colliquativa.

Aqua] Sola calida adfusa oleum, aut butyrum antimonii, quod venenum atrocissimum est, in calcem mutatur, & humorem acidum innocentem.

Alcalica] Quae acidum de metallico corpore excutiant.

Absorbentia] Haec sedant progressum mali: tunc vero superest, ut inflammationem a veneno excitatam cures.

Olea] Ut escharae inustae sanentur. Haec enim adeo acria sunt, ut citissime escharam inurant.

§. MCXL.

Igneum redditum] Alkali ex lignis combustis cum calce saxorum combinatum, erodit etiam cadaver, si in eos sales id projeceris. Venetiis homo in lixivium calcis vivae cum sale fixo incidit, & dum extrahunt, solum scleton extraxerunt, adeo cito omnes partes molles per totum corpus eraserat. Sceleratos homines fuisse novi, qui, ut occulto occiderent, miseris clysteres ex oleo caustico salis tartari iniecerunt.

§. MCXLI.

Aeris flos] Hujus usus diutius continuatus certo necat.

Diluta] HOMBERGIUS dedit nobis proportiones acidi ad alcali, & expressit, quantum acidi adhibendum sit ad subigendum alcali.

Antimonii] Crocus metallorum oeculum aut vulnus non laedit. Sedi ventriculum, etiam medii grani pondere sumtus, cum misero cruciatus subvertit, equi vero etiam unciam tolerant. Vitrum antimonii ad grana quatuor sumtum occidit. In his malis nihil praestantius est oxycrato, assiduo & abundantissime ingesto.

Diluentia] Aqua universale naturae medicamentum est, quo haec venena ominia inertia redduntur: absque ea ventriculum continuo destruant.

§. MCXLII.

Ferri] Veneni loco est, si acidum in ventriculo non invenerit: disscindit enim tenera intestinorum vasa, nudosque nervos. Quando vero integra fragmenta ferri quis devoravit, tunc conveniunt acida. IPSE puellum sanavi, qui aciculam deglutiverat, solo aceto aqua temperato: nam acetum cuspidem ferri adrodit, & obtundit: & alio tempore ancillam pariter servavi, quae magnam acum in ventriculum dimiserat. Non

timendum est in his casibus acetum, etsi forte paulum noceat. Si cura prea fuerit acus, eadem profunt.

Vitrum) Cum non in alia, quam acuta, fragmenta diffiliat, intestina, & ventriculum discindit, quibus ex necessitate motus peristaltici adfricatur. Oleo mergere oportet.

Ulcerata] Interna fere insanabilia. Nollem fere quidquam adhibere in hujusmodi ulcere a pulvere adamantis, quod ad spinæ modum in ventriculum, & oesophagum se infixit.

§. MCXLIII.

Gypsum) Nihil magis funestum est. Odore, & sapore destituitur, idemque in farinae modum in aqua coctum non nocet, quamdiu fluit, quamprimum vero quietum residet, lapideo pondere ventriculum destruit tum liquida exsurgendo, tum obturando vasa resorbentia. Hac fraude periit exercitus CONRADI Imp. Manuelis Byzantini scelere. Possent resolvi adsumto acido, sed vix potest sciri adsumtum esse.

Plumbi] Haec venena successive exhiberi possunt, & semper ex nutu agunt, & vix dignosci possunt a misero, cui offeruntur, ita languor ad dies, & annos a scelestissimis veneficis definiri potest. Qui cerusam praeparant, & qui plumbum effodiunt, pereunt fere intra primum annum. Morbi vero, quos plumbum facit, lenti sunt, & aegerime dignoscuntur. Mulier erat, quae Delphis figulo serviebat, qui lateres plumbo obducebat, ea per totam vitam miserimas aerumnas passa est, languorem, dolores, asthma. Dabam acida, merumque acetum, ita levabatur, & solvebatur pulvis plumbeus, qui interiora oblinebat undique; neque curabam, quando aegri ab acidorum usu expallescebant. Adparet, quam pernicioso more Medici saccharum saturni in vulgus praescribere soleant. Adeo certe venenatum reddi potest, ut canes, & feles anxios, & rabiosos reddat, & occidat.

§. MCXLIV.

Explicato] Haec omnia animalia mirabili veneno pleni sunt, quod ab ira exacerbatum, adfusum alterius animalis sanguini certos & pro varietate mordentis animalis diversos effectus producit. Aspis somnum ciet, Cerastes tetanum facit, Bufo tumores, ut homo pene crepet, & convulsiones, Vipera icterum, Sepe, gangraenam, Scorpius, febrem acutam, & convulsiones, Lepus marinus tabem pulmonalem, Pastinaca marina hepar infestat, Diplas oesophagum, sitimque facit perpetuam; cantharides utcumque corpori adfricatae fuerint, vias urinae infestant, quarum vires a sale volatili explicare voluerunt, quo omnino plenae sunt, & ad numeros, & pondera hanc acrimoniam reduxerunt. Sed cur nobis nocet hic

sal volatilis, non animali ipsi adeo tenero? nonne inde demonstratur hunc salem relativum ad hominem venenum esse: & omnia in universum animalia venenata cum suis funestis succis sana vivunt. *Mihi* quidem haec non videntur explicationem admittere.

§. M C X L V.

Carbonis) Lignum ignitum, & subito suffocatum, vel cespes in loco clauso, & angusto ex adfusa aqua extinctus, occideret nos omnes absque ullo sensu. Quam potens venenum sit, demonstrat miserabilis historia Senensis. Huc fumi metallici pertinent, adversis inspirati pectoribus, qui mesochondriacos musculos constringunt, & celerrimam peripneumoniam faciunt, maxime sulphuris fumus, quem domat spiritus salis ammoniaci.

§. M C X L V I I.

Magis tectae] Et tamen per sua phaenomena cognitae, indicant remedia ad haec phaenomena apta. Nescio, quid sit venenum variolarum, methodum tamen ex ipsis effectibus deduco. Si omnes effectus causae alicujus incognitae tollerem, utique etiam causam redderem inertem. Ita si aeger calculo laboraverit, & ego fecerim, ut nullum effectum edat, aeger quidem hactenus sanus erit, & medicus liberavit se promissis artis.

§. M C X L I X.

Deficiat] HIPPOCRATES, etsi circulum sanguinis ignoraret, observabat effectus morbi, quem pro ente incognito habebat: notabat naturae conamina, quibus ad sanitatem tendit, & alia, quae ad mortem ducunt, ex his observatis deducebat methodum, nempe priora conamina adjuvabat, illis resistebat, & ita HIPPOCRATES ignarus causae morborum aequae bene curabat ac nos, post tot inventa. Non negandum est, ac ratione primos quosque aegros perire in novo morbo, ut ipse fatetur SYDENHAMUS.

§. M C L I I I.

Sollicite] Morbus adest perfecte incognitus. Sed noto conatus naturae, in hoc morbo obvios, deinde quantum pulsus, & functio pulmonis, & viscerum omnium a sanitate declinet: haec adnoto & in classes secundum morbi tempora digero. (Haec cardiaca pro diversa causa debilitatis alia esse oportet & alia). Ita in peste acetum, aut limonum succus, aut vinum Rhenanum pro roborante dari potest.

Cardiaca) Febris non debet tolli, sed ea causa, quae febrem suscit

tat.

rat: alias, uti sapienter LOCKIUS in carmine, quod SYDENHAMI operi praefixit, aeger cum ipsa febre extinguetur. Oportet autem tantum de febre relinquere, quantum ad morbum coquendum sufficit, demere vero de febre, quodcumque abundaverit.

Agendum] Promitto, nullum morbum adeo tenebrosum esse, quin ex his regulis aliquid videri queat. Sed retinendum est, non omnes morbos sanabiles esse, moderationem tamen a medico aliquam admittere: ita in febre cum maxima ariditate, & aestu summo dabo oxycraturam, rob sambuci, mella & similia, certus, his ardorem temperari.

§. MCLIV.

Solo usu] Vetustus in Batavia medicus de hydrophobia dicit., Si quis a cane rabido morsus est, impone vulnere haleces salitos, & relinque per 24. horas. Si putruerint, applica alios recentes, & sic sanantur hydrophobi (vel certe non incidunt in aquae metum.) Non noverat, quomodo hi haleces agerent, sed viderat succedere; haec est natura specifici.

Corricem] Hic febrem directe tollit, quatenus febris est, & in febre tertiana absque alio humorum, viscerumve malo verum specificum est, quale opium est in ratione nimiorum motuum, qui ab animali facultate pendent. Verum haec methodus magnas requirit cautelas. Nam, si aliud cum febre malum conjunctum fuerit, id adeo non sanat cortex, ut deterius reddat, si ve cacochymia fuerit, si ve viscerum labes. Sed velox pigritia medicastrosum ad auditam vocem febris inermittentis, continuo quinquinam clamat.

INDICATIO CURATORIA

IN MORBIS SOLIDI.

1155. **S**I ipse morbus haeret in parte solida similari, cognitus facillime praebet indicationes suas.

1156. Etenim si est unitas ibi soluta, requirit ad curationem. 1. Ablationem rei peregrinae, vel mortuae, interpositae inter partes separatas. 2. Harum adductionem ad se mutuo usque in situm naturalem. 3. Quietem non turbatam in hac ipsa adunatione. 4. Conservationem in naturali sua humiditate.

miditate, calore, mollitie. 5. Conglunationem iterum naturalem ope advecti, applicati, moderati, sani, liquidi nutritii.

1157. Tria priora efficit dextra Chirurgi; quarto conducunt balsama, unguenta, olea, mollia, blanda, putredini contraria, Balsami de Tolu, Peru, Palma, Copayva, Mecha, Terebinthina nativa, Butyrum, Medulla; Unguenta; Balsamus Arcaei; Unguentum Basilicum; Oleum pressum Oliviarum, Seminum Lini, eadem cum Floribus Herbarum balsamicarum digesta, ut Oleum Hyperici, Verbasci, Altheae, Agrimoniae, Liliorum Alborum, quae ex his infinita alia. Quinto satisfit praescriptione requisitae in aegro diaetae.

1158. Rigiditas nimia partium solidarum cognita indicat laxationem earundem: quae obtinetur 1. Fotu, balneo, potu, injectu, vapore, aquae tepidae. 2. Iisdem modis applicato decocto leni emollientium vegetabilium: Althea, Malva, Verbascum, Achanthus mollis, Parietaria, Mercurialis, Semen Foeni Graeci, Cicerum, Lini, Malvae, Cydoniorum, Tritici, Avenae, profunt. 3. Iisdem modis applicato molli Oleo. [1157. 4.] 4. Moderato saepe renovato, motu.

1159. Flacciditas nimia partium solidarum cognita indicat roborationem earundem: quae obtinetur, 1. Cardiacis iis, quae descripta habentur [1107.] 2. Majori motu corpori applicato per frictions, unctiones, exercitia, ut callositas paullulum densior concilietur parti. 3. Calore sicco. 4. Simili victu, & aere.

1160. Ex quibus etiam patet, quid agendum sit in elasticitate aucta, vel imminuta, in debilitate nimia fibrae ultimae; in fragilitate ejus; in nimia ejus contractione, vel distractione.

1161. Morbi partis solidae organicae haerente in mole, situ, cohaesione, indicant quae jam dicta [1116. 1117. 1118.]

1162. Reliqui autem morbi in partibus solidis praesentes pendent inprimis a vitio fluidorum [vid. Aetiologiam totam Pathologiae]; quare nos jam ducunt ad considerationem hujus.

§. M C L V I.

Ablationem) Nemo mortalium, qui vixerunt unquam, potuit facere, ut tibia fracta concrefcat, id unice in artis potestate est, remove impedimentum, quod obest coalitui, reliqua omnia facit natura. Si os luxatum fuerit, una pars ligamenti laxa est, altera tensa, hinc impeditur humorum circulatio. Ergo chirurgus reponit articulum, & continuo desinant symptomata: adeo simplicia sunt, quae facimus.

§. M C L V I I.

Chirurgi) Dum aufert praeternaturale, dum partem in situm naturalem reponit, & repositam servat.

Balsama) Quae resinam, & acidum spiritum continent, & ea ipsa nota differunt ab oleis mere pinguibus.

Diaeta) Ut boni humores ad loca vulnerata ferantur.

§. M C L V I I I.

Rigiditas) Nihil in his malis potentius est tepida, quae sub vaporis specie se infinuat. Saepe felicem eventum vidi, & rustici memini, cui genu anchylofi coaluerat. Ego miserum quotidie per duas horas in balneum vaporis posui, deinde bene fricari curavi, & toties oleo perfundi. Ita aliquoties repetito remedio convaluit.

§. M C L I X.

Sicca] Quando aeger intus calorem excitat, & simul per ventum siccum vehitur, facit, ut partes nutrientes adplicentur.

§. M C L X I I.

Fluidorum] Hyperfarcosis, scirrhus, tumores, pro morbis solidorum habiti, non pendent ab auctis solidis, imo in iis solida saepe immixta sunt, sed ex fluido stagnante in glandula & speciem solidi induente, v. g. scirrhus. Neque σπεννοχωρία aut θλιψις huc refero, ne fluidorum tractationem cogar immiscere.

CORRIGENS FLUIDA.

1163. **H**Umores in morbo peccantes perspecti indicant sui immutationem, vel evacuationem; idque, vel in toto, vel in una parte affecta.

1164. Vitium humoris in una parte singulari haerens semper ponit, vel tenacitatem liquidi, vel malam conditionem solidi, & ideo indicat mutationem in meabilitatem, tam viae, quam materiae.

1165. Materies in loco nimis tenax mobilis, & meabilis, redditur. 1. Per diluentia aquosa, tepida, specie potus, fatus, vaporis, balnei, injecti, applicata eo modo, ut quam proxime loco obfesso adsint, ac fieri potest. 2. Per salina resolventia similiter apposita. Nitrum, Sal Prunellae, Sal Polychrestus, Nitrum Stibiaturum, Sal Gemmae, Sal Marinus, Sal Ammoniacus, Flos Salis Ammoniaci cum Sale Alkali fixo. Sal Borax, Fel vitri, Sales vegetantium ustulatorum, Sales Alcalini fixi, Sales Alcalini volatiles, Tartarus Solubilis, Tartarus Regeneratus, sunt praecipua. 3. Per saponacea ex oleo presso, & alcali fixo. Ex oleo stillatitio, & alcali fixo. Ex oleo presso, & alcali volatili. Ex oleo stillatitio, & alcali volatili. Bilis animalium eo spectat. Et succi plantarum absterfivi. Lactucae, Chondrillae, Sonchi, Hieracii, Taraxaci, Scorzonerae, Tragopogoni, Cichorei, Endiviae, Saponariae, hic praecipuae, & egregiae. 4. Per illa, quae causae singulari coagulum facienti contraria sunt. Ut in coagulo per acida facto usu alialium leniorum; in coagulo glutinoso, & pingui usu saponaceorum; in coagulo a quiete usu salium, & saponaceorum; in coagulo phlogistico, nitrosis, & saponaceis herbaceis; 5. Per Cardiaca (1112), salina, aromatica, oleosa, spirituosa, quatenus ut stimulantia considerantur.

1166. Via impedita redditur meabilis. 1. Aperiendo meatus potu, fatus, vapore, balneo; aquae calidae, emollientibus, & salinis temperatis, medicatae; calore moderato; frictione

ficca, vel humida, calida. 2. Idem fit materiem impactam una cum vasis oppletis fovendo, molliendo, agitando, coercendo, ut emollitio, putrefactio, suppuratio, totius loci affecti resolutio in pus fluidum contingat. Huc faciunt farinae blandae, lentae, Tritici, Secalis, Avenae, Lini, Fabarum, Pisorum, Lentis, Orobi, Foeni graeci &c. tum radices emollientes Malvae, Bismalvae; Liliorum alborum, Ceparum assarum; Flores Altheae, Verbasci, Meliloti; Folia Malvae, Bismalvae, Acanthi, Mercurialis, Parietariae; Ficus; Vitelli Ovorum; Gummi aromatica acria, Ammoniacum, Galbanum, Opopanax, Sagapenum; Butirum recens; tum quae ex his forma, cataplasmatibus, unguenti, emplastri, componuntur. 3. Materiae sic praeparatae viam aperiendo per sectionem scalpello factam, vel per caustica applicata.

1167. Humoribus vitia in tota massa eorum peccantia cognita prius juxta doctrinam Semeiotices (910. ad 918.) indicat sua remedia contraria.

1168. Nempe fluiditas nimia requirit inspissationem; quae acquiritur 1. Victu gelatinoso ex animalibus, & vegetantibus. 2. Potu aquoso farinoso non fermentato. 3. Aucta actione viscerum per ea, quae praememorata (1159.). 4. Ufu idoneo Cardiacorum (1107.).

1169. Spissitudo autem, si peccat, exigit attenuationem: haec procuratur. 1. Victu ex cibis inprimis fluidis, & levibus; jura carniū cocta cum oleribus moderate attenuantibus, Endivia, Cichoreo, Chaerophyllo, Apio, Brassica, & panis optime fermentatus, conducunt. 2. Condimentis acrioribus, Sinapi, Eryfimo, Eruca, Sisymbrio aquatico, Nasturtio, Raphano hortensi, & rusticano, Lepidio, Cochlearia, Capsico condito, Cepis: Porris, Alliis, Aromatibus orientalis, & occidentalis Indiae; &c. 3. Potu acriore, fermentato, vetustiore, spirituosissimo, aromatico, cerevisia, vino, hydromelle, vino in spiritus converso. 4. Diluendo potu, fotu, balneo, injectu, aquosorum, adjutorum per calorem, vel & motum cursus, exercitii, frictionis, equitationis, uestionis. 5. Per valida Stimulantia sudorifera, diuretica, purgantia, vomitoria, epispastica,

mercurialia, aromatica, de quibus postea (1189. 5.) 6. Per
valida resolventia, ut sunt alcalini fixi, volatiles, saponacei
(1165. 2. 3. 4.) sales, atque ea, quae ex his componendo
sunt.

1170. Motus vero nimius humorum quorumcumque per vasa
circumducendis, fecernendis, excernendis, humoribus dicata,
indicat sedationem ejus, quae fit. 1. Ablato illo singulari Sti-
mulo, qui fibras irritans motum illum excitat; aut & corre-
ctione ejus per sua contraria; cognoscitur inprimis indagine
acris, & correctione ejus statim secutura (1172. ad 1178.).
2. Imminutionem totius massae fluidorum. 3. Quiete inducta
per opiata, & anodyna.

1171. Idem ille motus nimium imminutus exigit excitationem
majoris impetus, qui produci potest 1. Ablato impedimento per
remedia corrigentia, vel auferentia. 2. Ope Attenuantium (1169.)
& Cardiacorum (1095. ad 1115.)

1172. Acrimonia humorum in genere cognita (910.) etiam
in genere indicat reductionem acrimoniae ad inertiam majorem;
haec autem efficitur. 1. Victu assiduo ex iis alimentis, quae
fere insipida, farinacea, gelatinosa, blande oleosa; qualia
sunt, Lac cum pane, & paucis acidum prohibentibus; jus
carnis recentis, junioris, coctione, vel expressione, paratum;
Carnes, Piscesque recentes; Panis Triticeus, bene fermenta-
tus, perfecte coctus; Amygdalae bonae, recentes, Nux Co-
cos utriusque Indiae cum suo lacte; Pistachia; Fructus horaei
suaves perfecte maturi. 2. Potu aquae. 3. Quiete Animi, &
Corporis. 4. Diluentibus Aquosis, linientibus farinosis, & sub-
oleosis, emollientibus blandis; quae sunt specie ptisanae, emul-
sionis, fomenti, balnei, haustus, clysmatis, injecti. 5. Opiatis,
& Anodynis.

1173. At acrimonia Acida (912.) petit correctoria sua, ut
sunt. 1. Victus ex Ovis, Carnibus, Piscibus, suboleosis; una
cum condimentis humores in alcalescens determinantibus (1169.
2.). 2. Potus aqueus, vel Oleosus pinguis, ut ex Cerevisis,
inprimis Brunsvicensis Mumma; ex Vinis, Malvaticum, Ca-
nariense, Hispanicum, hydromel merum, & vetus. 3. Quies

primo quamdiu acor ingens praedominatur, postea motus sensum auctus; & tandem satis magnus; animi hilaritas. 4. Medicamenta acidum, α . absorbentia, Lapis Cancrorum, Chelae Cancrorum, Offa Piscium, Ostracodermata quaelibet, Conchae, Margaritae, Corallia, Creta, Terrae pingues, Armenae, Lemniae, Sigillatae, Lapis Hematites, Sanguis Draconis, Limatura Ferri, Stannum, & similia igne, atque tritu, potentiora β . Acidum convertentia in salem compositum blandum, & facile meabilem, ut sunt sales alcalini volatiles, fixi, saponacei. γ . Obtundentia ibidem blanda oleosa virtute (1157.) 1158. 2. 3.) emollientia δ , diluentia aquosa mollia (1172.) 2. 4.).

1174. Rursum detecta acrimonia Alcalina (911.) exigit 1. Diaetam ex lacte animalis herbis mollibus pasti, ejus sero, lacte deflorato, lacte ebutyrato; ex fructibus horaeis; ex farinosis acidis, vel facile acescentibus (1100.]. 2. Potum aquosum, farinosum, subacidum, vel fermentatum leviolem. 3. Quietem, frigus moderatum. 4. Medicamenta, quae alcali α . destruendo illud in salem compositum blandum, & facile meabilem convertunt, ut sunt acida fere omnia; ex Animalibus Serum Lactis acidum, Lac ebutyratum, Lac acidum factum; ex Vegetabilibus, Acetosa, Acetosella, Oxys trifoliata, Cerasa acida, Ribesia, baccae Sambuci, Berberis fructus, succus Aurantii, Citrii, Limonii, Omphacium, Vinum Rhenanum, Mosellanum, Acetum, Aceti spiritus, Aceti faex, Tartarus Rhenanus, ejus cremor, ejus crytalli, Tamarindi, Acaeciae succus, &c. ex Fossilibus Spiritus Sulphuris, Vitrioli, Salis, Nitri, tam puri, quam dulces, aut congesti in aliquod corpus, ut nitrum nitratum, sal marinus acidus redditus, &c. β . Quae illud obtundunt inforbendo, ut sunt multa, Throchisci V. C. de viperis, terrae omnes pingues, molles, antitoxicae habitae, Melitensis, Armena, Lemnia, &c. vel obvolvendo, ut omnia olea lenia, recentia, pressa, sulphura viva, & depurata, horumque flores γ . diluentia aquosa mollia [1172. 2. 4.].

1175. Acrimonia Muriatica inventa (913.) indicat 1. Diaetam

tam perfecte insulsam . 2. Potum aquosum levissime acidulum spirituosum . 3. Medicamenta emollientia, farinosa, diluentia, tum quoque lixiviosa ex calce viva, 4. Generalia illa, quae expugnando acri in genere apta (1172.).

1176. Acrimonia oleosa, aromatica, biliosa, exusta, putrida, rancida, exigit 1. Victum ex insipidis, insulsis, farinosis, oleribus, fructibus acidulis, cibis lenissime acidulis . 2. Potum ex aqua, & oxymelle dilutissimo, vel decocto fructuum . 3. Quietem, & frigus moderatum . 4. Medicamenta saponacea, sed leniter acescentia, mel, manna, cassia, saccharum, succi recens pressi fructuum horaeorum maturorum (1100. 2.), aut olerum quorundam (1155. 3.), oxymel, sapo, talia fere sunt . 5. Generalia contra acria (1172.).

1177. Acrimonia tandem acida austera indicat medelam; (1173. & 1169.).

1178. Quicumque bene intellexit fundamenta haecenus jacta in hac Methodo medendi, simulque curate expendit Hippocratica Opera, atque Galeni in illa eruditas curas; ille profecto cognoscet remedia requisita ad coctionem, & crisin, in morbis Acutis, & Chronicis, excitandam, promovendam, gubernandam, absolvendam.

1179. Etenim consistunt haec tantum in attenuatione spissi (1169.), in lenimine acris (1172. ad 1178.), in apertura viarum obstructarum (1166.), in roboratione laxi (1159.), in laxatione rigidi (1158.), moderamine motus (1170. 1171.), ut evolventi placita Veterum liquido constabit.

1180. Quin etiam ex iisdem definiri potest, quid sentiendum sit de jactata omni quidem tempore, & in primis per primariis Chemicorum, Panacea, si prius attente considerantur haec axiomata.

1. Panacea non agit sua virtute in cadaver.
2. Sed requirit actionem vitae superstitis, ut in exercitium suae potestatis excitetur.
3. Non etiam agit in partem corporis perfecte mortuam, adhuc toti cohaerentem, sive in pus conversa sit, vel in ichorem, vel in sphacelum.

4. Sed

4. Sed terminatur extensio virtutis ejus in solo vitali a dhuc.
 5. Non restituit per se liquida vitalia perdita.
 6. Nec eadem exquisite corrupta reducit in indolem naturalem. ex. gr. pus ; ichorem , putridam saniem , liquamen cancri.
 7. Non restituit partes solidas extirpatas , aut consumptas plane , vasorum , viscerum ; artuum .
 8. Multi admodumque varii morbi possunt oriri ab una , eadem , simplici ; materiali ; & efficiente causa , si illa variis modis diversis partibus corporis applicatur .
 9. Equidem a solo motu spirituum animalium variato plurimi certe morbi oriri , foveri , crescere possunt .
 10. Ut & a solis obstructionibus superstite vita natis .
 11. Tandem a solis spasms , flatibus , stimulis exiguis , venenisque .
1181. Qui enim omnia dicta , verissima quidem , ponderat . clare videbit , uno medicamento multos morbos saepe tolli , nullo autem omnes .
1182. Remedia autem maxime universalia nota hactenus , sunt aqua , ignis , argentum vivum , opium .
1183. Ex his quidem plurimum usurpatis , sed cautissime absconditis , nomen sibi maximum comparaverunt , qui Medicinam Universalem possedisse vulgo creduntur .
1184. Iterumque inde constat ; quaenam correctoria medicamenta in morbis dicantur , & an sint ulla universalia ?

§. MCLXIII.

Evacuationem) Ab his duabus indicationibus oritur divisio summa medicamentorum in alterantia , & evacuantia , receptissima apud veteres .

§. MCLXIV.

Singulari] In corpore sano non potest obstructio nasci in uno loco , quia impedimentum universale sit .

§. MCLXV.

§. MCLXV.

Resolventia) Sive ea, quae per facultatem vitalem in actum deducta efficiunt, ut concreta, quae olim soluta fuerant, in pristinam fluiditatem redeant, (ut elementa sanguinis non cohaereant 1732.

Saponacea] Maxime, quando gluten adest. Sed observandum, ne sapo detur in putrefactione alcalina; tunc enim fructus horaci optimi sunt.

Bilis] Quae fere inter omnia eminent.

Succi] Nullus liquor chemicus, & vix ipsum argentum vivum sanguinem aequè potenter fundit, atque oxymel HIPPOCRATIS, vel succus fumariae cum lacte, sufficiente & dosi, & constantia adhibitus.

Coagula) Coagulum etiam per alcalia obtineri potest, exempla & in lacte existant, & in sanguine: tunc resolvuntur per acidum spiritum oleo obvolutum, & quasi saponaceum.

Cardiaca) Quae motum augendo efficaciam saponaceorum adjuvant.

Stimulantia) Resolventia, quaecumque fuerint, nihil agunt in sanguinem, quamdiu quiescunt, quando vero ad cor deducuntur, medicamenta in pulmonis arteriis actiosa redduntur, & solvere incipiunt compacta. Conquassatio mechanica facit resolutionem, non medicamentum sibi relictum.

§. MCLXVI.

Emollitio] Non alius modus existat, quo vasa dilatari queant.

Suppuratio] Haec vulgaris methodus est, qua natura se depurat: vas nempe obstructum liquore porro ad circulandum inutitum, (1732. quando vasa cum materie obstructante coaluerunt,) abrumpit supra obstructionis sedem, & in puris speciem conterit: pars autem vasis superstes integra manet, & a vitae viribus elongata fere in priorem formam extenditur. Male adeo PARACELsus & chemici, omnem subpurationem malam esse. Qui dissipare tentant, quae subpurare coeperunt, ii dissipant partem liquidiorē, exsiccant reliqua, & scirrhum, aut cancrum, & aliquando gangraenam faciunt.

Scalpello) Quam primum pus album homogeneous adest, scalpello tumorem aperiri oportet.

§. MCLXVIII.

Fluiditas) Omnia alimenta nostra, quando in chylum praeparata sunt, sanguine sunt leviora: densitatem vero habent ab actione comprimente viscerum. Hinc non sanatur consumptio, nisi densato per motum

tum solidorum sanguine. Haec autem motus in liquida est efficacia, ut minor quidem, quando simul materies tenuis subministratur, eadem resolvat, major autem diu continuata denset, & consolidet.

§. MCLXIX.

Spiffitudo) Aliquando in tota massa humorum diathesis crassa dominatur, tunc fere lapo cum saccharo, vel melle, sunt medicamenti universalis loco, quod fere omnia dissolvunt. Diu vero continuare oportet ad summam debilitatem, donec sentiat aeger se moveri, & diarrhoea, aut temporaria diabetes accedat. Ego solo illo HIPPOCRATICO melle morbos abdominis pertinacissimos vici, sed adeo copiose, adeo constanter dato, ut laxitas, & solutio succederet, & per omnia emundatoria humores exirent. Succus recens uvarum eadem facit: datus enim homini non adueto nimis largiter, facile efficit, ut absque sensu faeces imprudenti erumpant, adeo laxat. In Gallia jocus est, quo extraneos ludunt.

Acrioribus] Optima equidem & multo usu comprobata, nam motum augent, & primo effectu adtenuant, postea vero consolidant: neque diu oporteret iis uti, sanguinem alioquin densaturis.

Spirituoso) Mumma adsumta disponit corpus, ut per aliquod horas frigus toleret, quod vix alia ratione ferri posset. Talia ergo in usum revocari possunt, quoties frigus adtenuationi humorum obest.

Aquosorum] Nihil coacta potentius resolvit, quam aqua lapsu in motum acta, & calida, quae in partem morbosam destillat, *εμβροχυν* vocant, si praeterea frictiones adhibueris, dum tepet aqua. Aquilgrani celeberrima antlia est, ex qua a definita altitudine, in partem obstructam dimittitur calida, quae & a calore, & a lapsu mire mobilis omnia resolvit, & ipsum quidem scirrhum, uti fidi observatores testantur. Inde mirabiles illae curationes, quae non in his solis thermis laudarentur, nisi ibi mallet sanari aegri, & curationi se integrius traderent.

§. MCLXX.

Minuitur] Quando diarrhoea a causa acida adest, facillime subprimitur dato bolo armena. In diarrhoea infantili soleo faeces inspicere: si virides fuerint, causa est ab acido, ergo drachmam cretae cum aqua tritae exhibeo, & similia per clysmata jubeo injici: continuo debellatum est. Ergo unice quaerendum, quaenam mali species in his morbis adsit.

Stimulo) In morbillis, & variolis febris vix sanatur, nisi educto prius mirifico illo, & ignoto stimulo. Quidquid insuetum adsumimus, febrem facit, adluetum minime.

Fluidorum) Hoc remedium aliquando succedit. Alias visum est, post quadraginta venae sectiones febrem pejorem factam esse: exemplum exstat in principe Hispano.

Quiete) Ne motus, conatus, vociferatio fiat, plurimum nocitura curationi destinatae.

§. MCLXXI.

Aquae] Nihil natura dedit magis oppositum acrimoniae: nulla enim arte mutatur, nunquam acris fit, & omne acre domat, si metallicam forte, & arsenicalem acrimoniam exceperis (& adamantes, & vitra, atque mechanica acria 1732.)

§. MCLXXIII.

Mumma) Cerevisiae, & vinorum species, quae ob olei abundantiam vires sub ipso aequatore conservant: huc mumma perinet, & vinum hispanicum, & canariense: haec omnia ob olei copiam vix unquam acescunt.

Quiete primo) Quia ipse motus vim acidi auget, domita vero prius acrimonia, motus malum funditus tollit.

Pinguis) Veteres in morbis acutis pessimis, & putridis laudabant has terras, quae acrimoniam oleo quodam inviscarent, & GALENUS in Lemnum profectus est, unice ut celebrem bolum videret, quae in ea insula effoditur. Ex eadem causa, post multa secula, PARACELsus insulas maris mediterranei peragravit. Causa, quare in ore deliquescant, est in sulphurea molli suavissima pinguitudine, quam conjunctam habent, omnia acria inbibentem.

§. MCLXXV.

Calce) Caro salita, quae falsedinem neque tertia coctione deponit, & lardum, quod etiam 24. horarum maceratione minime salem deponit, semel omnino in lixivio calcis vivae cocta dulcescit. Hinc scorbutus, muriaticum illud malum, ortum a sale marino cum oleis nostris tenaciter conjuncto, non facilius, quam per lixivium calcis vivae sanatur.

§. MCLXXVI.

Aqua) Verum aqua oleum praeterlabitur, neque solvit: ergo mel miscetur, aut acidum, si adfuerit nutredo. Hinc in acutis morbis ubique oxymel suum praescripsit HIPPOCRATES,

Raucida] Qualis ab usu salmonum succedit, & aliorum piscium pinguiorum. Hic saponis acidi cum aqua profunt.

§. MCLXXVII.

Austero] Saponacea antacida hic juvant, maxime sapo aut venetus, aur starkejanus: hi enim resolvunt vi saponacea, alcalina vero acidum frangunt.

§. MCLXXVIII.

Cochionem] Hoc videtur difficile esse, cum coctiones nihilo minus variae sint, quam cruditates ipsae, & istae aequae variae, atque causae proximae. Inde infinita illa in methodis diversitas. Et tamen hic maxima simplicitas est. Tota natura facit coquendo, ut spissum adtenuet, acre obtundat, rigidum laxet &c. Sed natura nimis nobis mobilis est, ergo sedanda, inflammatorium spissum peccat, ergo laxanda vasa, & adtenuandum spissum, ut transire possit.

§. MCLXXIX.

Spissi] In coryza tenue inspissandum est, in pleuritide laxanda vasa, & materies adtenuanda, & moderandae vires vitae, ut movere possint, urgere nequeant.

§. MCLXXX.

Panacea] Hoc nomine veniunt medicamenta, quae unico momento tollunt morbos omnes. Talia exstare Chemici, & olim inter veteres jactatores aliqui adfirmaverunt. Verum ex ipsis PARACELSI, & HELMONTII scriptis satis EGO inveni argumentorum, ut nullam panaceam dari evincere possim. PARACELsus enim in Chirurgia, quam paulo ante mortem scripsit, fatetur infinitos morbos dari, ne quidem panacea sua sanabiles: HELMONTIUS vero PATER neminem, etiam si omnia arcana possideret, posse omnes morbos curare. Videtis sapientiores fuisse suis lectoribus.

Vitae) HELMONTIUS ait Butleri lapidem solo adtactu ad linguam multos morbos sanare. Non repugno, & aliquid simile vidi. Sed tamen etiam tunc agit vi vitae.

Mortuam) Nemo dixit unquam posse pus converti in ea vasa, ex quibus destructis natum est. Si parti sphacelatae medicamentum adplicueris, aget utique ad limites usque partis vivae, & separationem mortuae promovebit, nil vero ultra faciet.

Canceri] PARACELsus promisit se per arsenicalia medicamenta cancrum sanatum.

sanaturum esse. Sed beata secula! quae veros effectus viderint.

Solidas] Novi hoc adsertum fuisse a VIRO CLARO vesania chemica percito, & ex eo experimento confirmatum esse, quod etiam cancris chelae renascantur: saepe enim reperiuntur cancri altera chela magna, altera minima. Verum certioribus experimentis constat, cancris certis anni temporibus latebras sibi eligere, in quibus osseam crustam exuant, & molles adeo, nudosque esse, donec iterato incrustentur. Cutis adeo cancris renascitur, non chelae: uti nobis cuticula renovatur, artus vero ablati non regenerantur.

Causa] Ita sanguis intra vasa debita motus, & coercitus, vitam facit; perfecte quiescens, mortem: si idem in arteria dilatata stagnaverit, aneurysma facit, in vena varicem, sub cute sugillationem; si effusus fuerit ex vasis, in naribus haemorrhagiam facit salutarem, in vasis vero cerebri apoplexiam, in vasis pulmonis haemoptoen, in cavitationem pectoris demum ejectus empyema. Si idem optimus sanguis loco tantum mutatus fuerit, innumerabiles morbos facit: & cum ab uno humore oriuntur omnes, posset concedi Chemicis, omnes etiam uno medicamento sanari posse. Qui hausto medicamento inflammationem in digito sanare posset, posset etiam nephritidem, & pleuritidem, & alias inflammationes internas sanare.

Spirituum] Spiritus dirigunt in corpore omnes sphincteres valorum: hinc a perturbatione spirituum morbi: hystericae feminae ex levi animi motu paralyticae fiunt, & apoplecticae. Hos omnes morbos, cum in eodem liquido sint, medici opio sanant, non bene vero inde concluderunt, omnes per opium morbos sanari: spirituum quidem dormitor est, non ideo continuo panacea vocari meretur, uti solebat panaceam vocare D. PHELIPO Principis Condei Medicus.

Obstructiones] Ab obstructionibus oriuntur morbi chronici plerique. Sed obstructiones, quatenus obstructiones sunt, sanantur omnes mercurii viribus.

§. MCLXXXI.

Nulla] Nugator fuerit, qui promittat se sanaturum arteriam Aortam in thorace ruptam, aut eodem medicamento susceperit sanationem & acidi, & alcalini morbi, & spissae, & fluidae humorum degenerationis.

§. MCLXXXII.

Aqua] Non per propriam mobilitatem, sed per calorem fani hominis resolvit mirifice.

Mercurius] Is aqua est, sed quatuordecupolo ponderosior, & ad aliqua loca penetrat, quo aqua nunquam pervenit, idemque resolvit omnia, quae haerent in arterioso, & venoso systemate. Hinc solus sanat fere unam tertiam partem morborum pertinacissimorum, ulcera omnia, & scabiem.

biem. Hoc solo l. CARPUS, cum desperata ulcera sanaret, famam tantam adquisivit, ut diceretur daemonium habere.

Opium] Quod omnibus spirituum morbis medetur. Rex M. Britanniae aliquando ad LOVVERUM dixit. Si tibi scalpellum tollerem, haberes aquam: si etiam aquam auferrem, supererit opium, opio vero sublato, mercurius superest, post eum ignis.

§. MCLXXXIII.

Universalem] HELMONTIUS medicinam universalem posuit in Archæi sedatione. Hoc arcanum filius ejus F. MERCURIUS Boyleo aperuit, erat opium cum succo cydoniorum fermentatum, nihilo potentius crude opio. PARACELUS ex laudani, nempe opii usu inclaruit, cum eo aevæ medici non auderent exhibere; deinde mercurii usu, nondum in Germania cognito, quem turpethum vocavit, & in morbis denique variis elixire proprietatis. Qui in tantis seculi tenebris adeo valida medicamenta solus sub imperio habet, is quidam facile AESCULAPII famam attingit. Ipse vero PARACELUS pro primario medicamentorum suorum agnoscit turpethum minerale in spiritu vini lotum, in libello *das Kleine Spitalbuch*.

INDICATIO CURATORIA IN FLUIDIS EVACUANS.

1185. **M**Orbi materia, vel id, quod ad levamen ejus educendum ars indicat, evacuatur quidem per duplicem viam: 1. Per naturalia emunctoria, & spiracula totius cutis externae, narium, oris, faucium, oesophagi, ventriculi, intestinorum, vesicae, urethrae. 2. Per artificialia in vasis sanguiferis per phlebotomiam, arteriotomen, scarificationes, hircines; in vasis lymphaticis per caustica, & vesicatoria; in utrifque per fonticulos, fetacea, ulcera, fistulas.

1186. Hinc prima distinctio Evacuantium habetur a diversitate Emunctorii, per quod educunt materiem morbosam.

1187. Altera autem petitur a diversitate materiae, quae per singulas quasque partes educitur.

§. MCLXXXV.

Artificialia] Haec vel agunt in vasa sanguinea: educendo purum sanguinem, vel in lymphatica, educuntque lympham.

§. MCLXXXVI.

Emunctorii] Quando materies evacuanda per vasa salivalia ducitur; evacuans dicitur sialogogum, quando sursum ex ventriculo, vomitorium, quando deorsum per anum ducit, purgans est.

SUDORIFERA.

1188. **P**rimo itaque per cutim educitur ex corpore Sudor; & materia Perspirabilis; medicamenta, quae priorem eliminant, vocantur Hidragoga, vel Sudorifera, quae alterum educunt, appellantur Diaphoretica; quorum quidem non adeo magna differentia, utpote solo gradu actionis diversa sunt autem talia. 1. Omnia, quae humores validius movent per totum corpus (1171.); 2. Illa, quae interim simul imminuunt resistantiam in vasis exhalantibus circa cutim.

1189. Prius illud efficitur inprimis, 1. Potu copioso aquae valde calidae. 2. Acidis fermentatis, acetosis, maxime stillatitiis, vegetabilium, aut & valde attenuatis fossilium, iteratis destillationibus subtiliorum (1174. 4. a.), inprimis si haec aquae calidae mista bibuntur. 3. Alcalicis volatilibus, & fixis, aqua calida dilutis. 4. Salibus omnibus compositis dictis; (1165. 2.) aqua solutis; quo & saponis referendi (1165. 3.); item crysalli ex metallicis, vel sales iis juncti, aut ipsae partes metallica valde attenuatae, nec fortiter acres, ut Stibium Diaphoreticum vulgare, Stibium Diaphoreticum *Helmontii*, Sulphur Stibii fixatum *Tachenianum*, Bezoardicum Minerale, Mercurius Diaphoreticus, Aurum Diaphoreticum *Crollii*, Cinnabaris, & plura similia, quae examinata deprehenduntur vel
nihil

nihil agere, tumque diaphoretica dici, vel acrimonia falina adhaerente operari tumque sudorem saepe exprimere. 5. Aromatibus acri, subtili, acrimonia praeditis, ut sunt praecipue Abfinthium, Abrotanum, Ageratum, Apium, Asparagus, Anisum, Angelica, Asarum diu coctum, Asclepias, Acorus, Aristolochia, Ammoniacum Gummi, Bardana, Beccabunga, Betonica, Carlina, Carduus Benedictus, Calamintha, Caltha, Cardiaca, Caryophyllata, Carum, Caryophilli, Centaurium minus, Cinnamomum, Crocus, Chamaemelum, Capilli Veneris, China, Dictamnus Creticus, Dictamnus albus, Eupatorium, Erysimum, Eruca, Galanga, Gentiana, Hyssopus, Laurus, Levisticum, Marrubium, Matricaria, Melissa, Mentha, Nasturtia, Origanum, Porrum, Pulegium, Rosmarrinus, Ruta, Sabina, Saliva, Sanicula, Sarsaparilla, Sassafras, Satureia, Scabiosa, Scolopendria, Scordium, Serpillum, Tanacetum, Thlaspi, Thymus, Veronica, Virga Aurea, Urtica, Zedoaria, & composita ex his: Theriaca aucta, Theriaca Diateffaron, Mithridatium, Electuarium de Ovo, Diascordium, Orvietanum; & plurima similia, ut sua cuique placent.

1190. Posterius (1188. 2.) vero efficitur 1. Mondatione accurata totius cutis per vapores, lotiones, balnea, frictiones. 2. Laxatione omnium vasculorum cutaneorum, & subcutaneorum; quae felicissime impetratur vapore aquae calidae toti cuti excepta capitis, applicato. 3. Aucto calore externo circa corpus nudum tepore lecti balnei vaporis, spiritus vini accensi. His ipsis (1189. 1190.) lenius agentibus promovetur Perspiratio insensibilis, Diaphoresis dicta.

1191. Praeparatur corpus ad faciliorem ejus exercitationem, si id requiritur, 1. attenuatione (1169.), & dilutione humorum. 2. Vasculorum laxatione, (1158.), & apertura (1166.).

1192. Sudor, & Diaphoresis indicantur in morbis.

1. A praesentia incipientis sudoris Critici solventis; vel levantis, morbum.

2. A tenuitate materiae morbosae dispersae, vel dispergendae, per omnia vasa. Ut peste, morso venenato, lue Gallica subtiliori, nec fixata hactenus.

3. A temperie singulari ipsius Ægri.
4. A constitutione Epidemica cognita.
5. Ab obstructionibus variis, & ubique in toto corpore hærentibus, resolvendis; maxime in morbis subcutaneis, scabie, plura fera, lepra, lue Gallica ulcerosa.

§. MCLXXXVIII.

Diaphoretica) Quæ a sudoriferis solo gradu distant, quod nempe exhalatio, quam movent, visu minime percipiatur.

Inminutam] Homo perfecte sanus sudabit, quando corpus extrinsecus tepida laxatur.

§. MCLXXXIX.

Fermentatis] Vinum rhenanum cum calida est certum sudoriferum.

Acetosis] Non aliud sudoriferum potentius est aceti uncia una, cum aquæ viginti unciis poti.

Salibus) Pleraque, quando in aqua solvuntur, ut corpus permeare possint, sudorem movent, stimulant enim vasa, neque contrahunt.

Stibium diaphoreticum] Hæc omni anon agunt alia vi, quam vomitoria diminuta, si calida superingesta fuerit. Nam omne emeticum minerale debilius anxietates, & sudores movet, si aquam superbiberis. Neque theriacæ drachma sudorem movebit, nisi aquæ uncias viginti conjunxeris.

Aurum diaphoreticum] Auri fulminantis species est, quod paullo majori copia datum venenum est, HOFMANNO teste, tormina enim facit &c.

Salina] Hoc forte de cinnabari dici poterit.

Diateffaron) Tanti fecerunt, ut *πυροπία* vocarent, deinde ali medici alias compositiones excogitarunt. Sed revelata vilescunt.

§. MCXC.

Aquæ) Quando sudor nullo remedio cieri potest, corpus nudum solo pallio tectum oportet in vapore calidæ ponere, ita brevi totum defluet, ex sola laxatione vasorum cutis. Neque majus diaphoreticum datur, quam calidæ vapor.

Spiritus) In lue venerea, quæ in ipsa ossa radices egit, non alia curatio superest, quam replere corpus decocto ligni guajaci, ut fere hydropicum sit, deinde agrum cistæ includere, ut solum caput emineat, sub

sub cista vero spiritum vini accendere, ut adscendens vapor corpus feriat, totum in sudoris speciem liquefacturus. Quando cum hac curatione copiosus potus conjungitur, potest adeo profusus sudor cieri, ut viderim crustas crassissimas intra duas horas de fronte cecidisse separatas, & potum omnem absque mora per cutim exisse. Sed hic vapor alcoholis, ut in chemicis demonstravi, nil nisi aqua est, si alembico acceperis, perit autem forte pars sedecima, quae forte aliquid salini est. Ergo & ipsum alcohol hic operatur per aquam, in quam vertitur elementarem.

§. MCXCI.

Laxatione] In sanandis siphilicis jubeo corpus prius asperis, & calidis pannis perfricari, deinde corpus decocto repleo.

§. MCXCII.

Critici] Hinc sudor, qui in morbi initiis funestus foret, idem versus finem salutaris est.

Gallica] Quando homo ulcera, & tumores venereos sub cute habet, quaero, an ad ossa dolorem sentiat, ad an pubem: si negat, * video materiem ad exteriora vergere, & facilius per sudores, quam per salivationem sanari. Ergo sudorem urgebo.

Morbosae] In primis initiis pestis credo aegros sanari posse, si incista sudarent supposito iacento alcohole, dum copiosissimas pituitas acidas bibunt. Pestem enim per sudorem sanari, omnes consentiunt, facile vero sudorem elici negant. Sed nulla alia validior methodus efficiendi sudoris.

Aegri] Dantur enim corpora, ex quibus sudor difficillime elicitur.

Leprosae] Hac methodo sanavi aliquando nobilem puellam perfecte leprosam. Etiam alios aegros levare vidi, ita tamen, ut malum redires.

Α Π Ο Φ Λ Ε Γ Μ Α Τ Ι Ζ Ο Ν Τ Α.

1193. **I**N Nares se evacuant omnes partes membranae pituitariae Schneideri; quae ingens, & per varia cava distributa est (494.), & fecernit mucum (497.), falso pro pituita cerebri habitum, huc & materia humida oculorum tam

naturalis, quam lachrymosa (513.); tum materies liquida in coryza, crassior in catarrho pituitoso; adeoque ingens hic copia humorum evacuari tam vi naturae in morbis, quam per medicamenta, potest.

1194. Indicatur haec evacuatio instituenda.

1. A gravedine, coryza, catarrho, sternuatorio morbo, pure per nares destillante, morbis oculorum lachrymosis.

2. A temperie aegri multum levamen capientis ab hujusmodi evacuatione.

3. A revulsione faciunda a pulmonibus in branco, peripneumonia, phthisi, gravedine pulmonali.

1195. Excitatur fotu, vapore, vel decocto per nares attracto, 1. Aquae calidae cum emollientibus diu coctae. 2. Ejusdem melle, aut saccharo paullo acrioris redditae. 3. Decocto mellito ex Betonica, Lavendula, Majorana, Pulegio, Rosmarino, Ruta. 4. Iphis his herbis viridibus contortis, sicque in nares inditis. 5. Omni stimulo acriori, ut saccharo, sale, sale Ammoniaco, pulvere Antimonii; aut semicaustico ex Tabaco acerrimo, Nigella sylvestri, Helleboro, Euphorbio. Haec Er-rhina, & Ptarmica.

1196. Siftitur, si nimia sit, maxime si fortis sternutatio comi-tatur, & destillatio acris.

1. Lacte recenti, tepido, malvaceo, naribus attracto.

2. Suffumigijs blandis ex vapore accensi Benzoini, Mastiches, Olibani, Succini, Thuris, aut leniorum aromatum, ut sunt Ma-jorana, Mastichina, Pulegium.

Caeterum si nimis exercetur haec evacuatio, damnosa consue-tudine huc derivat affiduo humores.

1197. Quum vero per os, & in illud se evacuent nares, (1193.) ductus salivosi (65.), tonsillae, & membrana *Schneideri* (65. 5.), hinc primo hic est Indicatio, medela, remedia, cau-tela, ut (1194. 1195. 1196.): quare & hic Apophlegmatismi, & Gargarismata.

§. MCXCIII.

Φλεγμα) Hic dicimus mucum, narium, oesophagi, ventriculi, intestinalium, faucium.

Cerebri) Quod levatur ab hac mucii excretionem, quia divertit ex arteriae carotidis externae ramis.

§. MCXCIV.

Temperie] Corpora enim reperiuntur, quae fere per solum mucum se repurgant, his adeo laudabilis ejus excretio est, ut coryza morbos ingruentes aliquando avertant. Sunt qui nunquam ex morbo decumbunt, singulis vero mensibus coryzam patiuntur. Iis hanc evacuationem sollicitè conservare oportet.

Perpneumonia) HIPPOCRATES jussit in morbis pulmonalibus, quando a mucò falso tabem secuturam metus erat, revulsionem facere, & ad catarrhos materiam ducere: & ipse sperarem, Phthisin me sanaturum, & membranam Schneiderianam satis laxam efficere possem.

§. MCXCV.

Calidae) Nihil pulchrius est aqua cum malva cocta, ex manu per nares adtracta alterne & per os emissa. Haec laxat totum systema pituitosum, neque unquam dolorem capitis facit, ut illa acriora solent. Ipsa ozaena hac ratione sanatur. Hydromel acrius est, & partes irritat, ut fere lacrumetur. Adeo enim sensibiles hi nervi sunt, ut a multis rebus adficiantur, quas alii nervi non sentiunt, odoribus nempe & fetoribus.

Acriori] Saccharum in pollinem tritum & naribus haustum facit stertutationem, & hanc evacuationem promovet.

Euphorbio) Hujusmodi medicamentorum tanta vis est, ut BOYLEUS in l. de utilitate philos. experimentalis testetur hac ratione bis cataractas in utroque oculo sublatas esse ab eodem empirico: & in altero quidem experimentorum turbitum minerale cum saccharo in nares jussit adtrahi, unde mox & saliva, & urina, & alvus, & vomitus ita mota sunt, ut omnes stuperent. Fere similis curatio solet a veterinariis ad farciminales equorum vermem curandum adhiberi. Incidunt in parte satis nervosa cutem, & helleborum infigunt, ita malum abigunt VVILLISIO teste (i. GESN. cranium perforare, & inferere helleborum in vertiginoso morbo). Nam, quae huic membranae adplicantur, eorum vis ad nudum fere cerebrum admovetur.

§. MCXCVI.

§. MCXCVI.

Sistitur] Nam sternutatio diu continuata ipsam fere epilepsiam accersit.

Lacte) Erat ludi magister rosarum amantissimus, huic petulantes pueri rosas helleboro contaminaverunt, inde tantas convulsiones passus est miser, ut periisset procul dubio, nisi lacte cum malva cocto eum servassent. Certe irritatis plumula naribus sensus ad plantas pedis continuatur. Hodie haec vulgo negliguntur, veteres autem magno cum fructu his evacuationibus utebantur.

Destillatio] Lympha in coryza ita acris fit, ut labia excoriet, & pulmonem erodere possit. Juvat fumum accensi succini per tria, quatuorve horae minuta naribus haurire. Cauto tamen opus est, nam aliquando nimium siccatur, & dolorem capitis facit.

Damnosa] His hominibus huc deponuntur omnium etiam levissimarum mutationum effectus, unde perpetuus, & incommodus muci fluxus oritur.

§. MCXCVII.

Gargarismate] Ita vocamus elotionem oris per aquam aliquamdiu retentam. A prioribus vix differunt, nam ad eadem Schneideri membranam adplicantur, quae eadem oesophagum, nares, asperam arteriam, & fauces, orisque posteriora obducit.

ΣΙΑΛΟΓΩΓΑ.

1198. **E**vacuatio Salivae magna, & artificialis, indicatur:

1. A crisi tali.
2. A singulari natura morbi haerente inprimis ad glandulas, & ad membranas adiposas, inprimis autem in cura Luis Gallicae.

3. A natura morbi Epidemici.

1199. Corpus eo praeparatur, quam optime usu largo, aliquandiu continuato, praemisso decoctorum attenuantium, diluentium, lenientium, actu calidorum; Scabiosa, Parietaria,

Bardana, China, Sarsaparilla, Saffraſas, Santalum; hic præcipua.

1200. Excitatur.

1. Collutionibus oris [1197.].

2. Manducatione lenta, continuata, materiae tenacis, ut Mastiches, Cerae, Mirrhæ, maxime, ſi his acria permixta, ut Pyrethrum, Leutanthemum Canarienſe ſapore pyrethri, Zingiber, Piper, &c.

3. Hauriendo vapores acres, irritantes, ut Tabaci, Salivæ, Rorismarivi, Majoranae, Thymi, Serpilli, &c.

4. Inprimis & egregie actione medicamentorum, quæ levem quidem, ſed diuturnam, naufeam creant, ut eſt Stibium non penitus fixatum, nec tamen plane emeticum, parum Vitrioli vulgaris ſimul ſumtum, &c.

5. Iis, quæ omnes partes ſanguinis diſſolvunt, in lympham vertunt, in phtyalifmum convertunt: ut ſunt Argentum Vivum crudum, Cinnabaris, Solutio Argenti Vivi in aqua forti, præcipitatus albus, ruber, Turbith Minerale, Mercurius Sublimatus ſolutus &c. priorum autem primum una cum calido ſotu, capitis, cervicis, colli, faciei, eam actionem promovet.

1201. Nimia ſalivatio minuitur, vel ſiſtitur, aut ſaltem emollitur.

1. Largo, aſſiduo, uſu, potus tepidi blandiſſimi, ut decocti Malvæ, & Glycyrrhiſæ, in Hydrogalactæ.

2. Sedando impetum per emulſiones blandas, oleoſas, anodynas addito prudenter diacodio, vel opio.

3. Revellendo in alias partes per evacuationem quamcumque magnam, inprimis hydragogam alvinam. Ubi tamen ſumma prudentia opus eſt, ne impetus motæ, & hic ſemper acris, materiae, ruat in alias partes majori cum periculo, quare qui hic bene dividit, is tuto imperat.

§. MCXCVIII.

Glandulas] Lues venerea non ideo ſanatur, quia ſaliva copioſe per os excernitur, ſputatores enim melancholici, ſi lue venerea laboraverint, nihil

nihil ab his sputis juvantur: sed ideo, quia mercurius eadem ratione in omnibus glandulis viam expedit, & sanguinem in putrilaginem liquescit, uti in glandulis salivalibus fieri videmus. Hanc autem putrilaginem prudenter ad os deducimus, quod eo absque graviore malo deponatur. Audio de alio medicamento Londoniensi, quo absque salivatione luem celticam sanant: sed ego quidem nullam talem methodum novi.

§. MCIC.

Praeparatur) Quando salivationem impero, jubeo corpus prius per septimanam decocto bardanae ita repleti, ut pene hydropicum fiat.

§. MCC.

His remediis potest saliva exprimi ad eam mensuram, quae medico placuerit: juvat autem in leucophlegmatia maxime, ubi tenue serum per hanc viam ducere oportet.

Masticatione] Gummi mastiches hic princeps est, maxime quando adduntur aromata: singulare vero in illa est, quod etiam per octo horas inter dentes volutata naturam retineat, pergatque salivam ciere.

Planc emeticum] Omnia corpora metallica, quae leviori acrimonia nauseam excitant, ea etiam obstructions potenter solvunt, & salivam cient. Nam etiam vomituri saliva effluit, & HIPPOCRATES dixit, salivam in os effluentem vomitum portendere: & haec remedia ad obstructions adhibita raro fallunt.

Lympham] Mercurius dissolvit globulos rubros in flavos, hos in lympham, ut nullus fere sanguis reliquus fiat, omnesque humores in purridum liquamen abeant. Agit autem sola vi vitae actus, neque vermes occidit quietus, uti in Anglia ajunt vermes in arboribus occidere.

§. MCCL.

Decocto] Homo salivatione utens, etiam bene procedente, est in magno periculo, aliquando tanta mala patitur, ut ipsam mortem comminus videat. Tunc oportet salivationem moderari ope hujusmodi decocti, quod primo impetu eam augeat, ultimo vero effectu minuat. Nihil hic hydrogala pulchrius, cum malva decocto, & copiosissime hausto.

Revellendo] Cauto opus est; nam lympham putridam dolores iliacos in intestinis facit, irritatis nervis intestinalibus, ipsamque mortem, quando eo vergit; si ad cerebrum vero fluxerit, mirabiles & Venenis pares effectus edit.

Opio) Hoc coeleste & certum medicamentum est in salivatione nimia. Purgantia non commendo, etsi vulgo laudent, mortem enim accelerant, quando acris illa materia ad intestina vergit.

ΕΜΕΤΙΚΑ.

1202. **V**omitoria indicantur:

1. Foeditate matutina oris, ejus amarore; ructu, nausea, morfu ventriculi, appetitu lente ablato, sine febre concomitante, vel causa.

2. A spontaneo vomitu una cum magna ejus facilitate.

3. A natura materiae cognitae, ut mobilis, vel immobilis.

4. A loco affecto repletionem, & obstructionem, infra diaphragma, maxime si ea affectio primaria, nec aliud repugnat.

5. A natura generali morbi, vel epidemica.

6. A constitutione anni.

1203. Vetantur a contrariis horum (1202.).

1204. Praeparatur corpus aegri ad faciliorem, tutumque Vomitum.

1. Reddendo materiem mobilem, diluendo, attenuando, resolvendo (1169. 1165.).

2. Vias laxando, lubricando, per emollientia, oleosa, blanda.

3. Prius mittendo sanguinem, si corpus est plethoricum, aut nimis forte, simulque validissime agitatum.

1205. Excitatur.

1. Irritando spiritus oblata idea maximam nauseam producente; aut agitatione quadam non consueta, in mari, &c.

2. Irritando fibras faucium, & pharyngis penna oleo madida, aut simili quadam re.

3. Copia magna ingesta aquae insulfae cum oleo, melle, saccharo, & similibus tepidis.

4. Omni acri valde, & simul viscoso, Anethi flore, & femine, Afari foliis, Atriplicis radice, & femine, aut violentioribus iisdem, Cataputia, Efula, Cyclaminis radice, flore, succo

fuceo, cortice, Ebuli, Floribus, feminibus, radice Genistae, Helleboro utroque, semine Nasturtii, Ricini, Thymelaeae, Cnici; Radice Bryoniae, Iridis, Tithymali, Gratiola, Nicotiana.

5. Antimoniatis; Croco, Vitro, Floribus, Regulo, in substantia, in infuso, sapa, syrupus, vinum emeticum; Mercurius Vitae, Tartarus Emeticus, & similia; quae vario gradu violentiae varia effecta praestant.

6. Mercurio acri facto per acida, in quo etiam varia admodum distingui possunt, prout acidum copiosius, & apertius illi adhaeret, vel parcius, & tectius.

1206. Horum quidem delectus, dosis, formula, tempestivitas indicantur ab idea morbi, & materiae educendae.

1207. Promovetur potu copioso leni, aquoso, mellito, tepido, post singulos quosque vomituum parozysmos affatim ingesto, rejecto, repetito.

1208. Sedatur iisdem (1207.), hausto oleo blando; opiatibus; aromatibus; acidis gratis, corroborantibus, ingestis, aut externe applicatis.

§. MCCII.

Fooditate] Monente HIPPOCRATE.

Vomitu) Cave tamen, ne oriatur a cancro, aut ventriculi scirrho.

Facilitate] Hos homines HIPPOCRATES *εμετικος* dixit, quod facillime ventriculum per vomitum evacuarent. Obesibus vero a vomitu caput dolet, & arteriae rumpi possunt.

Febre) Tunc poterit inflammatio subesse, & vomitus nocere; si vero abfuerit inflammatio, plerumque prodest.

Immobilis] Emmetica non expellunt solum, sed solvunt. In locis circa diaphragma, vel in thorace, vel in abdomine obstructis, saepe solus vomitus viscera liberat, sed oportet sana esse, necdum debilitata.

Anni) Qua homines alioquin magis fluxiles sunt, v. g. aestate. HIPPOCRATES ait: Aestas, & autumnus inclinant in vomitum; minime hyems.

§. MCCIII.

Vetantur) Maxime, quando sanguis aut per alvum, aut per vomitum

um redditus fuit: Tunc a majori periculo. Apoplectici omnium certissime excitantur hausto vitriolo albo; verum cauto opus est, nam eo ipso vomitu sanguis magis ad cerebrum congeritur, & nova effusio sequi potest.

§. MCCIV.

Laxando) Donec ventriculus, & intestina fere paralytica facta sint; hoc fit maxime per blanda oleosa. Totam hanc artem caute vomitum movendi, tradidit HIPPOCRATES in l. de *Helleborismo*, quem OTTO HEURNIUS nobis conservavit.

Mittendo) Saepe certe ex neglecta hac ipsa cautela homines plethorici inter vomendum perierunt apoplectici, adparet ex catalogo *martyrum antimonii*, quem PATINUS edidit. In ipso enim nixu vomendi sanguis omnis ad cerebrum determinatur, id lacrumae demonstrant obortae, & vertigo: sed tunc quam facile rumpuntur tenerrimae arteriarum. Prudenter adeo monet SYDENHAMUS, in omni morbo, quando & emetico, & venae sectione opus est, istam oportere praemittere.

§. MCCV.

Insulsae) Arbor nascitur in *Paraguay*, cujus mollia folia Americanis in copiosissimo usu sunt, ut theiformi decocto sibi vomitum moveant, indigenas HISPANI imitati sunt, & EGO novi juvenes olim se invicem ad *theam de Paragay* invitasse, inque communem magnam patinam vomuisse, uti olim in tota Europa *emetica* agere receptum fuit. Intermissum vero est, quod nimis ventriculum debilitet. Lenissima methodus est, & certissima, quando fauces etiam plumula irritantur.

Nicotiana) Aqua, in qua tabacum maceratum est, continuo vomitum movet.

Antimoniatis) Haec unica virtus est antimoniatorum, quam arsenicali cuidam sulphuri HOFMANNUS tribuit; video tamen ex magna parte a praeparatione, & adplicatione pendere. Vitrum antimolii oculum non laedit admotum, nisi forte scabricie mechanica. Sed idem ad medium granum per os adsumtum, facit horrendos vomitus, quam primum ad ventriculum venit.

Mercurio) Hujus efficacia pendet unice ab acri corpore, quod mercurio adhaeserit. Nam integra crudi mercurii libra, quale pondus saepe aegri in volvulo devoraverunt, nihil mutat, unicum vero granum cum acido aliquo quasi subactum validissimum emeticum est. Convenit in crassa pituita.

§. MCCVII.

§. MCCVII.

Affatim] Ingerendo paullo plus aquae mulfae quam evomuit, idque faciendo post singulum vomitum. Haec regula pulcherrima est: Si corpus pituitosum fuerit, poterit modicus sal marinus adjici. Hac methodo obtinetur, ut vomitus nunquam noceat, ne ipsis quidem infantibus, centies autem infantibus rachiticis bimulis vomitoria dedi. Tunc enim fere nocet, quando ventriculus, dum convellitur ab irritante acri, siccus est.

§. MCCVIII.

Sedatur] Oleum recens amygdalarum hic praefens auxilium praestat. Opium vero cum aceto vix unquam fallit. Si nihil profuerit, magnas cucurbitulas oportet adfigere. Si neque istae juverint, signum est convulsiones rotam jam sanguinis missionem turbasse, & malum lethale futurum, quod HIPPOCRATIS de spasmō ex Helleboro praefagium est.

P U R G A N T I A .

1209. **I**N Intestina plurima evacuari queunt, adeoque hac via educi queunt ex corpore, saliva, mucus, oris, faucium, oesophagi, ventriculi, bilis duplex, pancreatica lymphā, humor intestinorum dilutus, vel mucosus, materies atrabiliaria cruoris, viscerumque hypocondriacorum, materies sanguinis serosa, tum purulentia quaelibet ex abscessu quocunque critico, symptomatico, morbofo.

1210. Indicatur haec Evacuatio.

1. A fluxu alvi non colliquativo.
2. A materia peccante, ejusque loco.
3. A loco repleto, vel obstructo sub diaphragmate.
4. A natura singulari, generali, epidemica morbi.
5. A revulsione.
6. A signis coctionis.
7. A statu aegri.

1211. Vetatur a contrariis.

1212. Materies movenda praeparatur, si opus est, iisdem ac ad Vomitum (1204.)

1213. Excitatur.

1. Diluentibus, simulque leniter stimulantibus, magna copia, jeuno corpore in frigore modico, haustis. Aquae, minerales dictae, tam ferratae, sulphureae, quam salinae, tales sunt; ferum lactis; fucci horaeorum maturi, recentisque.

2. Lubricantibus, simulque acrimonia facili stimulantibus utcunque. Olea blanda, recentia, pressa; Jura pingua, Decocta emollientia, horumve Extracta, Saccharum, Mel, Cassia, Manna, Terebinthina, Rosae pallidae, Syrupus Rosarum Solutivus, Rosarum pallidarum Succus, Gummi Ammoniacum, Galbanum, Myrrha, Opopanax, Sagapenum, mediocri dosi sumtum.

3. Leniter acribus, simulque paullulum crassioribus, adeoque inprimis in primas vias agentibus. Pruna acido-dulcia, Ficus recentes, Uvae Corinthiacae, Rheum, Tamarindi, Myrobalani, Tartarus, Aloe, Mercurius Dulcis rudius tritus, Polypodium.

4. Acribus. Asarum, Carthami semen, Agaricus, Mechoacanna, Jalappa, Turpethum, Hermodactyli, Senna, Soldanella, Turiones Sambuci, & Ebuli, Scammoneum, Diagyridium, Flores Perficacae.

5. Acerrimis fere causticis. Helleborus niger, Veratrum, Iris, Gummi Gotte, Esula, Gratiola, Elaterium, Lapis Lazuli, Euphorbium, Mezeraeon, Grystalli Argenti, Mercurius praecipitatus, albus, ruber, flavus.

6. Variis ex his, & vix enumerabilibus, compositis, forma pillularum, Electuarii, vini, medicati, &c.

1214. Horum delectus, dosis, formula, praeparatio, oportunitas indicantur, ut de vomitoriis dictum est (1206.); inprimis vero ex indole materiae educendae. Unde varias appellationes nacta sunt; ut *Ἐκροποτικά*, ut Purgantia *ἐπικρῆσις*, Minorativa, Laxantia, Cholagoga, Phlegmagoga, Hydragoga, Melangoga, Panchymagoga. Quorum nominum origo intellectu facilis.

1215. Promovetur jusculo salito, pingui, butyrato, fero lactis recenti, & similibus.

1216. Siftitur potu olei, oleosis blandis; acidis; adstringentibus, opiatibus; spirituosis; revulsione in alias partes quascumque.

1217. Fit & evacuatio alvi per Clysmata: indicantur haec:

1. A loco affecto.
2. A materie educenda.
3. A viribus attritis aegri, ejusve temperie, simulque urgente necessitate evacuationis.
4. A siccitate, calore, motu nimio humorum in acutis.
5. A concilianda revulsione, & lenimine requisito in fibris, & humoribus acris.

1218. Clysmata itaque varia sunt:

1. Diluentia ex aqua, fero lactis, cerevisia dulci.
2. Emollientia, & lenientia simul ex jure pingui, oleo, farinosis decoctis; decoctis emollientibus: lacte, saccharo, sapone, syrupis.
3. Stimulantia leviora, aqua falsa, nitrosa, decocta purgantium leniorum (1213. 2. 3.), urina.
4. Acrida, ex decoctis purgantium acrium, & acerrimorum (1213. 4. 5.).
5. Certissima fere ex fumo injecto Tabaci.

Atque hinc Suppositoria moventia, stimulantia, acrida, intelliguntur. Mel coctum spissum, Saccharum durum, Sapo, praebent cum acris haec cuncta.

1219. In his iterum observanda eadem ac in Vomitu, & in Purgatione (1206. 1214.)

§. MCCIX.

Quaerunt) Magnus error est, purgantia medicamenta non agere, nisi in ventriculum & intestina. Imo vero prius, quam in primas vias agant, turbarunt sanguinem, & febrim fecerunt, tunc vero effectum hujus febris ad alvum determinant. Hinc intelligitur, quare aliqui homines non ab aliis, quam a fortissimis catharticis adficiantur.

§. MCCX.

Colliquativo] Nam istam diarrhoeam potius opio suppressere, quam promovere, decet.

Loco] Hepate, Liene, ventriculo, fellis vesicula.

Obstructo] Nam purpantium effectus perinde est solvere, & educere.

Morbi] Dysenteriae epidemicae aliquando sanantur fere per purgationes. In omni morbo videndum, an eo materia vergat, & an morbus hoc ferat.

Cochionis) HIPPOCRATES vetat purgare in statu crudicatis.

Aegri] Aliis purgationes facile, alii aegerrime ferunt, ut animo lineantur.

§. MCCXI.

Contrariis) In primis facili ventriculi, & intestinorum irritabilitate, aut inflammabilitate, aut scirrho cancrove ad loca eadem sedentibus. Si hos homines purgaveris, & Tu dolebis, & aeger Tuus.

§. MCCXIII.

Diluentibus) Haec omnium lenissima sunt, ut & in ipso vulnere ac oculo ferri possunt: uti thermae Aquisgranenses, poma cocta, malvae. Solo sero lactis dato magna copia, donec relaxatis intestinis alvus moveatur, diuturni, & desperati morbi sanantur. HIPPOCRATES in morbis chronicis lacte asinino purgabat. Quando solum non operatur, potest sale medio aliquo vis augeri.

Leniter acribus] Quae conspicuo sunt & odore, & sapore, & nervos nudos, aut oculos adplicata irritant.

Acribus) Quae cutem exulcerant, & adrodunt nervos ventriculi.

§. MCCXIV.

Εκκοπρωτικά) Quae sterco durum educunt, & corpus repurgant, neque solvunt. Ita ERASMUS ad PARACELSUM : purgationem fero, sed quae corpus non solvat: nempe neque humores fundat, neque vires frangat.

Minorativa) Quae tantum educunt, quantum mobile praesto est, neque quidquam mutant in sanis corporis humoribus.

Cholagoga] Non electiva quidem, sed distincta sunt. Bilis enim, cum mobilissima sit, per lenia facile expellitur, mannam v. g. cassiam, tamarindos, succumve rosarum. Hydragoga vero sunt, quae sanguinem liquefa-

Liquefaciant. Melanagoga totum corpus evertunt, hinc eadem etiam panchymagoga sunt, eadem detergent mucum intestinorum, & tenesmos faciunt.

§. MCCXV.

Salito) Ita caventur tristia symptomata: si corpus non sicum reliqueris, sed omni hora, dum remedium operatur, duas, aut tres uncias succolatae sanguini suppeditaveris: (1732. jusculi carniū vasculum post singulam purgationem exhibendum, ita nunquam purgatio deliquium animi faciet.

§. MCCXVI.

Acidis] Helleborus ipse cum spiritu falis marini datus non purgat: Scammoneum fumo sulphuris admisto castratur, ut vim purgandi ferè amittat. Adeo resistunt acida purgationi.

Revulsione] Quae tentari debet per cucurbitulas epigastrio impositas, & similia. Maxime hic fiderem clysmati ex theriaca, dum eadem in emplastrum formata toti abdomini imponitur.

§. MCCXVII.

Acutis] HIPPOCRATES jubet in morbis exustis omni quarta hora clysmata alvum diluens subdere. Experimentum curiose cepi, injeci per anum diluentia, & oleosa, & maximam partem prius in totum corpus vidi abire per venas mesentericas, & lacteas, ad sanguinem. Ergo clysmata ad plura profunt, etiam praeter purgandi scopum.

Revulsione) Solis clysmatibus repetitis possumus lenem, & salubrem diarrhoeam artificialem ciere.

§. MCCXVIII.

Purgantium) Omnia medicamenta per anum injecta, sed triplici dosi, idem efficiunt, quod simplici, & per os adsumta. Idem de ipso peruviano cortice verum est, & in aula gallica & meis frequentibus in infantibus experimentis confirmatum, uncias quatuor ante paroxysmum febrem per anum subditum tollere. Ipse SYDENHAMUS gonorrhoeas clysmatibus sanabat. Nullum ergo dubium est, quin vices purgantium clysmata subire possint, quoties pueri, vel delicati homines vim, & saporem ingratum purgantium averfantur.

Tabaci) Quando naturam, in morbis languidis quasi sopitam, suscitare oportet, fumus tabaci per fistulam in anum mitti potest: ita etiam ferrea alvus solvetur.

Suppositoria] Aloetica, quae in hypocondriacis haemorrhoides solvant, sed alvo prius laxata.

DIURE.

DIURETICA.

1220. **E**vacuatio per vias Urinae indicatur :

1. A signis coctionis.
2. A fluxu critico materiae morbosae per renes.
3. A materie peccante salina, saponacea, terrestri subtili, scorbutica, purulenta.
4. A loco affecto,
5. A constitutione Epidemica.
6. A temperie aegri auscultante huic evacuationi, vel assueta.

1221. Vetatur a contrariis.

1222. Excitatur usu.

1. Aquae copiosae, vel aquosorum.
2. Salibus alcalinis fixis, volatilibus, simplicibus, vel compositis.
3. Salibus Fixis neutris compositis, Marino. Gemmae, Nitro, Borace, Alumine, Tartaro, Tartarifato, Ostracodermatis solutis cum acido in corpore nostro, vel extra illud; eo succus Conchyliorum, & Ostreorum, spectat. Et Ammoniacus.
4. Acescente humore animali, Sero Lactis acido, Lacte acido, eove ebutyrato.
5. Acidis levibus vegetabilibus Aurantii, Citri, Limonii, Ribesiorum, Sambuci, Vino tenui Mosellano, Rhenano.
6. Spiritibus acidis aceti, nitri, salis, sulphuris, aluminis, vitrioli, simplicibus, compositis, sale succini.
7. Apium, Asarum coctum, Asparagi, Amygdalae amarae, Chaerophyllum, Daucus, Eryngium, Eupatorium, Milium, Solis, Nuclei Persicorum, Ononis, Petroselinum, Pimpinella, Ruscus, Saxifragia, idem praestant.
8. Quaecunque ex omnibus his composita.

1223. Diuretica juvantur vacuo stomacho; coctione praegressa; motu corporis leni; aere frigidiusculo, calidis interim lumbis, hypogastrio, pube, perinaeo.

1224. Sistitur, aut sedatur, usu:

1. Emulsionis viscidioris gelatinosae.

2. Adstringentium, & roborantium simul (1107. 1159.)
3. Opiatis.
4. Determinatione in alia loca: imprimis autem sudore per motum, aut sudorifera, excitato, & aliquandiu continuato.

§. MCCXX.

Salina] Quando materia peccans in latice aquoso haeret, tunc solent ii sales per renes expurgari. Nam, uti intestina viscerum chylopoieticorum, ita renes haematopoieticorum cloaca sunt.

Epidemica) Saepe enim multi sanantur reddita ipso critico die urina stranguriosa. (1732. fere semper id in epidemicis contingere.)

§. MCCXXII.

Aquosorum] Determinatorum ad urinae vias per modicum frigus, quo sudor impediatur. Nullum enim diureticum agit, nisi determinatum: & aqua forte unicum verum diureticum est. Si praeterea eam armaveris salis gemmae vel tartari vitriolati drachma addita, pellet ad urinam, ut plus per matulam abeat, quam epotum est, neque credo facile melius diureticum repertum iri.

Acido] Nihil praestantius est subtilissimo sero lactis, quod ex lacte ebutyrato per manicam hipp. separatur. Succus limonum recenter pressus cum Rhenano vino est, etiam ex diureticis.

§. MCCXXIII.

Motu] Motu musculari in aere frigido, dum interim calida lumbis, & hypogastriis adplicantur. Frigus enim ad reliquum corpus, calorem circa renes oportet excitare.

Calidis) Huc imprimis facit clyfma non purgans, & diutius retentum.

§. MCCXXIV.

Alia loca] Qui diabete laborant, non sanantur, nisi sudore per balneum siccum excitato.

1225. **E** Vacuatio sanguinis menstrui, vel puerperii, per uterum indicatur:

1. Ab aetate.
2. A plethora.
3. A morbo quocunque hinc pendente; ejusque symptomatibus; ut inprimis in puerperio.

1226. Exercetur:

1. Determinantibus ad uterum; fomentis, balneis, pedum, crurumque; frictionibus saepe exercitatis in pedibus, cruribus, femoribus, hypogastrio; cucurbitis ad femora, & crura superiora, applicatis, saepe renovatis; missione sanguinis ex venis pedum; Emplastris ex gummi foetidis, umbilico, femoribus, cruribus, datis.

2. Aperientibus in loca uterina, & vasa per vapores, balnea, fomenta, injecta; similiaque interne assumta; Aristolochia, Artemisia, Calamintha, Cardiaca, Chamaedrys, Dictamnus, Levisticum, Majorana, Marrubium album, Matricaria, Mentha, Pulegium, Rosmarinus, Ruta, Sabina, Satureia; Tanacetum, Gummi foetida, Aloe, Myrrha, Crocus, Borax, Calybs, Succinum, Sal Alcalinus volatilis. Olea stillatitia aromatica, &c. sunt praecipua.

3. Remediis Chirurgicis, Diaeteticis, Pharmaceuticis, quae contraria sunt impedimento singulari evacuationis; quae tantum inveniri possunt singularibus signis in qualibet specie propriis.

1227. Sistitur, si nimia fuerit:

1. Revulsione.
2. Adstrictu vasorum (1107. 1159.).
3. Opiatis.

§. MCCXXVI.

Aristolochia] Quae tamen periculo non carent in feminis siccioribus.
Determinantibus] Fomentis, balneis pedum praemissis, saepe renovatis, donec turgeant venae inferiores. Optime etiam ad pedum plantas, & poplites applicatur emplastrum de galbano.

Borax]

Borax) Qui inter uterina excellit virtute sua.

Diaeteticis] Quando ab usu acidorum menses supprimuntur, tunc per alcalia absorbentia revocantur.

In genere uterina non alia habemus, nisi sudorifera determinata ad uterum, & menses fere supprimuntur ex deficiente laxitate in vasis uteri. Quando etiam in praeparato corpore operari nolunt, tunc aquam calidam corpori muliebri supponere oportet, & in eam projicere salem ammoniacum, ita vapor penetrantissimus adscendit, quem mulier, ex antiqua HIPPOCRATIS observatione naribus percipit, & hac ratione, si unquam menses solventur. [1732. balneum ex iisdem commendat mane, & vesperi, & post semihoram fricari partes interiores pedum, ad genua usque, cum asperis pannis; tunc in plenilunio, sive instante mensium tempore venam saphaenam secari.]

§. MCCXXVII.

Revulsione) Nimum uteri fluxum sedant concurbitulae mammis admotae, uti nimiam mammarum inflationem concurbitulae sedant, sed femoribus applicatae. In hoc casu venae sectio revulsoria imbellem auxiliium est, vix enim clauduntur tenerrima vasa: quamdiu vero aperta sunt; pergit sanguis omnis effluere. Neque adstringentia valent, sed annosae mulieres, quae hos fluxus nimios patiuntur, pereunt plerumque. De ligaturis artuum conf. *Aphorismorum Practicorum* n. CCXIX.

Optatis] In lochiis puerperarum nimis opium solum excellit, & absque eo nihil fere solidae medelae est, quod adhibeas.

P H L E B O T O M E.

1228. **M**iffio sanguinis intra terminum, quo vires non minuuntur.

1. Copiam minuit humorum arteriosorum, & venosorum.
2. Ergo resistentiam movendorum reddit minorem.
3. Adeoque & plenitudinem vasorum, ut & horum ad se mutuo compressionem.
4. Hinc vasis nimis distentis contractionis, id est elasticitatis, exercitium reddit.
5. Rarefacit liquida.

6. Solvit eadem.
 7. Refolvit.
 8. Obstructa expedit.
 9. Circuitum, secretionem, excretionem promovet.
 10. Revellit.
 11. Refrigerat.
1229. Hinc morbos quam plurimos, eosque varios admodum, tollit; simul tamen mutationes miras profert.
1230. Indicatur.
1. A copia nimia.
 2. A resistentia nimia cordi nata per humores.
 3. A motu suffocato per nimium tumorem a copia, vel a re-refactione, natum in arteriis.
 4. A motu suffocari incipiente per nimiam extensionem vasorum, qua ipsa vasorum elasticitas destruitur.
 5. A sanguine nimium densato.
 6. Ab eodem nimis coeunte.
 7. Aut nimium inspissato.
 8. Ab iis, quae sunt signa obstructionis inflammatoriae, & magnae, deprehensis ubique in corpore; primaria quidem deprehenduntur talia esse dolor, tumor, rubor, aestus, anxietas; dum interim sudor, sputum, urina, admodum supprimuntur.
 9. A motu nimio humorum per vasa; aut etiam a motu tardiori eorundem orto ex dictis (1. 3. 4. 5. 6. 7. 8. hujus).
 10. A calore nimio per omnia vasa.
 11. A nimio impetu sanguinis moti in unam partem; ut in haemorrhagiis, & fluxionibus.
 12. Ab epidemicis cognitis.
 13. Ab aetate, sexu, victu, temperie.
 14. A cacochymia.
 15. A conciliando ingressu medicamentorum in vasa, horumque simul admittance procuranda, tum & excitanda vi eorundem, in magnis curationibus perficiendis.
1231. Optima fit;

1. Lato vulnere, secando inflictio.
 2. In vena libera, magna, facile detegenda, remota; ab arteriis, nervis, tendine.

3. Accelerando velocitatem sanguinis, dum fluit, respiratione forti.

4. Motu muscutorum circa venam apertam.

5. Jacenti aegro.

1232. Praeparatio fit ad feliciorum ejus administrationem.

1. Frictione.

2. Fomento.

1233. Vetatur.

1. A plurimis Chronicis, in quibus plurimis obstructa, paucisque admodum fluidus cruor vasis restat.

2. A senio.

3. A temperie.

4. A cognita natura Epidemici, vel Endemici morbi.

5. A crisi jam facta alibi.

6. A paucitate cruoris rubri, & debilibus hinc viribus.

7. A recenti statu puerperii.

1234. Unde patet, quanto humani generis damno hoc remedium vel semper, vel nunquam, adhibendum censetur, ut in doctrina *Johannis-Baptistae*, & *Helmontii Leonharti Botalli* videri potest.

1235. Sanguis educendus ex vasibus Haemorrhoidalibus indicatur.

1. A temperie atrabilaria.

2. A morbis cum phantasia laesa.

3. A consueto fluxu eorum vasorum jam suppresso.

4. Ab eruptione sanguinis per novas jam vias, qui olim feliciter per haemorrhoides evacuabatur.

1236. Elicitur:

1. Emolliendo haec vasa fomento molli, calido, ex aqua, oleo, melle, emollientibus, specie clysmatis, vaporis, fomenti applicatis.

2. Aperiendo per frictum cum asperis, aut per hirudines.

3. Ufu Aloeticorum.

§. MCCXXVIII.

Terminum] Quamdiu vires corporis non mutantur. Si vero hos terminus excefferit, venae sectio nocet.

Rarefacit] Liquida laxantur, quando vires comprimentes minuuntur. Sed evacuatis vasi primi generis reliqua omnia laxantur.

Eadem] Si a nimia compressione ultra modum densata fuerint.

Obstructa] Quando obstructio fit ab expansione vasorum majorum, quae minora comprimunt.

Refrigerat] Imo si modum excedat, primo summum frigus facit, nempe animi deliquium: deinde perpetuum frigus, sive mortem.

§. MCCXXIX.

Miras] Hinc medicus, quando prima vice venam homini jubet secare, non debet rem chirurgo soli committere, sed adesse praesens, & cautus omnia phaenomena observare. Dantur enim homines, qui vix uncia sanguinis emissa animo languunt, & saepe malum a phlebotome augeri experiuntur. Vides, dum sanguis ex vena fluit, oculos collabi, faciem pallescere, tunc animo linqui, & sanguinem per arterias ad cor redire. Alii magnam jacturam ferunt.

§. MCCXXX.

Nimia) Quam cor nequeat propellere; cognoscitur palpitatione, & venis turgidissimis.

Expansionem) Quando arteriam sub digito video extendi, neque remitti.

Inflammatoriae] In hoc casu nunquam praetermitti debet, ne inflammatio in suppurationem abeat, vel gangraenam. Quando vero alia evacuatio major se prodit, naturae vires expectare oportet, non forte se fit ipsa liberatura.

Aetate] Homo adultus venae sectionem commodius tolerat; & femina ipso viro melius. Qui pleno victu utuntur, facilius ferunt, quam sobrii. Melancholicis, & phlegmaticis plerumque nocet.

Cacoehymia] Tunc nunquam majori copia mittere oportet.

Haemorrhagiis] Quando v. g. in pulmone arteria rupta est, liga brachia, & pedes, mitte sanguinem, ut ad cor veniat tantilla copia, quae arteriam pulmonis nequeat distendere. Ita labia vulneris, latera vasis vulnerati collabi poterunt, & se comprehendere.

§. MCCXXXI.

§. MCCXXXI.

Secundo] Non directe corpus acutum in venam demergere oportet; uti instrumento elastico veteres solebant, & in Germaniae aliqua parte moris est: ita enim facile uterque venae paries pertunditur, & ipse vidi, ex eo modo secandi sanguinem in panniculum adiposum late diffundi. Hoc evitatur secando.

Libera] Vena hepatica difficulter secatur, qui arteriam, & nervum comites habet: in manu facilius est, sed expeditius in malleolo, ubi venae liberae sunt, & nulla major arteria est, quae facile laedi queat.

Sanguinis] Parcior sanguis, sed qui uno saltu profiliat, plus juvat, quam duplo plus sanguinis stillatim elabentis. Nam magna revulsio fit, & arteriae ipsae subito in venas mutantur.

Respiratione] Quando prae dolore respirare detrectant, uti pleuriticis solent, tunc pro cardiaco acetum sub nares offerre oportet, inde enim tussunt, & acceleratur sanguis, adeoque uberius per venam effluit. Ita tres unciae plus boni facient, quam decem unciae pacati sanguinis.

Musculari] Chirurghi, dum ex vena secta sanguis effluit, solent aegro baculum in manum dare, quem in gyrum circumagat. Motu musculorum sanguinem venosum nerunt exprimi.

Jacenti] BELLINUS demonstravit, in homine decumbente duplo plus sanguinis emitti posse absque syncope metu, quam in homine stante. Nam in stante homine musculos oportet sustineri.

§. MCCXXXII.

Friktione) Mulieribus, quibus saphaenam tundere oportet, prius pedes in calidam demittere, & perfricare juvat.

§. MCCXXXIII.

Senio] Pessimo more receptum est, ut sanguinem senibus, qui sexagesimum annum excefferunt, medici mittant, causati plethoram. Ea certe aetate sanguinis rubri parca copia est: deinde plethora augetur secta vena, quando laeta diaeta succedit, & vaforum elater diminutus est. Demonstrat LISTERUS, vitulos, quibus subinde sanguis mittitur, evadere obesissimos, atque ipsum crudum chylum postremo per vasa fluere. Ergo senibus venam non oportet secare, nisi urserit necessitas.

Paucitate) BOTALLUS in ipso hydrope venam secare jubet, sed nescio, quomodo potuerit rationi adeo contrarius obniti.

Debilibus) Saepe pallidae virgines volunt venam sibi secari. Sed prius, & arterias observare oportet, & venas, neque convenit phlebotome, nisi

nisi tumeant sanguine vasa, pullentque. Solent enim in arteriis minimum sanguinis habere, dum venae corrupto humore distenduntur. Magnus error est, omnes morbos puellares a defectu mensium venire: cum contrario ordine ideo deficient menses, quia morbus adest: tolle morbum, redibunt menstrua. Vidi saepe incongrua curatione puellas in phthisin incidisse.

Puerperii) Morbi enim, qui tunc infestant, ii fere ex inanitione oriuntur.

§. MCCXXXIV.

Nunquam) HELMONTIUS clamat, omnem venae sectionem carnificinam esse. BOTALLUS e diverso, eam etiam in ipso hydropse convenire. Uter infanior? Medio tutissimus ibis.

§. MCCXXXVI.

Aloeticorum] Omni mane, sed parca copia sumtorum J. GESNER. in globulis applicatorum, & 1732. glandem ex sex granis pillularum Rufi aliquoties de die immisam. Ita nuper haemorrhoides elicui intra paucos dies, in aegro, qui animo sibi fixerat, nullam extra haemorrhoides salutem sibi superesse. EGO vero praedixeram nihil profuturas, sed elicere tamen malui, ut morem gererem.

S C A R I F I C A T I O .

1237. **S**carificationes agunt stimulando, & evacuando.
1238. Hirudinum actio, & hinc bene intelligitur.
1239. Setacea autem, & fontiuiculi dolore leniore stimulant, genus nervosum concutiunt, ferum evacuant, nimiae repletioni exitum dant.
1240. Unde & liquet, ubi, & quando indicentur.
1241. Stimulantia, dolorem, calorem, rubedinem, creantia medicamenra, motu nervis conciliato, & determinatione in loca imperata agunt.
1242. Unde infinita certe, eaque saepe exoptatissima, effecta praestant, quorum etiam cognita necessitate indicantur.

1243. Revocari vulgo haec solent in doctrina Medica ,
 1. Ad Dropaces valide adhaerentes ; simulque penetrantes
 forma Emplastri calide applicati iterumque avulsi repetito
 opere , donec rubeat , tumeat , caleat , pars affecta . Mate-
 ries his : Pix , Oleum , Bitumen , Castoreum , Cinis Sar-
 mentorum , Galbanum , Piper , Pyrethrum , Sal Gemmae ,
 Sal Ammoniacus . 2. Ad Sinapifimos lenes , Phoenigmos di-
 ctos , forma cataplasmatibus applicitos , relictosque , donec ru-
 bor , calor , pruritus , tumor , appareant . Materies : Sina-
 pi , Bryonia , Allia , Cepae , Nasturtium , Scilla , Euphor-
 bium , Ranunculi , Tapfia . 3. Ad Veficatoria ; quae Sina-
 pifimi fortiores , forma eadem , violentiore effectu . Materies
 eadem . Diversitas in dosi aucta acris . E. G. ficus ad p. III ,
 actis p. I. mistae dant phoenignum . Ficum p. I. acris
 p. I. dat Veficatorium . Ficum p. I. acris p. III. dat Ve-
 ficatoriem forte . 4. Ad Causticum potentiale ; forma singu-
 lari pultis , vel & cum linteo carpto applicatum . Materies :
 Ranunculi , Esula , Tithymalus , Sal alcali fixus , Lapis in-
 fernalis , Mercurius Sublimatus , Spiritus , & Sal alcalinus ,
 volatilis . Effectus , inflammatio , eschara . 4. Ad causticum
 actuale dictum ex ferro ignito .

§. MCCXXXVII.

(Scarificatio) ,, Eductio sanguinis , & humorum tenuiorum ex vasis
 cutaneis . Possimus certe multum sanguinis hac via educere , & orien-
 tales omnes , Sinenses , Iaponenses , Aegyptii , Graeci , alique Asiatici
 loco venae sectionis unice scarificatione utuntur : addunt rationem non
 malam , ducere se ex arteriis , neque incommoda experiri , quae magnae
 arteriae laesionem sequuntur : vulnusque facile sanari , quod ab arterio-
 me difficulter coit .

§. MCCXXXVIII.

Hirudines] Eas applicamus , ut partes stimulent , & evacuent . Fa-
 ciunt fere , quae scarificatio , & possunt iisdem locis admoveri , sub
 axillis post aures , ad anum .

§. MCCXXXIX.

§. MCCXXXIX.

Setacea) Fila per cutem ducuntur, retinentur in vulneribus, & subinde trahuntur, ita obtinetur, ut tenuis cum dolore exstillet ichor. Prodest, quando revellere oportet acrem humorem in partes tenerrimas illapsum, ut in morbis oculorum. Dudum HIPPOCRATES, omnis locus, qui tumet, calet, dolet, plus quam alia loca, adtrahit sanguinem ex aliis partibus minus dolentibus, calentibus, rubentibus. Raro tamen indicantur. Fonticuli vero ad phthifin maxime, aut haemoptoen faciunt, ut noxia humorum abundantia derivetur in naturalia ulcera.

§. MCCXLII.

Per haec stimulantia possumus totum genus nerveum mutare, & mobile reddere.

§. MCCXLIII.

Dropaces) Hoc nomen dederunt veteres pici super alutam extensae, & cuti calidae adplicatae, unaque cum cutae elevatae, id repetebant saepiuscule, sit cutis dolebat, & rubebat. Scabiem, lepram, paralyfin hac irritatione sanare volebant.

Synapismos] Forma cataplasmatum adplicatos, ex sinapi semine, & panis pasta, donec cutis inflammata puniceum colorem indueretur.

Vesicatoria) Haec solvunt epidermidem a subjecta cute, ad ignis lenioris modum. Adhibentur in peste, & variolis, & cantharidibus fere excitantur. Olim utebantur ranunculis, tithymalis, euphorbio.

Haec omnia febrem faciunt, conservant, augent, profunt adeo in morbis lentis, a pituita ortis.

Potentiale) Ita vocamus, quod actu frigidum cuti adplicatur, sed effectus tamen ignis edit.

Actuale] Ferrum vehementius urit, quam ullum aliud corpus nobis cognitum, plus enim ignis requirit, ut deliquefcat, & tamen innoxium est, cum cuprum corpori adplicatum semper aliquid malignitatis exferat.

C U R A T I O

P A L L I A T I V A.

1244. **M**itigando symptomata semper etiam aliquid de morbo primario tollitur.

1245. Unde omnia sanans symptomata simul, totum fere morbum sanat.

1246. Primaria autem hic considerata sunt fitis, dolor, vigiliae nimiae, lypothymiae.

1247. Sitis a siccitate totius corporis sedatur potu largo, continuato, calido, aquoso, farinoso, paucis acidis admistis grato. Decocta Hordei, Avenae, Panis, dilutiora; Serum Lactis, Hydrogala, Zytogala; Decoctum tenue, insulsum, vitulinus absque pingui, profunt, ut ex fermentatis Cerevisia tenuis non aromatica, Balnea, Fomenta, Clysmata hic etiam in usum vocata profunt.

1248. Sitis a siccitate partis singularis, ut oris, linguae, faucium, oesophagi, levatur: 1. Ufu praecedentium (1247.). 2. Colluendo, & gargarizzando, saepe per eadem. 3. Aperiendo glandulas, & meatus, salivales, per epithemata, & fomenta, ex laxantibus, humectantibus, aperientibusque. Ubi Posca cum mica panis egregii usus est.

1249. Sitis a sale acri lixivioso, vel ab acri aromatico, orta tollitur iisdem omnibus (1247. 1248.), utpote diluentibus; maxime vero, si his admiscentur acida; & nitrosa. Unde & scitur, quomodo sedanda illa, quae a sale muriatico, utpote solis egente aquosis.

1250. Si vero oritur fitis a materie inepta tranare per canales, tum diluentibus, & resolventibus tollitur.

1251. Dolor, ut symptomata, sedatur:

1. Acre diluendo: quod fit aqua calida, farinosa applicata per potum, fotum, halitum, clyfma, balneum (1172).

2. Obstruens diluendo, resolvendo; per similia, & per res solventia (1160.).

3. Vascula nervosa laxando, potu, vapore, foru, balneo; injectu, humectantium, laxantium, anodinorum, blande aperientium (1166. 1158.).

4. Acre ipsum corrigendo suis remediis (1172. 1173. 1174. 1175. 1176. 1177.).

5. Obstruens, acre, obstructumque, liberando a nimia pressione humoris vitalis (1170.).

6. Obstruens, acre, obstructumque, emolliendo; suppurando, depurando (1166. 2.).

7. Sensum obtundendo stupore inducto per narcotica interne exhibita, vel applicata externe. Talia sunt. 1. Levia, Flores Papaveris Rhoeados. Semina ejusdem; Flores, & Semina Papaveris Sativi, Lactuca Sativa Capitata aestivo tempore lacte praegnans. 2. Fortia, Capita Papaveris Hortensis matura, expulso semine, ante ariditatem collecta; Lac ex papavere Europaeo, fere maturo, laeso, stillans. 3. Fortiora, Opium Thebanum, vel Orientale. 4. Fortissima, Mandragora, Solanum, Cicuta Aquatica *Gesneri*, Stramonium. Hyoscyamus, Petum, & similia, non affuetis, Venena. Ex quibus omnibus fiunt externe fomenta, litus, emplastra; interne vero, aquae, tincturae, syrapi, pulveres, pilulae, condita, confectiones magnae opiatae; ut *Diafscordium Fracastorii*, *Diafscordium Silvii*, Theriaca, Veneta *Andromachi*, & aliorum, *Mithridatium*, *Philonium* variorum, *Trypherae Persarum*, vel Arabum, *requies Nicolai*, *Orvietanum*, & multa similia.

1252. Vigiliae nimiae ex malo, quod ipsum cerebrum infestat, ortae difficulter admodum sopiuntur; & vix, nisi extirpato prius morbo hoc cephalico; id in phrenitide, comate vigili, melancholia, mania, &c. patet.

1253. Si oriuntur a siccitate nimia, compescuntur, victu, potu, foru, balneo, injectis, ex aquosis, farinosis, emollientibus, laxantibus, multum, diuque usurpatis. *Althaea*, *malva*, *violaria*, *lactuca*, *cichorea*, hic prae caeteris probata.

1254. Si oriuntur ab acri quocunque, curatione acris [1251.4.] tolluntur.

1255. Si vero inde fiunt, quod humores moventur validius, aut rapiuntur nimis in cerebrum, Curatio absolvitur, 1. Sedantibus (1170.) 2. Derivantibus, quae fomenta balnea, Epispastica, applicata inferioribus; haec ex emollientibus, acribusque simul componuntur, unde herbae emollientes, farinosae, cum sale, aceto, fermento acri, aromatibus fortissimis, cepis puta, aliis &c., hic laudatissimae; etiam pisces, carnes, recentes eo commendantur. 3. Repercutientibus simul ad superiora applicatis; quae memorantur Acetum simplex, Sambucinum, Rosaceum, Violaceum, Oxycratum; Unguentum Populeon, Rosaceum; Olea anodyna Solani, Violarum, Papaveris, Hyoscyami.

1256. Opiatis internis; hoc in casu, vix utendum, nisi constet malum consistere in solo nimio motu spirituum.

1257. Quo casu, praemissis primo evacuantibus, & diluentibus, tum demum his uti prodest.

1258. Excretionem nimiam sedantur per ea, quae in pertractatione evacuantium nimis agentium dicta sunt [1188. ad 1228.]

1259. Nimia excretio cruoris per laesas arterias, venasque majores, sedatur compressu, ligatura, combustione vasum, inspissatione fluidi; contractione solidi. Ubi Alcohol Vini, Spiritus aethereus Terebinthinae, primaria.

1260. Lipothymiae ortae a stagnante humore, & ab anxietate spasmodica, sanantur diluendo, laxando. Si autem a vitio spirituum torpidorum, tum omni stimulo Cardiaco (1112.). Si ab evacuatione, per replentia curantur (1097. ad 1107.). Si a suffocatione hysterica, tum per foetida Anthysterica.

§. MCCXLIV.

De Morbo] *Causa* physica morbi minime differt a complexu effectuum omnium, & effectus omnes conjuncti aequivalent causae: tolle omnes, tollitur & causa; tolle aliquid, aliquid de causa abstulisti.

§. MCCXLVIII.

Singularis] Uti lingua in hydrope arida est, dum totum corpus intra aquam sepultum latet. Ibi adeo aquosa ipsi linguae adplicare oportet. Nempe os oportet eluere, & continuo panem bis coctum manducare, ut saliva adlixiatur, sitim sedatura.

§. MCCXLIX.

Acri lixivioso] Solvitur Ipiritu sulphuris per campanam.

§. MCCL.

Inepta) Natura nunquam desinit monere, ut potus exhibeatur; quamdiu aliqua bibendi necessitas superest. Ergo, licet copiose bibas, nisi sanguis adtenuetur, non sanabitur sitis: quamdiu vero sanguis dilutus est, jam quiescit sitis. Huc imprimis faciunt recentes fructuum horraeorum succi, aqua diluti, ribesiorum maxime, aut oxymel cum aqua.

§. MCCLI.

Diluendo] Dolor pleuriticus aufertur ablata inflammatione. Summum medicamentum doloris calida est, externe, & interne adplicata, pota, clysmate injecta, adpersa, in fomento admota.

Laxando, Vitrum nequit flecti, nam frangitur ad primos conatus: sed idem ducitur in filamenta tenuissima, quae in anulum torqueri possunt, neque franguntur. Dum enim particulae corporum ex cohaesione mutua solvuntur, nascitur facilitas totum absque distractione, & adeo absque dolore distrahendi. Nam dolor est status nervi, in quo disruptioni proximus est. Quando carnifex in tortura artus distrahit, immanis dolor est, cessat idem, quamprimum remittit. Quando locus inflammatus, tensus; oleo nutritio inungitur, pars dolens laxatur, & dolor evanescit.

Confectiones] Has Deorum manus veteres dixerunt. Agunt unice tollendo impetum nimium doloris.

§. MCCLII.

§. MCCLII.

Phrenitide) Opium non convenit phreniticis, nisi prius omnia feceris, quae causam mali tollunt.

§. MCCLV.

Ad caput) In eo morbo solebant veteres pedes quidem calefacere fovendo, caput vero frigida conspergere, aut aceto. In variolis ad insuperabiles vigilias, pediluvium subeat aeger, caput vero lavetur, & embamma ex aceto cum . . . adplicetur: ita dormiet 1732.

§. MCCLIX.

Alcohol) Haec omnia chirurgum oportet ubique secum gerere.

§. MCCLX.

Spirituum) Ea sensum morbi tollunt, non ipsum morbum, & obtundunt custodem, qui medicum de periculo monebat. Ergo non oportet uti narcoticis, nisi certo notum sit, morbum a solis spiritibus pendere, uti in literatis meditantibus hominibus solent, quibus humores ad caput feruntur, & vigilias faciunt. Tunc asa foetida, camphora, & similia adhiberi possunt.

Diluendo) SYDENHAMIUS observat, homines nonnullos morbis acutis ad summam debilitatem redactos fuisse; cum tamen omnia signa demonstrarent, causam mali esse in vasis compressis. In eo casu rarefacientia, & calida, auxissent malum, sed ipsa venae sectio, quae vires diminuit, deliquium animi tollebat, quia cerebrum compressum liberabat.

F I N I S.

Se ne permette la Ristampa.

Morozzo per la Gran Cancellería.

INDEX

§ M C C L I I I

... (Mirabilis) ...

§ M C C L I V

... (Ad) ...

§ M C C L I X

... (Alkohol) ...

§ M C C L I

... (Spiritu) ...

F I N I S

